BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 G
32
M

ORATIONES

ACADEMICÆ, MISCELLANEÆ

TRIGINTA QVATVOR.

Singularum argumenta, pagina poſt Epiſtolam Dedicatoriam, indicabit.

Authore THOMA STAPLETONO Anglo, S. Theologiæ Doctore & in Academia Louanienſi Profeſſore Regio.

Gal. 6.

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.

ANTVERPIÆ,

Apud Ioannem Keerbergium.

ANNO. M. D. C.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AMPLISSIMO CONSVLTISSIMOQVE VIRO D. IOANNI RICHARDOTO, EQVITI AVRATO, SVPREMI

rerum ſtatus Conſilij Senatori, ac Secretioris in Belgio Senatus ſupremo Præſidi: Thomas Worthingtonus, veram & perpetuam felicitatem precatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUEL

SATIS opinor innotuit, Ampliſſime Præſes, quantos, Fidei orthodoxę ſtudio & Zelo incitatus, celebris inter huius ſæculi Scriptores Eccleſiaſticos, D. THOMAS STAPLETONVS, ad extremum vſque ſpiritum, labores ſubierit, quam multiplici librorum pro-

uentu, ac felici prole vniuerſam Eccleſiam, communem matrem omnium exornauerit. Sed (proh dolor) citò nimis ſummo huic Doctori Theologo, atque ſtrenuo Religionis Catholicæ aduerſus Hæreticos propugnatori, ad maxima quæque pertractanda feſtinanti occurrit fatum: Adeo vt ætatis ſanè tempus, & vitæ fugax mora, illi non ſufficerent, ad ea omnia in lucem ac publicum conſpectum emittenda, quæ ſtilo deſcripſerat, nedum quæ conceperat mente, propoſitoque defixerat. Etenim in edendis eius libris dum ſe prælum tardius mouet, poſthumos aliquot fœtus emittens, triſtius nunc authoris funus proſequitur. Hinc anno ſuperiori prodijt egregium illud DE VERE ADMIRANDA ROMANÆ ECCLESIÆ MAGNITVDINE opus,

opus, clariſſimo viro collegæ tuo, D. Chriſtophoro ab Aſſonuilla Alteuillę Domino, ab authore concreditum: Sanctiſſimo verò Patri Clementi Octauo conſecratum. Quod ipſe integerrimus amicus authori vita functo iuſta faciens prętitit, cum de more, veſte funebri contectum fœtũ poſthumũ ad parentis rogum deduxit. Quem & hic modò alius (cæteris quoque ſuo tempore in lucem, auſpice Deo, prodituris) inſequitur, eodem planè imbutus colore, funeralia perſoluens; per me, authoris quondam diſcipulum, tutelæ ac patrocinio Amplitudinis tuę cõmittendus. Qui enim ſuperſtes omni officij genere, tuã coluit Dominationem, adhuc poſt funera & cineres, rediuiua poſthumi ſui voce, Patronum ac Mecœnatem ſuũ com-

pellat & alloquitur : atq; obſeruantiam erga Richardotanam familiá, quam in vita ſuſceperat, immortali iſtarum Orationum Academicarum (verè dixerim ſacrarum) monumento conſignandam vehementius exoptat. Tantum enim abeſt vt pij, ex hac via multa caligine offuſa in ipſam veri luminis vitam migrantes, laudabiles iſtos erga ſuos, exuant affectus, vt eiſdem quidem eo auctiores perfectioreſque in cæleſti gloria retineant, quò & certiores ſunt, quæ verę, quæ fucatę fuerint mortalium virtutes, & quò earundem amore magis nunc inflammati, magiſq; in eodem confirmati exiſtunt. Accipe igitur, Optime Richardote, pręclarum hoc chariſſimi amici pignus, benigno illud vultu excipe, vlnis amoris mutui foue. Ille hoc offert

tuis prouocatus pietate, prudentia, magnanimitate, animi moderatione Fidei Catholicæ, ac diuini honoris promouendi, ſummo ſtudio, cæteriſque veré Chriſtiani Senatoris virtutibus tuis. Quas vtinam noſter ipſe Stapletonus pro ea qua pollebat facundia exornaſſet. Ita enim ego meo ſolatio ea legiſſem, quæ modò triſtis ac tacitus prætereo, ne cum nullo modo pro dignitate eloqui poſſim, tantas virtutes imprudens, mea inſcitia, obſcurare potius quam illuſtrare videar. Quod etiam faciendum mihi video, tum de authoris, tum de operis huius præſtantia, cum aliquid alioquin de vtroque dicendum eſſet. Conſultius ſiquidem iudicabit ſcio, tum tua ſapientia, tum alij quique iudicio valentes, vt authoris encomia, ipſiuſmet opera, humana diui-

naque ſapientia referta loquuntur. Harum autem Orationum vtilitaté, cum iucunda varietate coniunctam, vel ipſarum ſingularum argumenta manifeſtāt. Nam prçterquam quod ſingulari quadam eruditione,& eloquentia illuſtrentur, continent quidem non fictas illas,Oratorum quorundam, de rebus vanis & caducis, deque magnatum laudibus ſeu adulationibus declamationes: nec forenſes illas orationes,aut contentioſas Cauſidicorum voces; ſed ea prorſus,quç pietatem,fidem,religionem, quæ veras, verè piorum hominum, laudes & virtutes,in aliorū exemplū, vtiliſſimamque imitationemq; proponant, cuiuſmodi vel inprimis eſt illa oratio funibris, in laudem R.mi Patris ac Domini, D. Franciſci Richadoti (P.M.) Epiſcopi Atrebatenſis,

tenſis, Patrui tui, Collegij Anglorum Duaceni magni & præcipui olim Patroni:(quē tum honoris tum gratitudinis cauſa hic nomino) quales etiā omnes ſunt, vtpote quæ ad Catholicæ fidei Zelum, ac morū emendationem incitent: quæ Hęreticorū quoque aſtutiam & nequitiam detegant, eorundēque errores conuellant: quæ nihil vanum, nihil leue ſapiant, nihil quod Dei ſyncerum amorē non promoueat. Quę propterea non tam Orationes Academicæ (quamuis in Academijs habitę) quam Conciones Eccleſiaſticę meritiſſimè nuncupentur. Cuius generis elucubrationes cū noſtris temporibus maximè conueniāt, tum præ ceteris dignæ ſunt, quæ Ampliſſimæ perſonæ tuæ offerantur, & ab ea perlegātur. Cui enim rerum Belgicarum & Conſiliorum Prefe-

ctura eſt à Principibus Catholiciſſimis cõmiſſa, eidem ſimul id omnes norunt eſſe commendatũ, vt negotijs ciuilibus ita pręſit, vti Religioni in omnibus & præ omnibus quam ſolicitè proſpiciat, atque eius integritati vndequaque conſulat. Hoc autẽ tuæ Ampliſſimę Dominationi cordi fuiſſe, non ſolum omnes Belgę qui ſyncerè Catholici, ſuo & Religionis maximo commodo percipiunt: ſed nos quoq; afflictiſſimi Angli, qui fidei auitæ cauſa in hoc Belgio exulamus, nõ raró experti ſumus: quippe qui ſæpiùs nos conſilijs, auxilijs, ac authoritatis tuę ſubſidijs ampliſſimis exceptos fuiſſe vltrò fatemur & agnoſcimus. Quinimo firmam quandam ſpem etiam cõcipimus (annuat modò Deus pijs votis) in hoc fœdere conſtituendo (quod agitur) inter Hiſpanum

panum Anglum, & Burgundum, opera ac ſtudio Amplitudinis tuæ & aliorum Collegarũ, ſingulari aliqua ratione, cauſæ fidei qua loboramus cõſultum iri. Et auguramur quidem in communi hac inter Chriſtianos reliquos pace & concordia, Dominationes veſtras enixè conari velle, (quantum in vobis fuetit) vti Catholici Angli, qui totos iã Quadraginta annos ſoli in vniuerſo orbe Chriſtiano, vi Regia, & legum imperio, ad hæreſim amplexandam, fidem Catholicam abnegandam, ſanctorum etiam Sacramentorum exercitiũ abdicandum, ſeueriſſimè cõpellimur, non continuò procellis iſtis, proſcriptionis bonorũ, carcerũ, compedũ, exiliorum, & ipſius mortis ſupplicio concutiamur: neque ab Eccleſię Catholicæ deſertoribus, durius in poſterum

rum quam Chriſtianam pacem decere videatur, affligamur. Hoc ſanè Stapletonus ſi in hac mortali vita adhuc ageret, pro nobis contribulibus ſuis, pro patria ſua, pro dignitate Eccleſię, Chriſti ſanguine redemptę, etiam cum lachrymis, in eiuſdem Chriſti Domini viſceribus, efflagitaret. Idem ego ipſius & plurimorum, tam in cælis coronatorum, quam in terris adhuc afflictorum nomine, ſupplex peto & imploro. Si quid nobis remiſſionis atq; leuaminis in hac duriſſima diuturnaque perſecutione exoraueritis (exorabitis autē niſi immanes valde fuerint, & prorſus inexorabiles quibuſcum tractatis) id totũ veſtrarũ procul dubio Dominationũ accreſcet honori, & magno merito, Reginæ autem noſtrę, & vniuerſo Angliæ Regno, ſecuritatē & ſolatiũ

eiuſdemque ſubditis maximam lætitiam afferet. Gaudebũt porrò vicina Regna & Prouinciæ. Plurima denique cõmoda ac benedictiones toti Chriſtiano orbi inundabunt. Sin minus, Deus tamen voluntatem veſtrã, & pium conatum remunerabit: & ſeruis ſuis, ſicut hactenus, dabit cum tentatione prouentum. Ille Amplitudinem tuam Eccleſiæ ſuę, tuis Belgis & nobis, diutiſſimè ſeruet incolumem. Ex Collegio noſtro Anglorum Duaceno, octauo Kalend. Aprilis. Anno ſalutis, Milleſimo, ſexcenteſimo.

Ampliſs.mæ D.is T.æ ſtudioſiſſimus

Thomas VVorthingtonus.

ORATIONVM SINGVLARVM ARGVMENTA,

Tomi primi.

1. CVR cum hæreſi creuerit Magia.
2. De Chriſtianæ doctrinæ fundamento.
3. An Politici ſint in numero Chriſtianorum habendi.
4. De Sacræ Scientiæ S. abuſibus.
5. Procatecheſis, ſeu de animi excolendi ſtudio.
6. De myſterio Incarnationis Dominicæ.
7. De Beatiſſimæ Trinitatis myſterio.
8. Contra Bacchanalia in capite ieiunij.
9. Contra Simoniacos.
10. De Sacerdotis ſacrificantis officio.
11. De Sacerdotis officio quatenus alijs praeſt.
12. De boni Paſtoris officio.
13. De præparatione ad S. Synaxim debita.
14. De S. Synaxeos vario & ampliſſimo fructu.
15. De S. Synaxi frequentanda.
16. De frequenti Confeſſione ſacramentali.
17. De S. Amato Pontifice & Confeſſore.
18. De hæreſis in genere & hodiernæ enormitate.
19. Philoſophorum & hæreticorum hodie circa quæſtionem de Iuſtitia, collatio.
20. Hæreticos hodie Regnum peccati erexiſſe.

ORA-

ORATIONVM SINGVLARVM ARGVMENTA,

Tomi ſecundi.

21. *Apologia Recentioris Eccleſiæ.*
22. *De cauſa graſſantium hæreſum.*
23. *De Officio Catholici inter medios hæreticos.*
24. *De Recidiua hæreſis in Belgio.*
25. *Proteſtantes non eſſe Eccleſiæ reformatores.*
26. *Liturgiæ Catholicæ & Cœnæ Caluinicæ comparatio.*
27. *Vtrum in hæreticis modernis maior ſit aſtutia quàm nequitia.*
28. *Præſentes hæreſes eſſe proximas Antichriſto.*
29. *Hæreticorum hodie Babylonia; Siue nullam eſſe apud eos conſtantem doctrinam.*
30. *Nullam eſſe apud eoſdem Religionem.*
31. *In Laudem R.mi Franciſci Richardoti Atrebat. Epiſc. Funebris.*
32. *In laudem R. P. Ioan. Lentallerij Abbatis Aquicincten. Funebris.*
33. *In laudem R. P. Arnoldi de Ganthois Abbatis Marchennenſis, Funebris.*
34. *In laudem Matthæi Galeni Cancellarij & Profeſſoris Duacenſis, Funebris.*

CVR MAGIA PARITER CVM HÆRESI HODIE CREVERIT.

Oratio in comitijs Doctoralibus Louanij habita,

30. *Auguſti.* 1594.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PERVVLGATVM illud Philoſophi dictum, *Naturaliter homo ſcire deſiderat*, ab alio eiuſdē axiomate fluit, *Omnia appetunt bonum*; quia ipſa ſcientia qua intellectus humanus (qua maxime ex parte a brutis homo differt) purificatur, magnū quoddam hominis bonum eſt. Sed quum *ſcire ſit per cauſas cognoſcere*, cauſarum cuiuſq; rei notitia, bonum quoddam delectabile atque illuſtre videtur. Porro earum rerum cauſas cognitas & exploratas habere, quæ vel publicum vel priuatum bonum concernunt,

 non

non delectabile tantum atque illuſtre, ſed & vtile inprimis ac fructuoſum bonum eſt. Iam quum bonum publicum aut priuatum nihil propius attingat quàm malorum depulſio, quibus aut in communi aut in particulari laboramus, profecto malorum & calamitatum communium aut priuatorũ cauſas & rationes compertas tenere, non delectabile tantum atque vtile, ſed & bonum quoddam maximè neceſſarium apparet. Cognitis enim malorum cauſis, remedia cognoſcuntur; certè ignoratis cauſis cognoſci remedia non poſſunt. Aliquid igitur hodie in hac ſacræ & ſupremæ ſcientiæ ſchola dicturus, quod in ipſa ſacrarũ rerum ſcientia vel delectationẽ vel vtilitatem vel vtrunque adferat, operæ præcium duxi de malorum cõmunium & publicorum cauſis aliquid dicere. Mala autem cõmunia & publica quum varia & multiplicia ſint, ea tantùm attingere oportet quæ cum ſacrarum rerũ quas profitemur ſcientia aliquid coniunctũ habent, ne videlicet ſutor quod dicitur vltra crepidam. Sunt autem duo maximè hoc tempore mala, duo Chriſtiani populi flagella, duo contra Dei cultum, Eccleſiæ pacem, fidelium pietatem pernicioſa & horrenda facinora; quæ etiam ſimul ac pariter creuerunt: quorũ cauſas cognoſcere nec iniucundum nec inutile, imò neceſſarium eſt. Hæreſi vnum malum eſt, Magia alterum.

alterum. Hæreticorum agmina, poteſtas, vires, quantum ab annis plus minus 80 creuerint, quantas & quam nobiles huius Europæ noſtræ prouincias hæretici occupent; & in eis vel dominentur, vel libere graſſentur, neminem hic præſentem latet. Magia quoque quam late pateat; quàm omnia pene Chriſtianorum loca in Germania, Gallia, Hiſpania, Italia, Anglia, in hoc Belgio, Magorum, ſagarum, maleficorum plena ſint, quàm innumera mala intulerint, & inferant quotidie, non priuatis tantum hominibus ſed & pagis alicubi ac totis ciuitatibus; quot modis noceãt, quantam fidei quoque ac religionis in Deum iacturã ac ſtragem ediderint, quàm innumeri deſerto Deo diabolicis cultibus per vnam magiam ſeſe cõſecrauerint, non eſt id fortaſſe ita ſingulis hic præſentibus notum atque compertum, doctum tamen neminem vel in Repub. verſatum latere poteſt. Sane contra hanc peſtem tam in Germania & Italia quàm plurimi, quos in vnum volumẽ duobus tomis diſtinctum collegit Iacobus Spreuier Inquiſitor cui titulum dedit, *mallens maleficarum*, & poſt eum Petrus Binsfeldius de confeſſionib. maleficarum, & Petrus Tyręus de apparitione ſpirituum, quàm in Hiſpania Leonardus Vair Doctor Theologus libro *de Faſcinis*, & in Gallia Petrus Fœrius *de Spectris*, Bodinus de dœmonomania & alij complures in Suetia & Liuonia, vt Paulus Griſlandus, Olaus, & Ioã-

Scriptores variarum gentiũ cõtra magos.

nes magnus hoc noſtro ſeculo ſtudioſè ſcripſerunt. Quotidiana etiam pene experientia, frequentia de magis iudicia, & ſumpta ſupplicia, imo artis magicæ ſcholæ clancularię alicubi erectæ & ſtudia à multis ſuſcepta quã vulgare hoc malum ſit, & quàm in omnibus prouincijs etiam huius Belgij plus minus graſſetur, clara voce loquuntur. Libet igitur hoc loco ac tempore paucis inquirere (neque enim multa dicere tempus patitur) cur & quam ob cauſam cum hæreſibus horum temporum tam varijs, tam atrocibus, ira latè diffuſis, creuit etiam latéque diffunditur magia: cur tantam diabolo poteſtatem hoc noſtro ſeculo Deus permittat, vt præter atrociſſimas hæreſes quibus Eccleſia & corpus Chriſti dilaceratur, Dei cultus & timor excutitur, imò nomen eius & Sacramenta plaſphemantur, tanta ſit prætcrea magorũ, ſagarum, Strygum, lamiarum maleficorum copia, qui ſeſe diabolo manciparunt, Deum, Chriſtum, & ſacramenta eius penitus abrenunciauerunt.

Quæſtio propoſita.

Chriſtus ſane Redemptor noſter inter alia humano generi collata beneficia, Diaboli in homines poteſtatem penitus ſuſtuliſſe videtur. Dixit enim & veriſſimè dixit, inſtante iam beatiſſima morte qua mundi redemptio fieret. *Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius mundi ejcietur foras.* Quæ verba docent non quidem omni ſua poſſeſſione excidiſſe diabolũ, (nam & paulo poſt Apoſtolus de eo dixit, *operatur*

Ioann. 12. 2. Tim. 2.

operatur in filijs diffidentiæ, adeoque, *captiuos eos tenet ad ſuam voluntatem*) ſed certè ab omni legitima poteſtate, quam abſque Chriſti gratia in homines peccatores habet, quia per Chriſtum iuſtificatis, vel in minimo nocere non poteſt, niſi ipſi ſua ſocordia ab illo ſe lædi & vexari patiantur; Vnde illud D. Iacobi, *Reſiſtite diabolo* Iac. 4.
& fugiet à vobis: & vt ſcribit B. Ioannes, *Apparuit* 1. Ioan. 2.
Chriſtus vt diſſoluat opera diaboli; vt errores & peccata, falſos & impios cultus, toto penitus orbe exterminaret. Quod quidem primo poſt Chriſtum ſeculo ita glorioſè factum eſt, vt tametſi adhuc idololatræ toto orbe imperarent; tamen tum ipſa idola obmuteſcerent, nec fallacibus reſponſis amplius illuderent, de quo ipſimet ethnici cum ſumma admiratione conqueſti ſunt; (Plutarchus in lib. de deficientibus oraculis, & apud Euſebiũ Porphyrius ipſe acerrimus Chriſtianorum hoſtis) tum ipſis dæmonibus vulgus Chriſtianorum vel ora obturarent, vel quamlibet veritatem extorquerent: de quo eleganter Tertullianus in Apologetico. Reges ac Principes mundi ido- Cap 23.
lolatras alloquens. *Ædatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris quem dæmone agi conſtet: Iuſſus à quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille tam ſe dæmonem confitebitur de vero quam alibi Deum de falſo. Æque producatur aliquis ex ijs qui de Deo pati exiſtimantur* (vates ac diuini eorum) *niſi ſe dæmones confeſſi fuerint cuilibet Chriſtiano mentiri non audentes, ibidem illius Chriſtiani ſanguinem procaciſſimè fundite. Iam*

ergo ſubiecta eſt Chriſtianis diuinitas veſtra. Hanc Chriſtianorum de dæmonibus victoriam, & hoc in illos imperiũ ad maximam infidelium confuſionem latè admodum tractant vetuſti ſcriptores, non ſolum vno aut altero poſt Chriſtum ſeculo, vt *Iuſtinus martyr* in oratione ad gentiles, & *Athenagoras* in Apologia pro Chriſtianis; ſed & tertio ac quarto ſeculo, *Minutius felix in Octauio*, *Cyprianus* in libro de idolorum vanitate, epiſt. 2. ad Donatũ & maximè contra Demetrianum, *Lactantius* Diuinarum inſtitutionum lib. 2. cap. 15. & ſeqq. *Euſeb. Pamphili* de preparat. Euangelij lib. 4. 5. & 7. ac Demum D. *Auguſtinus* libro 8. de ciuitat. Dei cap. 19. Denique eo poteſtatis genere ſe ſpoliatum videns dæmon, vt religione Chriſtiana incrementum indiés capiente, ab hominibus amplius per vlla ſacra et ſacrificia in quamplurimis orbis partibus non coleretur; nouũ ſeductionis genus aggreſſus, fidem in vnum Deum quàm tollere non potuit, contaminare contendit; & ſub nomine Chriſtiano hæreſes introduxit; vt hæreticos propterea in prima ſtatim euangelij herba ſua zizania ſuperſeminantes, *Miniſtros Satanæ* Apoſtolus vocauerit. Quare idolis gentiũ per Euangelij lucem abolitis, Chriſtianorũ hæreſes diaboli fraude inductas ſucceſſiſſe, & ea demum via ſuam ex obliquo in homines potentiam diabolũ vindicaſſe, grauiſſimi & ſapientiſſimi Eccleſiæ Chriſtianæ doctores diligenter annotarunt.

2. Cor. 11.

Cypria-

Cyprianus in libro de vnitate Eccleſiæ. *Auguſtinus* de Ciuitate Dei lib.18.cap.15. *Chryſoſtomus* in Matth.hom.48.operis imperfecti. *Eſt quippe iſte alius quidam ſimulachrorum cultus* (ait Auguſtinus in libro de vera religione) *idemque deterior & inferior, quo phantaſmata ſua colunt homines, & quicquid animo errante cum ſuperbia vel tumore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine obſeruant.* Cap. 38. Quem quidem & intellectus errorem & voluntatis tumoré illo ſuggerente & inſtigante acceperunt, *qui operatur in filijs diffidentiæ*, quos *ad ſuam voluntatem captiuos tenens*, huc illuc impellit, ab errore in errorem trahit, *proficientes in penis, errantes & in errorem mittentes.* Ephef. 2. 2.Tim. 2. & 3. Et quidem omnibus poſt Chriſtum ſeculis hanc per hæreticos ſeductionem ac nocendi libidinem exercuit diabolus Deo ita permittente vt in omni ætate *manifeſti fierent qui probati ſunt* in domo Dei, vt paleas à tritico, armidines à fixis ac robuſtis arboribus, denique ædificantes ſuper arenam ab ædificantibus ſuper firmam petram, hypocritæ à fidelibus diſtinguerentur ac dignoſcerentur. 1.Cor. 11. Alias quoque nocendi artes per maleficia, per incantationes magicas, per diuinationes, per ſortilegia, ſeculis quoq; ſuperioribus (vt ſuperiorum Pontificũ atque Imperatorũ decreta & maiorum noſtrorum ſcripta nos docent) hoſtis ille humani generis & aduerſarius noſter ſuggeſſit, docuit, exercuit. Sed vt ab annis iam mille nulla hæreſis aut tot prouincias ac regna peruagauit, aut in

tam multa peſtilentiſſimorũ dogmatũ capita ſe diffudit, quam hæc noſtri temporis hydra, velutique omnium putidiſsimarum hæreſum lerua;ita viciſſim nullo ſeculo ita creuit magia quàm hoc noſtro:nullo ſeculo vel contra magos ac maleficos tot ſcripta emiſſa, vel tot de illis ſumpta ſupplicia, vel tam crebra magiæ profeſſio quam hoc noſtro; quum in vna Gallia,vt Bodinus ſcribit in libro de dæmonomania, ex confeſſione Treſcalis inſignis magi 300.millia fœdus cũ dæmone ſanxerint.

Magorum in vna Gallia.300000.

At quæ hęc huius duplicis mali (quo aduerſus Deum atrocius nullum) ita pariter ſuccreſcentis ita ſimul propagati cauſa eſſe poteſt? Dicam breuiter,quia niſi pauca dicere hoc tempus patitur. Quemadmodum in terræ fructibus quædam eſt quorundam ea quaſi affinitas ac occulta quædam naturæ cognatio, vt eorũ quotamuis par & ſimilis vel vbertas vel inopia reperiatur, & his proſperè & in magna copia prouenientibus,illi quoq; ſimili abundantia proueniant; (quod de frugibus inprimis ac glandibus agricolæ obſeruant) & quemadmodum morbi qui ex eiſdem cauſis oriuntur poſitis cauſis in effectu conſequuntur; ſic in duobus hiſce diabolicæ operationis fructibus duobus animorum morbis,tanta & tam varia eſt vtriuſque ſimilitudo atque affinitas, ſiue originem,ſiue progreſſus,ſiue finẽ; ſiue intrinſeca ſiue extrinſeca & adiuncta; ſiue damna ſiue remedia; ſiue denique iuſtum

Cauſa cur ſimul creſcant hæreſis & magia

vtriuſq;

vtriuſq; odium atque ſupplicium conſideres, vt ea ſimul ſucceſcrere, pariter propagari, pari paſſu atque impetu hominum animos occupare minimè mirum videri debeat. Hanc variam vtriuſque ſimilitudiné & cognationem dũ breuiter percurro, diligenter quæſo quod facitis aduertite; ſimulq; ex iſta obſeruatione quanta animarum peſtis, quàm execranda & abominanda rei hęreſis ſit, attentè perpendite; quando artes magicas ipſo ſtatim audito vocabulo nemo non Chriſtianus exhorret, & veluti certum diaboli cultum toto pectore execratur. Cauſæ explicatio.

Hæreſes omnes authore Satana in Eccleſiam inuectas iam ex iĳs quæ diximus intelligi poteſt. Magia de qua hic loquimur nec artificialis aliqua quæ per quædam μηχανήματα induſtria humana à circulatoribus & funanibulis exercetur, nec naturalis illa quæ virtute alicuius cauſæ naturalis ſed occultæ operatur, (cuius vtriuſque exempla profert Auguſt. de Ciuitate Dei lib. 12. cap. 8. & non niſi impropriè hoc nomen habent) ſed illa quæ propriè diabolica eſt, & quæ in Scripturis damnatur Leuit. 20. & Deuter. 18. adeo diabolũ authorem habet, vt iſtud qui negat, *eum Scripturis repugnare* rectiſſimè affirmet D. Auguſt. de Ciuitat. Dei lib. 21. cap. 6. vbi & ait, *magos à diabolo aſtutiſſima calliditate ſeduci, vel inſpirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitĳs apparendo*: quod totũ de hæreticis compertum 1. Cognatio ab origine eadẽ.

 eſt.

eſt. Ita hac in parte ſimilem originem tenent.

Cæterum ſimilis vtriuſque origo ex cauſis ſimilibus quas vtraque habet multo clarius eluceſcet. Hæreſis vna cauſa eſt vita carnalis & abiectus Dei timor. Vnde Apoſtolus: *non habentes conſcientiam naufragauerunt à fide*: & reprobos circa fidem deſcribens, ait eos eſſe *voluptatum magis amatores quam Dei*: Modernæ hæreſes adeo voluptatem ſectantur, vt omnem carnis mortificationem, ſtata ieiunia, cælibatus votum aut vſum exhorreant. Alia hæreſis cauſa odium Eccleſiæ & præpoſitorum eius, quod tam acre & acerbum eſt vt ſuos monuerit VVicleff hereticorũ hodie ἀρχηγέται: odium quo diabolũ proſequi ſolebant in clerum & Eccleſiam conuertere teſte Thoma VValdenſi Doctrinę fidei. libro 2. cap. 16. Alia adhuc hæreſis cauſa, inquieta quædam & ſuperba curioſitas eſt, omnia ſuo iudicio perſcrutari, maiorum authoritati nihil deferre, fidei ſimplicitatem abijcere, aſtutia & audacia omnia perrumpere. Vnde hæreſim Apoſtolus vocat *prophanas vocum nouitates, & oppoſitionem falſi nominis ſcientiæ*. Nihil ſibi turpius ducit hęreticus quam ſapere more maiorũ. Ex ijſdem cauſis orta & propagata eſt Magia. Fædiſſimi homines incubos & ſuccubos admittunt, nocturna conuiuia, nocturnas libidines in remotiſſima abducti loca, exercent; & huiuſmodi maximè illecebris ad diaboli cultũ plęrique alliciuntur. Alios odio proximi exacerbatos

2. Ex cauſis eiſdem naſcuntur.

1. Tim. 1.

2. Tim. 3.

1. Timo. 6.

batos Satan aggreditur & vindictam paratam oſtendens, maleficos in ſui cultum ac venerationem adducit. Iſti frugibus, pecoribus, ipſiſque hominibus ex priuato quodam odio ac nocendi libidine innumera damna inferunt. Sic Saul ex odio Dauidis à ſpiritu nequam correptus eſt. 1. Reg. 16. Curioſitas adeo propria magiæ mater ac parens eſt, vt qui magię operam dederunt, B. Lucas apta μεϊώσαι *curioſa ſectantes* vocet, Act. 19. vbi & Syrus interpres חרשא vertit, quod propriè *Magos* ſignificat; Vnde & B. Auguſt. *per dæmonum fallaciam illudi curioſitatem humanam* ſcribit, *quando id impudenter appetunt ſcire quod nulla ratione eis cõpetit inueſtigare.* Cauſ. 26. q. 5. ca. fin. Deniq; omnes illæ magię ſpecies, Necromantia, Gæomantia, Hydromantia, Æromantia, Chiromantia, Augurium, Sortilegiũ, Spatulantia, & alia ex vna curioſa & vana obſeruatione naſcũtur. Eſt ergo ex cauſis ſimilibus ſimilis vtriuſque origo, hæreſis ac magiæ.

Videte nunc vt progreſſus vtriuſque conueniant. Sane ſi rectè aduertimus, iiſdem plane vijs ac veſtigijs inſiſtit Satan; ſiue ad hęreſim ſiue ad magiam hominem pelliceat. 3. Similis vtriuſque progreſſus. Sine aliquo fidei dogmate pertinaciter abnegato nemo hæreticus fit. Qui magiæ ſe deuouet, Catholicã ſuam fidem vel in toto, vel ex parte ſacrilego ore abnegare debet, vt experientia compertũ in omnibus eſſe docet mallens maleficarum part. 1. q. 2. Repertæ quippe per inquiſitores maleficæ ſunt quæ omnes fidei

articulos

articulos abnegauerant, quædam vero certo in numero; vt idē tradit author part. 1. q. 14.
Nota. Porro ſicut in omni actu magico fidei contumelia exercetur, quia expectatur à dæmone quod à ſolo Deo expectari debuit; ſic in omni doctrina ac prędicatione hæretica fides læditur, quia quęritur veritas à diabolo eiuſq; miniſtro quæ à ſolo Chriſto eiuſq; Eccleſia quęri debuit. Iam vt cuiuslibet ſectę hęretici ad vnam Catholicam fidem oppugnandam & ſolos Catholicos ſeducendos optimè inter ſe conueniunt, ſic dęmones ad hominem fortius ſeducendum inter ſe colludunt, & à ſeſe inuicem expelli patiuntur, *quod quum ſit non tam exit Satan* (ait B. Auguſtinus) *quàm in intima hominis ingreditur, quia etiam ſi corpori aut corporis ſenſibus parcit, ideo parcit vt ipſius hominis voluntati per impietatis errorem maiori triumpho dominetur.* Hęc ille. Lib. 83. qq. q. 79. Perrò vt hęreſis à paruis incipit, vt ad grauiora alliciat; à ceremonijs ad ſacramenta, à ſacramentis ad maiora doctrinę capita, deniq; ab illis ad Symboli ipſius mutilationem (ſic enim deſcenſum Chriſti ad inferos expreſſè negat) eodem modo magia. Accepto in pecore vel agris notabili damno ruſticus ſuſpectam maleficam conſulit. Promittitur remedium promptū ſi vel vni ſpiritui aliquid promittere velit. Rogata malefica quid id ſit, reſpondet parum id eſſe, dummodo circa certas obſeruantias tempore Diuini officij in Eccleſia, magiſtri ſui conſilio acquieſcere velit.

lit. videl. vt ſacerdote ad altare ſtante aliquò leui ſcommate eum irrideat; vel finita confeſſione aliquid ridiculū proferat. Hoc perſuaſo ad grauiora paulatim inducitur donec totam fidē abnegauerit. Sic rem narrat mallens maleficarum part.2. q. 1. ca.1. Nempe vt hic progreſſus Satanicus paulo clarius eluceat, aduertendū pręcepta magorum & hæreticorum prorſus eadem eſſe, vt vel ad hæreſim vel ad magiam miſeri mortales inducantur. Pręcepta prima diaboli ijs qui ſe illi deuouent hęc ſunt. Signo crucis ſe nunquam munire. Venerabilem Euchariſtiam nunquam adorare, ſed vbi ea oſtenditur caput dimittere: calcare crucem vbi latenter poteſt. diebus dominicis ieiunare, ſextis ferijs carnibus veſci, in confeſſione certa crimina celare. Hæc de maleficis per experientiam ſcribit mailens maleficarum par.2.q.1.cap.2. Eadem prorſus eſſe hęreticorū hodie prima pręcepta nemo ignorat; Ex his enim principijs ad magis horrenda tam hæreſis quam magia veluti à titubatione ad pręcipitium trahunt. Quo in genere nec illud omittendum; ſicuti hęretici ad vnum omnes Beatiſſ. Virginem Dei matrem nullo honore dignantur, de multis accuſant, in vulgarium muliercularū ordinem cogunt, ſic etiam vnum diaboli pręceptū ſuis nouitijs eſt, *vt extenſam mulierem* (ſic enim Beatiſſ. Virginem deabolus nuncupat vel ab ipſo B. Mariæ vocabulo abhorrens non ſecus quā à nomine

4. Magorū & hæreticorū præcepta eadem.

à nomine Ieſu) *nullo modo venerentur*, teſte eodẽ authore loco iam deſignato. Et progreſſus quidem vtriuſque tales: qui etiam adhuc in alijs multis conueniunt. Sed omnia hic dici non poſſunt. Vnum illud adijciam: Sicut ars magica vt fortius præualeret medicinam & matheſim ſibi colligauit, medicorum & mathematicorum pręceptis ſe adiuuans, arteſq; & ſcientiam profeſſa, vt primus magus Zoroaſtres idem mathematicus & medicus maximus extiterit, & hoc duplici nomine maximam apud homines commendationem nacto, incrementum in orbe acceperit maximum, quod late docet Plinius natural. hiſt. lib. 30. ad eundem modum hęretici moderni, politiori literatura & linguarũ notitia Scripturarum lectioni coniunctis, magnam hoc nomine apud imperitos ac rudes gratiam & authoritatem nacti, ad ſeducendos populos plurimum valuerunt. Iam verò ad eundem finem hæreſim ac magiam tendere, vno tantũ verbo notare ſufficiet. Vtriuſq; finis notiſsimus apoſtaſia & infidelitas eſt. Magia Chriſtũ & baptiſmum ſuum diſertis verbis abnegat. Hæreſis Chriſti corpus quod eſt Eccleſia & ſacramentorũ communionẽ tam factis quam doctrina non minus perſpicuè abrenunciat. Ad idem perditionis barathrum vtraq; pertrahit. In vtroque ſimile pactum cum ſuis aſſeclis ſtatuit Satan, quale cum filijs Iabes Galaad Ammonitarũ Rex Naas qui ſerpentem interpre-

5. Idem vtriuſque finis.

interpretatur. *In hoc* (aiebat) *feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrum oculos dextros*, qui 1. Reg. 11.
fidem in homine propriè ſignificant. Sed & quędã ſunt vtrique peſti tam intrinſeca quã extrinſeca mala protſus communia. Vtrique intrinſecum eſt, quod ſicut in arte magica effectus ipſius mirabiles nec magorum ipſorum intellectui, nec artificialibus quibus vtũtur, vt figuris, imaginibus, incantationibus tribuendi ſunt; ſed ab intellectu ſeparato, ab ipſo dæmone, efficiuntur; ſoluſque dæmon totum operatur, (quod bonis argumentis oſtendit Bernardus Baſinius in tractatu de artibus magicis, propoſit. 5.) ſic & tanta hodie populorum ſeductio per hæreticos facta, per ipſorum hæreticorum nec eruditionem nec eloquentiam, nec aſtutiam, nec nequitiam accidit; ſed per ipſum Satanam cuius miniſtri ſunt, & qui operatur in illis. Quod vt melius aduertatur, intelligendum eſt, magiam & hæreſim non niſi in idem ſubiectum cadere, non niſi in homines vel voluptatum amatores & carnales, vel inſtabiles in fide & nouitatis auidos, vel liuore & odio in tranſuerſum raptos, quos omnes vno verbo filios diffidentiæ *υἱοὺς τῆς ἀπειθείας* Apoſtolus vocat. Hi enim omnes amittentes confidentiam in Deum, & vt poſtea Apoſtolus addit, *Deſperantes tradiderunt ſe impudicitiæ* ſeu impudentiæ & contumaciæ, *τῇ ἀσελγείᾳ*: vt omni abiecta Dei reuerentia ac timore, & affectibus ſuis toti indulgentes, facillimo

6. Magiæ & hæreſis intrinſeca cõmunia.

Epheſ. 2.

Epheſ. 4.

cillimo tractu vel in hæreſim ac falſas de Deo doctrinas, vel in magiam & diaboli cultum dilabantur: vt ſic in vtriſque diabolus operetur quod volet; captiuos eos tenens ad ſuam voluntatem. Hoc vtrique huic peſti intrinſecum malum eſt. Habent & aduentitia atq; extrinſeca non ſecus communia. Proprium vtrique eſt ſuas artes & maleficia occultare, quod vt fiat, vtrique *diuinis contra diuina vtuntur*, vt grauiter annotauit Dionyſius Areopagita aduerſus apollophanem philoſophum & adhuc incredulum. *Hæretici per verba legis legem impugnant*; ait S. Ambroſius in comm. ad Titũ 3. & *Scripturas bonas non bene intelligentes doctrinam veritatis faciunt materiam erroris*. Non ſecus ars magica illa maximè quæ in incantationibus & necromantia verſatur, ceremonijs diuinis ac verbis religioſis, imò *ipſo Chriſti nomine*, (vt cõmemorat S. Auguſtinus tract. 7. in Ioann.) *abutitur*, vt ad ea quę expetit vel cognoſcenda vel exequenda perueniat. Imo ſicut hæretici *per dulces benedictiones ſeducunt corda innocentium*; & primum blanditia poſtea vi & armis vtuntur primam vocem efferunt, *fidem liberam eſſe & neminem ad eam cogi oportere*, poſtea Principem fauentem nacti vel ad rerum ipſi gubernacula ſedentes omni acerbitate ad ſuas hæreſes compellunt, (quod vna noſtra infęlix Anglia, luculenter nimis docuit, docere quoque incipit Hollandia:) ſic omnino magi, incantatores, necromantici, primum ſupplicibus

7. Magiæ & hæreſis extrinſeca communia

Auguſt. de Gen. ad lit. lib. 7. ca. 9.

Rom. 16.

bus vocibus dæmonẽ inuocant cuius auxilio vti volunt: Cum autem inuocatus venerit; imperant ei quæcunque volunt, vt ex illius artis libris manifeſtum fit: ſuos quoque nouitios blandiſſimè dæmon alloquitur, omnem rerum affluentiam ac licentiam promittens, quos poſtea vel minimum circa obſeruantias præſcriptas delinquentes acerrimè caſtigat & ſub magiſterulo quodã arctiſſimo diſciplinæ iugo obſtrictos tenet: cuius exempla prorert malleus maleficarum.

Quid quod ſicut magi ipſos oculorum ſenſus decipiunt vt lupi & feles videãtur, qui homines malefici ac maleficæ ſunt, ſic hæretici argumentis probabilibus & fucata pietate, ſic animum & intellectum decipiunt, vt *Angeli lucis* eſſe videantur qui *miniſtri Satanæ* ſunt, verbum Dei prædicare putentur, qui non niſi verba Satanæ docent. Quare hoc vtriq; hinc peſtifero malo cõmune eſt, quod & difficulter vtrumque cognoſcitur, & probationis difficultas in vtroq; par ac ſimilis eſt. Nã vt magia artificialis ac naturalis, difficulter ſępius à diabolica ſecernitur, vt idcirco vel arti vel occultis naturæ cauſis id homines graui errore tribuant, quod ſola dæmonis operatio eſt; ſic hæretica dogmata ab orthodoxa & ſana doctrina propter quandam falſi cum vero in permultis affinitatem diſcernere ac d i udicare paucorũ & res ardua eſt:& id pro verbo Dei, pernicioſo errore homines amp e [illegible] ntur,

8 Vtriuſq; diſcernendæ par difficultas.

B quod

quod non Dei verbum ſed Lutheri, Caluini, aut cuiuſquã alterius verbi diuini deprauatio eſt. Hinc vero alia vtriuſque ſimilitudo deprehenditur. Nam vt hæreſis ideo creuit quia quum primo ſerpſit contempta & neglecta eſt, vel quia non hæreſis ſed de rebus leuiuſculis altercatio viſa eſt, vel quia non tanta peſtis videbatur vt aut per ſe noxia foret aut in cõciuibus & amicis tolerari non deberet vel quia non vera hæreſis ſed reformatio quędam ſuperſtitionum; Sic plane magia ideo in immenſum creuit, vel quia damna à maleficis illatá non credebantur eſſe vera, vel quia in viliſſimis perſonis hac magica arte deluſis contemnendam hanc rem eſſe cenſebant, vel denique quia incantationes magicas & cõmercia illa diabolica vana tantum eſſe phantaſmata non verã aliquam Satanæ operationẽ prorſus ſibi perſuadebant. Quod adeo verum eſt vt non defuerint noſtro tempore viri alioqui eruditionis nomine celebres, qui legem illam duodecim tabularum, *Qui fruges excantaſſet, pœnas dato*, &c. veluti ab ethnica tantum ſuperſtitione profectam penitus explodendã cenſuerunt, vt Ioann. wierius in libro de Lamijs cap. 12. & de præſtigijs dæmonum libro 6 cap. 27. Item Georgius Godelmanus lib. 2. de lamijs cap. 6. num. 17. quos refutat diligenter Petrus Binsfeldius comment. in tit. Cod. lib. 19. de maleficis & mathematicis ad l. 4. q. 4. in concluſione reſponſiua. Sed & Auicenna alijque

alijque Naturaliſtæ eodem errore laborarunt, quos Petrus Loerius libro 1. capite. 2. de ſpectris, refutat.

Attamē ſicuti ad magiam diabolicam à naturali diſcernendam (artificialis enim facile diſcerni poteſt, demonſtrata ipſa arte eiuſque regulis ac principijs) hæc vna regula obſeruari ſolet, quod ſi ad effectum aliquem mirabilem eliciendū nullæ omnino ceremoniæ aut obſeruationes adhibentur, ſed ſola rerum naturalium applicatio, effectus procul dubio naturalis eſt; ſin verò certis ceremonijs & obſeruationibus vti oportet, res admodum ſuſpecta eſt, pactum aliquod cum dæmone ſubeſſe, ſaltem implicitū; eodem modo ad hæreſes ab orthodoxa doctrina aliquo modo diſcernendas hęc vna regula obſeruari debet, ſi nulla in dogmate nouitas, nulla in docente ſingularitas deprehendatur, ſana erit & communis ac recepta doctrina: ſin aut dogma ipſum nouum, prophanum, inauditum; aut is qui docet nulla legitima authoritate fungi deprehenditur; res admodū ſuſpecta eſt, aut manifeſta tamen eſſe hęreſim quod docetur, aut ei admodum affine. 9. Vna ad vtriuſque generalem probationē regula.

Alioqui in certa & perſpicua vtriuſque probatione eadem difficultas occurrit. Quum enim contra omnem Satanæ operationem dictum ſit, *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*, tam in hæreſi quam in magia triplex eſt probatio, doctrinalis, experimentalis, & ex officio. 10. Vtriuſq; perſpicua probatio æque difficilis 1. Ioan. 4.

B 2 Illic

Illic Exorciſtæ, hic Paſtores. Illic artiũ magicarum, hic diuinarum Scripturarum cognitio. Vtroque autem experimentalis per internũ guſtum & inſpirationẽ intimam de qua Paulus dixit. *Spiritualis omnia diiudicat.* De hac triplici probatione quo ad magiam, latè diſputat Ioannes Gerſon in tractatu de probatione ſpirituum.

1.Cor. 2.

11. Alia vtriſque cognata.

Sunt adhuc alia leuiora, in quibus ad amuſſim hæretici & magi veluti Satanæ gemelli filij conueniunt. Simili quippe prorſus modo aliquando vera dicunt tam hæretici, quàm magi, vt in ijs quæ falſa ſunt ad credendum inducant. Simili modo pugnantia & contradictoria affirmant. Simile commercium Archihæretici cum diabolo habẽt quod vulgares magi, Lamiæ, ſtriges, maleficæ, & alia id genus portenta. Teſtis hac ætate Martinus Lutherus, de quo ipſemet gloriatur in lib. de angulari miſſa, & Zwinglius qui id ipſum quoque non diſſimulat. Melanchton quoque in lib. de anima varia ſibi ſpectra apparuiſſe ſcribit, quibuſcum varios etiam ſermones contulit. Refert Petrus Lœrius lib. 2. cap. 4. de ſpectris. Denique adeo affinia & coniuncta hæc duo ſunt, vt & necromantici & diuinatores & malefici propriè dicti aliqua frequenter hæreſi laborent. Necromantici credunt poſſe Dæmonem prædicere futura, quæ à libero arbitrio vel à caſu pendent. Diuinatores in canonibus ſæpe vocantur hæretici.

tici, diſtin. 26. q. 5. can. Epiſcopi & q. 7. can. Non obſcruentur. Malefici adorantes Dęmonem aliquam Dei proprietatem & conuenire frequenter exiſtimant, profitentur ſæpe etiam ex animo aliquos in fide errores id exigente Dæmone; abutuntur rebus ſacris, credentes ineſſe illis virtutem ad effectus malos; quæ omnia hæreticæ perſuaſiones ſunt. Tandem propter ſummam vtriuſque ſceleris coniunctionem, tum ſimilibus pœnis iuxta canones afficiuntur, vt latè probat Petrus Binſfeldius, in comm. in titul. Cod. lib. 9. de maleficis & Mathematicis ad leg. 5. q. 1. concluſ. 3. tum eiſdem remediis vel vitatur, vel curatur vtraque peſtis. Quum enim in vtroque flagitio diabolus cooperetur, & ex cauſis ſimilibus; vt iam oſtenſum eſt; quum Satanæ in vtroque idem finis ac ſcopus ſit, vt ad fidei abnegationem inducat; Verum, validum ac plenum contra vtramque peſtem remedium eſt, *Scutum fidei aſſumere, in quo poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Vnde & D. Petrus. *Cui reſiſtite fortes in fide.* Non enim operatur ſiue per hæreſim, ſiue per magiam Diabolus, niſi in filijs diffidentiæ. Arripiendum ergo B. Auguſt. conſilium. *Quanto* (inquit) *in hac ima poteſtatem Dæmonum maiorem videmus, tanto tenacius mediatori Chriſto eſt inhærendum, per quem de imis ad ſumma conſcendimus.* Hęc ille.

11 Idem vtriuſque remedium

Epheſ. 6.
1. Petr. 5.

De Ciuit. Dei lib. 18. cap. 18.

Quibus ita explicatis, ad quæſtionem propoſitã cur ita cum hæreſibus creuerit magia,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

vno verbo reſponderi poteſt,quia non ſumus fortes in fide: quia hæc illa tempora ſunt in quibus *adueniens filius hominis, vix inueniat fidem ſuper terram.* Nomine tenus Chriſtiani ſumus. Inſtabiles in fide circumferimur omni vento doctrinæ. Infirmi ac debiles in fide Dæmonũ maleficijs ſubijcimur. Nulla magorum incantamenta, nullę pręſtigię, vel in minimo quenquam læderent, ſi fortis adeſſet fides. Vultis huius rei illuſtre exemplum audire? Narrat id Ioan. Gerſon in tractatu de erroribus circa artem magicam part. 1. Philippo tunc Regi Francorum allata cerea imagine quæ ab aliquo malefico ita execrata dicebatur, vt ea igne conſumpta Rex quoque moreretur, Rex fidẽ plenus, videbimus, inquit ſi potentior erit Dæmon ad me perdendum, quam Deus meus ad me conſeruandum: & hæc dicens, imaginem ceream in ignem proiecit, ſanuſque & illæſus permanſit. Non abſimile fide doctor quidam in Anglia Theologus, Ioãnes Chedſens nomine, noſtra ætate vſus eſt. Rogatus in publico diuerſorio Londini vt præſtigiatorem cerneret, qui inter alia mira annulos è digitis etiam compreſſa fortiter manu ſolius artis ſuæ beneficio diuellere ſciret, eorum dementiam qui id eum facere poſſe crederent grauiter increpans, vocat præſtigiatorem, iubetque ſi poteſt annulũ quem digito ferebat, ſola ſua arte vſus illi abſtrahere. Id quum pręſtigiator modis omnibus conaretur, Doctor fide

Luc. 18.

Exemplum illuſtre.

fide plenus, digito extento, hæc verba clara voce pronunciabat: & identidem repetebat, *Sine ipſo factum eſt nihil.* Quo vno verbo firma fide prolato, omnis præſtigiatoris conatus irritus factus eſt: qui & miſerum in modũ vexatus prius liberari non potuit, quàm venia petita crimen artis magicæ profiteretur, & pœnitentiam polliceretur. Adeo ſolius fidei defectus, vera & potiſſima cauſa eſt cur ita in immenſum præualeat hodie magia. Ex eiuſdem defectu præualere hæreſes per ſe clarum & compertum eſt, quum hæreſis nihil aliud ſit quàm veteris fidei in aliqua parte abnegatio, & nouæ perfidiæ profeſsio.

Concluſio.

Tanta ergo quum vtriuſque ſit affinitas, tanta & tam varia cognatio, rectiſsimè colligemus, Chriſtianum hominem non eſſe, qui vtrumque flagitium hæreſim ac magiã ſimili odio non proſequatur, pari deteſtatione non exhorreat. Sicut cum magis ac maleficis commercia habere, pacẽ facere, matrimonia inire, omnia Chriſtianus abhorret; non ſecus non cũ hæreticis eadẽ cõmercia repudianda ſunt. Sicut magos publica authoritate arcemus, ciuitate pellimus; atrocibus pœnis afficimus: eodem ſtudio ac vigore in hæreticos vti oportet. Sicut magicæ artes, earum profeſsio aut libri apud Chriſtianos nuſquã tolerantur, ferro & flamma excindũtur, idem de hæreticis ſtãtuendum eſt. Deniq; ſicut magi ſunt infames ipſo iure Cauſ. 2. q.8. cap.3. & cauſ.6. q.1. can.

infames; ſic & hæreſis nota, cum ſumma infamia coniuncta cenſeri debet. Poſtremo, ſicuti Principi mago ac malefico nemo ſanus ſubeſſe vellet, ſic hæreticorum iugo ſe ſubijcere, ſumma inſania cenſenda eſt. Sane ſicut propter magos & maleficos veterem populum atrociſsimè Deus caſtigauit, vt patet Eſaiæ cap. 47. ſic propter graſſantes hęreſes multorum annorum prolixæ, & variarum calamitatum acerbiſſimæ caſtigationi Chriſtianorū Prouinciæ ſubiectæ fuerunt, ac ſunt. Victoria quę vicit mundum, Chriſtianorum fides olim fuit. Strages & clades immenſæ quas hodie cum mundo patimur, Chriſtianorum perfidia eſt. Ideo ſoluitur noſtro tempore Diabolus, vt iterum ſeducat gentes. Ideo creſcit cum magia hęreſis, & cum hęreſi, magia.

CHRISTIANÆ DOCTRINÆ aduerſus omnes hęreſes tenendę fundamentum, quale, & ab ipſo hęreticorum experimento, quàm neceſſarium.

Oratio in Veſperis Doctoralibus Louanij habita, 18. Nouembris. 1595.

NATVRA compartum videmus, vt quæ in magnam altitudinem arbores ſurgunt, aut denſo robore conſtant, aut frequentes palmites latè diffundūt, eo radicem in terra & profundius agant, & copioſius dilatent; tum vt alto fundamento

a

mento nixæ, aduerſus tempeſtates omnes, riſq; iniurias, immotę & integræ ſubſiſtant; vt ad vaſti corporis brachia ac partes vnirſas neceſſario ſucco alendas, vberius nutrientum è terræ viſceribus hauriant. Fxẽplo obis ſunt annoſæ quercus, frondoſæ platanus, & quæ pampius ſuis maxime luxuriat itis: Artis quoque opus demonſtrat, quanto excelſius conſurgit ædificium, tanto fundamentum eius firmius atque profundius eſſe oportere, ne aut ſuper arenam conſtructum, aut leuiori fundamento nixũ, quolibet vento agitatum, quaſi mole ipſum ſua ruat. Porro & ratio ipſa in diſciplinis ac ſcientijs omnibus capeſcendis docet, eas dęmon firmas & certas eſſe, eas & defendi fortius, & explicari certius, & teneri diutius, longaque ſæculorũ ſerie diſcipulos ac profeſſores ſuos habere, quarum ſunt principia certa, firma, & indubitata, ex quibus variæ & inuictæ concluſiones deduci poſſunt: quę autem certis & indubitatis principijs carent, nihil firmum ac validum docere poſſe, cito flacceſſere, cito euaneſcere, cito deſeri atq; deſtitui. Quod igitur natura, quod ars, quod ratio in ſuis obiectis docet, quin idem in religione veraque pietatis doctrina locum habeat, ea maxime religione ac pietatis doctrina, ex qua beati mortales efficiantur, quæ latiſſimè toto orbe propaganda erat, quæ veri ſummique Dei cognitionem & cultum tradit, dubitari non poteſt. Beatitudi-

s, vt rbo- con- s latè ndius o fun- mento

nis humanæ alta admodū & ſublimis quęſtio eſt,cauſamq; tractat in æternum duraturam. Eius igitur tenendæ ac cognoſcendæ fundamentum aliquod inuictum & inexpugnabile eſſe debet, ne vera religio aut falſæ doctrinæ vento veluti arundo leuis ac fragili radice ſubnixa circunferatur; aut qualibet aduerſus veritatem contradictione veluti orta tempeſtate concutiatur;aut deniq; altercatione aliqua veluti Academica incertitudine laborans, tandem amittatur. Tale fundamentum fixum, ſtabile, immotum, certum, liquidum, perſpicuum,excelſum, ſublime, ac diuinum, ſi vera religio non habet; profecto nec diuturna eſſe, nec latè diffundi,nec firma teneri poteſt. Porro ſi tale quid eſt & ignoratur,non minus periclitatur religio. Diſpiciamus igitur,pauciſque inquiramus, vnicæ ac veræ Chriſtianæ religionis quam profitemur, quod & quale fundamentum ſit ad ſanam & veram doctrinam firmiter in ea & infallibiliter tenendam. Fundamentum dico primum illud & infallibile principium quo Chriſtiana religio nititur : quo ſemel habito aut errori locus non erit,aut facilis erit ab errore ad veritatem regreſſus:Qui enim errat ſaluatis principijs per ipſa principia ab errore reuocari poteſt : quo rurſum neglecto, facile in errorē dilabimur, imò ad quoſlibet circa fidem errores apertam ianuam patefacimus, Qui enim errat circa principia,imperſuaſibilis eſt.

Dixerit

Dixerit aliquis. Breuis ad hanc rem reſponſio eſt. Doctrinæ ſacræ ſolus author & magiſter eſt Deus, Ille prima veritas eſt, qui nec fallit, nec fallitur. Eius igitur verbo credendum eſt, vt certam ac liquidam veritatem teneamus. Audio & libens accipio. Sed hoc Dei verbum, vbi ſonat, vbi auditur? Non ſonat (inquies) nec auditur, ſed in Scripturis Diuinitus inſpiratis legitur. Atqui verbum, ni fallor alicuius loquentis verbum eſt. Scripturę igitur diuinę quę niſi Deum habent authorē, tum demum me docent, quando eas mihi aliquis loquitur. Dices mihi. Ipſe Deus tibi eas loquitur quum eas legis. Atqui ſi mihi legēti ſcripturas, Deus illas loquitur, rurſum interrogo, quomodo Deus has mihi ſcripturas loquatur, & diuinas veritates in ſcripturis poſitas, quomodo mihi Deus reuelat, quomodo docet? Nam ex eiſdem Scripturis male intellectis multas falſas doctrinas deduci, & ipſum Diabolum per illas interdum loqui, compertares eſt.

Dei verbū doctrinæ ſacræ fundamentū.

Verbū Dei quis & quomodo loquatur.

Quęro igitur quomodo per ſcripturas Deus mihi loquitur: Intus ne in corde tantum, dum illas priuatim lego ac meditor, an etiam forinſecus creaturę alicuius miniſterio? Si intus in corde tantum, certe ex hac Dei loquutione nulla publica, nulla communis, nulla Catholica fides naſcitur: nulla religionis doctrina quam publice mortales profiteantur, vt in vnum Eccleſię corpus coaleſcūt conſtituitur; ſed

Deus quomodo per Scripturas loquitur.

Deo intus tantùm loquente fides Catholica non generatur.

ſed ſuam quiſque priuatus ſibi tenet fidem quandam, cuius nemo alius ſit conſcius; quam alius nemo, aut ab eo qui recte credidit diſcere, aut in eo qui ſeductus eſt corrigere queat. Deinde certum aliquod & infallibile documentum dari debet, quo quiſque ex Scripturarum priuata lectione certiſſime ſciat ſe Deũ in illis loquentem audiuiſſe, & à Deo veritatem didiciſſe, non à ſeductorio aliquo ſpiritu deceptum fuiſſe. Si foris creaturæ alicuius miniſterio legenti aut audienti Scripturas Deus loquitur, vel vt illas eſſe verè diuinas cognoſcat, vel vt earum germanum ſenſum intelligat; rurſum quęro cuius creaturæ, angelicę an hnmanę? Humanę reſpondebit, quiſquis de religione aliquid intelligit. Alioqui ad eaſdem internæ ſeductionis ac priuatę inſtitutionis difficultates collabimur.

Hominũ miniſterio quomodo Deus loquitur.

Iam ſi hominum miniſterio loquitur Deus, ſiue Scripturas legenti, ſiue non legenti (neque enim aut omnes illas legere, aut omnes qui legunt illas intelligere poſſunt) alia quęſtio eſt quomodo per homines loquatur (quicumque illi tandem ſunt per quos loquitur, de quibus mox) an ea ratione, vt niſi probantibus ea quę dicunt, Et quatenus veritatem mihi diuinam firmis ac certis rationibus probant illis aſſentiar; an verò ea ratione ac modo, vt ſimpliciter aſſerentibus ac certa authoritate quadam teſtificantibus mihi tantum veritatem ſacram, abſque vlla liquida proba-

tione

tione aſſentiri debeam. Si priori modo, philoſophum me facis, non fidelem; & ad ſcientiã viam monſtras non ad fidem, cuius proprium obiectum eſt non viſum: queque ex ſua natura *argumentum* ſeu conuictio *eſt rerum non apparentium*. Hebr. 11. Quia igitur de doctrina fidei agitur, poſterior ratio neceſſariò tenenda eſt, vt aliquorum hominum miniſterio indubitanter credam, quorum mihi authoritas certa & indubitata eſt. *Quod enim aliquid credimus authoritati, quod intelligimus rationi debemus.* Auguſt. de vtil. Cred. Cap. 2. Et quum in cauſa religionis diuinę, naturaliter omnes cęci ac ſtulti ſimus, *ſola autem eſt authoritas quæ commouet ſtultos, vt ad ſapientiam feſtinent* (neque enim recta ratione qui adhuc ſapientes non ſunt adduci poſſunt) *&* Ibidem cap. 16. *ſumma ſtultorum fælicitas eſt, vt ſerui ſapientum fiant, hominumque ſapientum præceptis & authoritate ducantur. Dubitandum non eſt authoritatem aliquam in terris eſſe conſtitutam, qua velut gradu certo innitentes in Deum attollamur.* Eſt Auguſtini diſcurſus, dum de vtilitate credendi diſputat.

Hanc igitur authoritatem à Deo ad homines ſapientes deriuatam, qui inter ſinceriſſimam Dei veritatem & hominum ſtultitiam, veluti medium quoddam poſiti, homines in religione ſtultos Deique ignaros doceant, vbi tandem inuenire liceat, & in quo homine vel quibus hominibus Deus eam poſuerit, hoc loco inquirimus. In hac quippe docentis hominis authoritate in qua Deum loquentem

quentem audimus, religionis noſtræ fundamentum poni cernimus.

Dixerit aliquis: Vt quid eam rem in cauſa religionis Chriſtianæ quæris quę omnibus Chriſtiana religione imbutis in propatulo eſt? Chriſtianę religionis infallibiliter docendę ac firmiſſimè tenendę quis alius à Deo in authoritate conſtitutus, quod aliud principium, quod aliud fundamentum eſſe poteſt quam Chriſtus ipſe? Audis Apoſtolum dicere: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere quam quod poſitum eſt Ieſus Chriſtus*; Audis patrem è cęlo de Chriſto pronunciantem. *Ipſum audite*. Audis ipſum Chriſtum clara voce profitentem, *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc in mundum veni, vt teſtimonium perhibeam veritati. Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me non ambulat in tenebris. Ego ſum paſtor bonus & oſtium ouium. Si quis per me introierit, paſcua inueniet*. Denique. *Nolite vocari Rabbi: vnus eſt enim magiſter veſter Chriſtus*. Poſtremo audis Petrum de hoc fundamento dicere. *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Audis Ioannem profiteri. *Vnigenitus Dei patris ipſe nobis enarrauit*, vtique omnem diuinæ doctrinę veritatem. Audis iterum Paulum quaſi omnia recapitulantem. *Multiphariam multiſque modis loquens olim Deus patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio*. Habes hic ergo clariſſimis verbis multiſque locis expreſſum Chriſtianæ religionis docendæ & cognoſcendæ fundamentum. Quid vltra inquirimus? Hoc vnum

Chriſtus audiendus vt doctrinę fundamentum.

1. Cor. 3.

Matth. 17.

Ioan. 18.

Ioã. 5. 8. 10.

Matth. 11.

Ioan. 6.

1. Ioan. 1.

Hebr. 1.

vnum reſtat, vt quid Chriſtus docuerit attendamus. Quæ autem ille docuit, vnde certius cognoſcimus quam ex ſacratiſſimis Euangelijs, vbi aut tota Chriſti doctrina continetur, áut Euangeliſtæ qui eam ſibi ſcribendam propoſuerunt; officium non fecerunt?

Probabilis ſane ratio & quę ſpecie pietatis non caret; imò quę inuicta foret, niſi ipſa nos Euangelia, ipsique Euangeliſtæ tam vèrbis quam factis aliud docerent. De facto ſane id docent Ioannes & Lucas, qui pręter Euangelia ſua alia nobis ille per Epiſtolas, hic per Acta Apoſtolorum, ſcripto tradiderunt; quę aut ad Chriſti doctrinam non pertinent, aut perſpicue docent omnem Chriſti doctrinam in Euangelijs ipſis ſuis nec tradidiſſe nec tradere voluiſſe. Alij quoque Apoſtoli, Petrus, Paulus, & Iacobus, qui varias nobis Epiſtolas diuinas reliquerunt, aut Chriſti doctrinam in illis non tradiderunt, aut perſpicué rurſum demonſtrant vniuerſam Chriſti doctrinam in Euangelijs comprehenſam non eſſe.

Chriſtus in ſolis Euangeſijs non auditur.

Dices ſaltem in his Euangelicis & Apoſtolicis literis omnem Chriſti doctrinam contineri, ideoque fidei ac religionis Chriſtianæ fundamentum totum quoad omnem eius doctrinam ex illis diuinis literis quærendum eſſe. Hic rurſum me ad ſcriptam literam reuocas, à qua fidei alicuius Catholicæ aut publicæ religionis magiſteriũ accipi non poſſe,

Nec in alijs Apoſtolorũ literis.

nuper

nuper demonſtrauimus. Deinde hoc aliquo modo credibile videretur, niſi aliud ne ipſæ Euangelicæ & Apoſtolicæ literæ docerent; niſi (inquã) illæ diuinæ literæ aliud mihi religionis Chriſtianæ fundamentum, aliud docendo eius & certò cognoſcendæ magiſteriũ commendarent: aliud dico, non toto genere diuerſum (quod eſſet à Chriſto recedere) ſed ei ſubordinatum; adeoque ab eo inſtitutum; quod eſt in ipſo Chriſto maximè manere: ideoque ab ipſis quidem Scripturis aliud, ſed ab ipſo Chriſto non aliud. Quemadmodum enim Chriſtus ipſe à patre vt doceret veritatem miſſus, non aliud erat docendæ religionis Chriſtianæ fundamentum à Deo patre. (Vnde dixit, *mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me patris*) ſed à veteribus Scripturis Moſaicis ac propheticis aliud quiddam & diſtinctum fundamentum erat, tum quia ad literas illas obſtrictus non erat, ſed præter & extra illas quàm plurima & diuerſiſſima docuit; tum quia ad veteres illas literas exponendas, omneſque ex eis difficultates ſoluendas, vnicus à Deo Magiſter venerat; ad eundem plane modum aliud hodie Chriſtianæ religionis fundamentum habemus; non quidem à Chriſto aliud, ſed ab ipſis literis Euãgelicis & Apoſtolicis aliud; quod & pręter illas multa docet, & illas ipſas nobis exponit; idque in eiſdem literis clariſſimè commendatum, ne cum earum iniuria aliud pręter eas fundamentum

Fundamẽtum à Scripturis aliud, à Chriſto non aliud.

Ioan. 5.

mentum quęrere videamur. Nam vt Chriſtus, qui pręter literas Moſaicas & Propheticas multa docuit, eaſdemque contra Phariſęorum iudicium ſępe expoſuit, tamen vt ſuę doctrinæ authoritatem tueretur, & ne illis diuinis literis aduerſari putaretur, dixit Iudęis incredulis, *Scrutamini Scripturas, ipſæ enim teſtimonium perhibent de me*: (Ioan. 5.) ſic nos, qui præter Euangelicas & Apoſtolicas literas aliud docendæ religionis fundamentum inquirimus, quod ipſamet litera Euangelica & Apoſtolica non eſt, ſed tum extra eam quædam docet, tum illam nobis enarrat; vt huius fundamenti authoritatem ſtatuamus, & ne iſtis Diuinis literis hoc poſito fundamento repugnare, aut derogare exiſtimemur, dicimus incredulis illis, qui extra Scripturas iſtas nullum aliud docendæ religionis fundamentum admittũt, *Scrutamini Scripturas* Euangelicas & Apoſtolicas: ipſæ enim teſtimonium de hoc fundamento perhibent, extra Scripturas quidẽ, ſed non extra Chriſtum; & quod à Scripturis ſi aliud, ſed à Chriſto non aliud. Nam & hodie vſque Chriſtus omnes docet, quicumque de Chriſtiana religione rectè & ſalubriter docentur. Hodie Chriſtus, & ſolus Chriſtus, omnis docendæ religionis Chriſtianæ vnicum *fundamentũ eſt, præter quod aliud poni non poteſt.* Hodie *ſolus paſtor*, hodie *vnus magiſter*, hodie *lux mundi* Chriſtus eſt. Iſtud ſi cuipiam abſonum aut nouum videtur, non mihi ſed

Chriſtus ſolus hodie omnes docet.

 Chri-

Chriſto credat. Ait in Euangelio Chriſtus.
Ioan. 10. *Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & ipſæ audient vocem meam: & erit vnus paſtor & vnum ouile.* Quęro hoc loco. Quę ſunt iſtæ alię oues, quę non ſunt ex hoc ouili? Quis dubitat, omnes toto orbe credituros has oues eſſe, prçter Iudaici populi ouile, iuxta illud eiuſdem Euangelij teſtimonium.
Ioan. 18. *Prophetauit quod Ieſus moriturus erat pro gente; & non tantum pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum*: has igitur oues alterius ouilis, hos filios Dei & electos ab ęterno toto orbe diſperſos, Chriſtus ipſe ad ouile ſuum adducit; *Et illas* (inquit) *oportet me addúcere.* Chriſtus ipſe diſperſas congregat. *Vt filiós* (inquit) *Dei qui erant diſperſi congregaret.* At quando Chriſtus gentibus toto orbe diſperſis prædicauit vt illas in ouile ſuum adduceret, aut vt diſperſos congregaret? Negari non poteſt quin per Apoſtolos quos in mundum vniuerſum miſit, & eorum perpetuos ſucceſſores, gentes omnes credentes in vnum ouile quorum ipſe eſſet vnus paſtor adduxerit, & diſperſos congregauerit.

Agnoſco (inquies) per eorum miniſterium colligi Eccleſiam. Sed quid hoc ad fundamenti rationem? Aut quómodò Chriſtus eiuſque doctrina Chriſtianæ religionis fundamentũ eſt; ſic alij nunc à Chriſto miſſi, eorumue doctrina, prædicatio, determinatio, fundamenti apud me locum ac vim habebunt? Equidem ſi nulla

ſi nulla id me ſcriptura doceret, nec Chriſtus ipſe hanc ſuam voluntatem nobis patefeciſſet, ipſa tamen huius inſtituti ratio, ipſe huius miniſterij finis, ipſa religionis capeſcendæ ac firmiter retinendę neceſſitas hoc euinceret. Si enim aliorum miniſterio Chriſtus ſuam Eccleſiam perpetuò colligere, ſuas oues perpetuò adducere, filios Dei diſperſos perpetuò congregare voluit, idque veluti per proprios ſuos in hac parte legatos ac locum tenentes; Vnde quos illi in ouile adducturi erant, ſeſe ipſum adducturum affirmat; profectò aut per hoc eorum miniſterium certa omnibus via & aditus ad religionem patet, quam firmiter tenentes, errare nequeant, aut per cæcos Duces docere ſuos Chriſtus voluit, vt cæcus cęcum ducens, pariter cum eo quem ducit, in foueam cadat. Quorum poſterius, ſi de Chriſti ſapiētia cogitare nefas eſt, de priori, dubitare non debeo.

Eccleſia in Chriſti perſona ſic docet vt fundamenti locum habeat.

Atqui vt nullus dubitandi locus relinqueretur, apertè profiteri Chriſtus voluit, quale & quantū eorum miniſterium foret, per quos oues ſuas perpetuò in ouile ſuum adducere decreuit: tantum ſane ac tale vt eorum vox, doctrina, teſtimonium, fundamenti vice nobis eſſet, non ſecus atque ipſius vox, doctrina, teſtimonium, fundamentū veritatis fuit. Hinc Chriſti in Euangelio ad eos quorū miniſterio in officio docendi vti voluit, hæ voces leguntur, *Qui vos audit me audit; qui vos ſper-*

Luc. 10. *nit me ſpernit; qui me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.*
Matt. 17. Ita quod de Chriſto pater dixit. *Ipſum audite*, hoc Chriſtus in ſuos miniſtros deriuauit. *Qui*
Matth. 5. *vos audit, me audit.* Rurſũ ſicuti Chriſtus docens erat *lux mundi*, ſic eius poſtea loco docturis, dixit; *vos eſtis lux mundi, nemo abſcondit lucernã, & ponit ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt omnes qui in domo ſunt, videant.* Iam vt Chriſt⁹ *ſe ideo in mundũ*
Ioan. 19. *veniſſe, vt veritati teſtimoniũ perhiberet*, affirmauit, ita ſuis miniſtris dixit. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalẽ,*
Act. 1. *in Iudæa, in Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Porro vt de Chriſto Paulus dixit, *Fundamen-*
1. Cor. 3. *tum aliud nemo poteſt ponere, quàm quod poſitum eſt, Ieſus Chriſtus*, ita rurſum de miniſtris Chriſti
Ephes. 2. dixit; *Aedificati eſtis ſuper fundamenta Apoſtolorum & Prophetarum*; & de ſupremo huius miniſterij vicario, ipſemet Chriſtus dixit. *Super hanc pe-*
Matth. 16. *tram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Tandem vt non de poteſtate tantum docendi veritatem pleniſſima, ſed & de facultate omnem veritatem infalli-biliter docendi firmiſſima, tuti ac ſecuri eſſemus; adiecit Chriſtus, huiuſmodi ſuos miniſtros alloquens, *Mittam vobis à patre ſpiritum ve-*
Ioan. 14 & 16. *ritatis, qui doceat vos omnem veritatem*; ac poſtremis verbis valedicens, data docendi ac baptiſandi poteſtate (qua demum via ac modo adducantur oues in ouile Chriſti) ſubiunxit. *Ecce ego*
Matth. 28. *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Quid deſideramus amplius?

Audimus hæc omnia (aiunt horum tempo-
rum

Docendæ religionis fondamentum non penes ſolos Apoſtolos.

rum increduli) ſed quid hæc ad præſentes Eccleſiæ Paſtores, Sacerdotes, Epiſcopos? Apoſtolis hæc propria erant, quos in vniuerſum mundum mittere Chriſtus voluit, qui Chriſti proprij legati, & Spiritus ſancti organa; ſicut ampliſſimam docendi poteſtatem, ſic infallibilem docendi facultatem neceſſariò acceperunt. Qui illis ſucceſſerunt paſtores & errare potuerunt & errauerunt complures. Noua profana & impia exceptio in qua Nouellus quidam & ſtupidus Caluiniſta, Gulihelmus VVhitakerus, mirè ſibi placet, & frequenter exultat; ſed quam ipſa Chriſti verba luculenter refellunt: quæ Spiritum veritatis perpetuò promittunt duraturum: *Vt maneat* (inquit) *vobiſcum in æternum*, quæ Chriſti quoque aſſiſtentiam perpetuam deſignant, *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*. Sed & Paulus exceptionem hanc vno ſermone, veluti vnico ictu penitus iugulat. *Dedit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Paſtores & Doctores, in opus miniſterij, ad ædificationem corporis Chriſti, ad conſummationem ſanctorum εἰς κατάρτισμον*, ad corroboratioñe velutique coaugmentationem omnium inter ſe fidelium: vides officium ampliſsimum: ſed quouſque? *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in agnitionem filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*: vides perpetuitatem miniſterij: Vide nunc finem, effectum, robur eiuſdem: *Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes & circumfera-*

In duplicati. ſua aduerſus me.

Ioan. 14.

Matth. 28.

Epheſ. 4.

cumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominũ, & in aſtutia ad circumuentionem erroris. Vis ergo non eſſe in fide paruulus? vis in cauſa religionis non fluctuare? vis nullo vento falſæ doctrinæ ab hominibus nequam & aſtutis (duæ ſunt hæreticorum hominum fixæ notæ & accidentia inſeparabilia) in errorem nõ circumueniri? hos audi; his adhære: non Apoſtolis tantum, Prophetis, Euangeliſtis, ad fundandam & plantandam Eccleſiam ad tempus datis; ſed Paſtoribus quoque ac Doctoribus ad rigandam & conſeruandam Eccleſiam perpetuò duraturis (*qui enim plantat & qui rigat*
1.Cor.3. *vnum ſunt*) *donec occurramus omnes in vnitatem fidei:* ſimulque memineris ab eodem Paulo ratione Paſtorum horum atque Doctorum, *Eccleſiam*
1.Tim.3. *vocari columnam & firmamentum veritatis:* columnam cui tutiſſimè innitaris, firmamentum à quo fortiſſime ſuſtenteris.

Habes hic religionis Chriſtianę fundamentum ac firmamentum ab ipſo Chriſto poſitum; in quo ipſum Chriſtum loquentem audis, docenti credis, teſtificanti veritatem acquieſcis.

Quorundã Paſtorum error nihil ad communitatem eorum.

Quod ſi ipſi interdum Paſtores aliqui errauerunt, nihil hoc ad Paſtorum communitatem, ordinem, ſucceſſionem perpetuam. Erat inter Apoſtolos Iudas, ſed *Epiſcopatum eius accepit alter.* (Act. 1.) Non propterea Apoſtolorum collegiũ concidit. Fuerunt inter Epiſcopos & Paſtores Apoſtolorum ſucceſſores apoſtatæ non pauci:
ſed

ſed Epiſcopatus eorum acceperunt alij; nec Epiſcoporum propterea communitas in orbe Chriſtiano extincta eſt. Chriſti promiſſiones ad Apoſtolorum ſucceſſores extenſæ, non ad eorum perſonas priuatas, nec propter illas priuatim ab errore conſeruandas, deſtinatæ ſunt; ſed propter ouilis ſui perpetuam conſeruationem; ideoque ad illos vt totius corporis Chriſti membra, eiuſque vnitatem atque compagem retinentia, ſpectãt. Populi quippe ſalus non à ſingulorum paſtorum conſtantia pendet, ſed à totius ordinis integritate & firmitate ſubſiſtit; ad quã propterea conſeruandam Chriſti promiſsiones propriè deſtinantur. Nihil hic dico qua nota veri paſtores à falſis perpetuò diſtinguantur, ne pro paſtore lupum ouicula veneretur; nihil de ipſo inter ſe paſtorum ordine; pari ne omnes & ęqua poteſtate præditi ſint an non; nihil etiam de ipſa eorum docendi poteſtate quanta ac qualis ſit, quàm late pateat, quibus medijs nitatur; Ampliorem hæc ſingula diſputationem poſtulant, quam hoc tempus patiatur? Satis nunc fuerit paucis demonſtraſſe hoc vnum in terris extare Chriſtianæ religionis docendę & addiſcendę fundamentum firmum, ſtabile, perpetuum, paſtorum quos Chriſtus dedit miniſterium, doctrinam, teſtimonium: abſque iſto ſtare religionem non poſſe: huius opera veram religionem & neceſſariò & firmiter conſeruari.

Núc quod ex Scripturis veluti raptim corraſimus, illuſtri horuṁ temporũ documento & exemplo quantum tempus patietur, veluti ad oculum demonſtrabo. Omnes & ſingulos horum temporum hæreticos in ſolis diuinis ſcripturis vnicum explicandę & docendæ religionis Chriſtianæ fundamentum ponere; Docentis autem & explicantis Eccleſiæ authoritatem, Definitionem ac determinationē omnem, veluti hominum voces qui falli & fallere poſſunt, penitus reiicere; nec niſi quatenus Scripturis ipſorum iudicio conueniat (quas totius veritatis lydium lapidem, vnicā normam, regulam ſufficientiſſimam ſtatuūt) vlla ratione admittere; res omnibus qui cauſam fidei hodie tractarunt compertiſſima & exploratiſſima eſt: nec eam hoc loco probare neceſſe fuerit. Vnius Caluini profeſſionem accipite. *Nulla* (inquit) *Conciliorum, Paſtorum, Epiſcoporum nomina nos impedire debent, quo minus, omnes omnium ſpiritus ad Diuini verbi regulam exigamus, & verbo Domini examinemus, & probemus num ex Deo ſint. Sola Scriptura omnium hominum & Angelorum ſtatera eſt.* Hæc ille aduerſus Eccleſiam Catholicam. Tantundem Lutherus, Melanchthon, & cuiuſlibet hodie ſectæ magiſter: *Authoritatem ſtabiliſſimam fundatiſſimæ Eccleſiæ* (vt Auguſtini verbis vtar) Scripturæ vendicatione ſuperare omnes conantur: *ſed hoc coguntur facere omnes hæretici, quia iacere ſe abiectiſſi-*

Eccleſiaſticę authoritatis fundamentum ab hæreticis rejectũ.

Inſtit lib. 4 c.9.nu. 12.

Epiſt. 56.

iectiſſime ſentiunt, ſi eorum authoritas, cum authoritate Catholica conferatur. Hæc ille. At nunc videte & attendite Auditores, ſi qui ſua noua dogmata ex ſolis Scripturis, reiecta Eccleſiæ docentis authoritate, contra Catholicos ſtabilire voluerunt, ipſimet aduerſus alios hæreticos vel eadem dogmata ſibi ipſis propria, vel alia orthodoxa & communia cum Catholicis dogmatibus, ex eodem vnico fundamẽto defendere & tueri potuerint.

Oſtendam ex ipſorum mutuis diſputationibus, quum ab hæretico hæreticus vrgetur, in ſolis Scripturis neutrum conſiſtere. Vtrumque vero Eccleſiaſticæ authoritatis, quæ ſit neceſſitas luculenter docere. Acris admodum peneque cruenta inter Lutheranos & Caluiniſtas diſputatio eſt de venerabili Euchariſtiæ Sacramento: verène realiter ac ſubſtantialiter adſit pariter cum pane Corpus Chriſti, vt Lutherani volũt; An vero non ipſa corporis vera & realis ſubſtantia, ſed eiuſdem corporis virtus & energia, ſola fide virtute Diuini Spiritus ad nos deriuata, cuius virtutis atque alimoniæ ſpiritualis ſignum & figura ſit ipſa panis in Cæna Dominica manducatio; quæ ſententia cerebri Caluiniani ſpectrum eſt. Acerrimè contra Caluinum vrgent Lutherani Dei verbum, *Hoc eſt corpus meum.* Acerrimè contra eundem conſentientem veteris Eccleſiæ fidem, doctrinã, authoritatem præmunt. Quid hic Caluinus? Ad prius Diſputationis genus reſ-

Hæretici aduerſus hæreticos authoritatem eccleſ. vrgent.

Inſtitut. li. 4. cap. 17. num. 20.

reſpondet. *Vtcumque verborum Chriſti reuerentia tangi ſe quiritentur, quo minus figuratè intelligere auſint, quæ ſint apertè dicta, non eſt tamen hic ſatis iuſtus prætextus, cur omnes quas contra obiicimus rationes ita reſpuant.* Videte, Ad Scripturæ apertiſſima verba veluti docendæ veritatis fundamentum aſtringi non vult; ſed ſuas in contrarium rationes audiri poſtulat. Mox Lutheranos *faſtuoſæ moroſitatis* arguit, & *ſyllabarum aucupes* vocat, quod Scripturæ verba mordicus premant; vbi & feſtiuè eos decidens ait. *Vetunt boni iſti magiſtri vt literati appareant, vel tantillum à litera diſcedere.* Tandem grauiter eos reprehendit, quod ſoli Scripturæ adhærentes, Eccleſiæ interpretationem non auſcultent. *Excipiunt* (inquit) *ſe verbum Dei habere quo palàm factà eſt Dei voluntas. Nempe ſi illis conceditur donum interpretationis ex Eccleſia profligare quod lucem verbo adferat.* Moxque veteres hæreticos profert, Marcionem, Manichæos, Anthropomorphitas, qui omnes verbum Dei prætexebant; quibus Lutheranos iſtos aſſimulat. Videtis ſuperbiſſimum hereticum ipſa nunc neceſsitate conſtrictum ſolam Scripturam refugere, & ad Eccleſiam interpretantem confugere.

Caluinus ad Scripturam aſtringi non vult

Ibidē num. 22. & 23.

Ibidem num. 25.

Sed quam putatis Eccleſiam à Caluino hic deſignari? An Catholicæ Eccleſiæ Magiſtros, Paſtores, Epiſcopos, Patres? Atqui vt hos reiecerit, iam accepiſtis. Eccleſiæ interpretantis nomine ſemetipſum intelligit. Suæ perſonæ

Magiſte-

Magiſterium Lutheranis opponit; & quidem audaciſſimè. *Non aliud (inquit) cauſæ eſt, cur à noſtra interpretatione quidam reſiliant, niſi quod eos excæcauit diaboli incantatio.* Et paulo poſt. *Nos (inquit) vt in tota reliqua Scriptura ſic & huius loci ſanam intelligentiam non minore obedientia quàm cura conſequi ſtudemus; & ſedula meditatione adhibita ſenſum amplectimur, quem Spiritus Dei ſuggerit, quo freti deſpicimus ex altò quicquid terrenæ ſapientiæ opponitur.* Hic eſt ergo Diſputationis hæreticæ circulus; hæc tota reſolutio. Solas ipſi Scripturas pro fundamento haberi volunt vt Catholica dogmata ſubnectant. Vt autem ſua placita ſtabiliant, ſolis Scripturis ſtare nolunt. Eccleſiam interpretantē audiri poſtulant, ſed hanc interpretantē Eccleſiam in ſuis perſonis circunſcribunt. Sic ipſa cogente neceſſitate ad docentis Eccleſiæ authoritatem tandem reditur. Sed hæc Eccleſia docens ipſimet eſſe volunt.

Caluinus ſe ſuę perſonę magiſteriū Lutheranis opponit.

Ibidem num. 13.

Hæreticę diſputationis circulus.

Sed alia huius rei exempla proferamus. Diſputans aduerſus Albertum Pighium alioſque Catholicos tractatores Caluinus, indigniſſime fert & *ſacrilegam ſententiam* vocat, *ad ſcripturæ intelligentiam communem Eccleſiæ definitionem & interpretationem adferre, Scripturas ex ſeipſis obuias cuilibet & perſpicuas non eſſe, aut denique in varios & alienos ſenſus pertrahi poſſe.* Eius verba prolixitatis cauſa prætereo: ſed extant in [a] tractatibus ipſius Theologicis, quos Beza in lucem dedit. Nunc vero aduerſus alios hereticos ipſemet diſpu-

a Pag. 209. 242. & 518.

diſputans, videte quam longè aliam cantilenam canere ipſa cogente neceſſitate, compellitur. Contra Anabaptiſtarum genus, qui pſychopamychiam docebant, & ſuam dementiã variis Scripturis fucabant, in prefatione operis ita declamitat. *Multos* (inquit) *hodie videas qui contra omnium ſæculorum ignorantiam, tragicè vociferantur* (quod memo magis vno Caluino fecit) *non minus ipſi indocti. Sed quid facias? Chriſtiani videri volunt & dicuntur, quia aliquot ex Scripturis capita locorum communium delibarunt: & cum neſcire aliquid pudeat, de omnibus confidentiſſimè quaſi ex tripode, reſpondeant. Hinc rurſum tot ſchiſmata, tot errores, tot fidei noſtræ ſcandala, qua occaſione nomen ac verbum Dei blaſphematur inter impios. Tandem (quod eſt caput mali) dum obſtinatè tueri pergunt, quod ſemel temere effutiuerunt, oracula Dei in diuinis Scripturis conſulunt. Ibi Deus bone quid non inuertunt? quid non deprauant atque corrumpunt? vt ad ſenſum ſuum non dico inflectent ſed vi incuruent? Scilicet verè dixit Poeta: Furor arma miniſtrat. Hæccine eſt diſcendi via? verſare ac volutare Scripturas vt libidini noſtræ ſeruiant? vt ſenſui noſtro ſubiiciantur? quo nihil eſt ſtolidius. O ſenticam peſtem & certiſſima zizania inimici hominis, quibus vult obcæcare verum ſemen. Et adhuc miramur, vnde tot ſectæ inter eos qui primum nomen Euangelio dederant, ac renaſcenti verbo? Equidem terret me dira illa denunciatio. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.*

In tract. theolog. pag 539.

Hæc hactenus Caluinus contra iſtos (quos vocat) ſomniatores qui animas poſt mortem

vſque

vſque ad diem iudicij altiſsimo ſomno dormire, dogmatiſabant & ex Anabaptiſtarum grege erant, Diuinis Scripturis reiecto Eccleſiæ ſenſu conſenſu fide & authoritate, audaciſſimè abutentes: illud ipſum in eis acerrimè culpās, quod in alijs dogmatibus orthodoxis ſubuertendis, quæ ipſius palato non placenr, non minus audacter & impiè perpetrauit.

Rurſum alio in loco aduerſus ipſos Anabaptiſtas de principali eorum dogmate diſputans, ita conqueritur. *Quia nulla ſpecie illuſtriore ſeduci poſſunt miſeri Chriſtiani, qui zelo aliquo Deum ſectantur, quàm dum prætenditur verbum Dei, Anabaptiſtæ aduerſum quos nunc ſcribimus, ipſum perpetuò in ore habent, idq; ſemper præfantur.* Mox aliquot verbis oſtendens, *Verbo Dei locum ſupremum dandum eſſe*, & hoc illum ac ſuos aduerſus Papiſtas prẹmere, exceptionem & moderationẽ hanc aduerſus Anabaptiſtas ſubiungit. *Verũ* (inquit) *vt noſtrarum partium eſt, iis quæ dicuntur audiendis aurem præbere, donec quale ſit vnumquodq; compertum habuerimus, ita neceſſarium eſt prudenter verum & falſum diſcernere, adhibendumque iudicium, nunquid verè an falſò nobis verbum Dei obtendatur.* Hæc ille. Videt nunc Caluinus verbum Dei falſò obtendi poſſe; nec ſatis eſſe quod Scripturę proferantur, quaſi vnicũ & certum fidei docendę fundamentũ, ſed expendi diligenter debere, an ritè ac logitimè ad aliquid de fide docendũ prọferantur. Eſt ergo aliud præter & extra ipſas Scripturas Doctrinæ Chriſtianæ principium

In tract. theolog. pag. 571.

Fundamentum fidei extra Scripturas.

cipium ac fundamentum, mediante quo ipſæ Scrtpturæ ad fidem docendam & explicandã vtiles nobis ac ſalutares fiant.

Attende nunc an huiuſmodi aliquod principium aut expendendi Scripturas iudicium depromat. Hoc loco Caluinus. *Iuſſi enim ſumus* (inquit) *probare Spiritus & expendere an ex Deo ſint. Quod quàm neceſſarium ſit, re ipſa perſpicimus. Nam ipſe quoque diabolus ſeſe armauit verbo Dei, eoq́; gladio ſe accinxit, vt Chriſtum inuaderet. Atque experimur quotidie ipſum his artibus vti per organa ſua vt veritatem deprauet, ſicque miſeras animas in exitium ducat.* Rectiſsimè quidem hæc omnia, & quæ alicuius fundamenti à Scriptura diſtincti neceſsitatem, vnde ipſæ Scripturæ ad fidẽ rectè docendam vtiles nobis ac ſalutares fiant, magis ac magis demonſtrant. Sed quodnam hoc tandem eſt Caluini iudicio? *Quod ad miſeros* (inquit) *iſtos fanaticos attinet, qui ita verbum Dei ſecum facere iactant, an ita ſit res ipſa per ſe ſatis demonſtrat.* Sed quomodo res ipſa hoc demonſtrat? Nihil enim facilius quam ita dicere. At vnde hoc oſtendit Caluinus? Commemorat ſtatim ſuos ſuorumque ſodalium labores, *de verbo Dei reſtituendo.* Quæritur Anabaptiſtas *hunc verbi Dei curſum non promouiſſe, ſed retardaſſe.* Addit illos *quædam cum Papiſtis doctrinæ capita ſuſtinere:* quaſi nulla nobiſcum dogmata de Deo, de Chriſto, de beatitudine Caluiniani tenerent. Ex his concludit. *Falsò igitur abutuntur hoc prætextu, atque ſimplicioribus perſuadere moliuntur ſe ex ſa-*

Caluinus nullum remedium aduerſus Scripturæ abuſum profert.

ex ſacrarũ literarũ præſcripto gubernari,cum ijs omninò abiectis ſolius cerebri ſui imaginationẽ ſequantur. Hęc & non plura de hac cauſa Caluinus. Videte igitur & attendite Auditores,quod furiòſis & inſanis accidit,vt aliis ſimiliter inſanis aduerſus ipſos inſaniẽtibus ac furẽtibus moderatiores ipſi fiant,ſuamque inſaniã ac furorẽ veluti in obiecto ſpeculo agnoſcant, idem Caluino aduerſus Eccleſiã inſaniẽti hoc loco accidiſſe: Nunc enim vbi cum alijs hæreticis ſimiliter inſanientibus negotiũ illi eſt, multo moderatior factus eſt. Videt & agnoſcit ex ſolis Scripturis de fide quęſtiones terminari nõ poſſe: 1. Scripturarum prętextũ ęquè eſſe Catholicis 2. atq; hęreticis communẽ: nec ideo ſtatim credendũ quum Scripturæ proferũtur, ſed expẽdendum eſſe verè ne an falsò proferantur: 3. Atqui (quia necdũ totus ab inſania liberatus eſt) quomodo per quos, qua via iſtud expẽdi debeat, Caluinus nõ docet: nec hoc Scripturarũ prętextu Anabaptiſtas falsò abuti, vllo argumẽto probat, ſolis quęremonijs, clamoribus, & accuſatione vtitur, quæ tota in ipſum ęquè quadret. Concludit quidẽ eos *abiectis Scripturis ſui cerebri imaginationem ſequi.* Atqui tantundẽ dẽ Caluino Anabaptiſtę & quidẽ veriſſimè affirmant. Quis hic igitur cõtentionis exitus erit? Quis non videt probãdos quidẽ eſſe Spiritus an ex Deo ſunt, & contra Satanæ miniſtros Scripturas proferentes per ipſas quoq; Scripturas exẽplo Chriſti depugnandũ; ſed hanc proba- Reſolutio vera ac neceſſaria.

probationem, hanc pugnā eorum tantūmodò eſſe, ad eos ſolos pertinere (vt efficiaciter ac fructuoſa fiat) quos Chriſtus Dominus huic probationi ac pugnę pręfert; quos Eccleſię ſuę in via veritatis dirigendę & ab errore cõſeruādæ prępoſuit, quos *Paſtores & Doctores dedit, ne circumferamur omni vento Doctrinæ*; Ad hos
Ephes. 4.
diuini verbi Interprętes & ſalutis noſtrę adminiſtros legitimos niſi recurratur, Paſtorū, Doctorū, Epiſcoporū, Conciliorū nomina & authoritas niſi nos moueāt, permoueāt, perſuaſas reddāt; tā cōtra Catholicos, Lutherani, quā contra Lutheranos, Caluiniſtę, & contra Caluiniſtas, Anabaptiſtę, & cōtra hos omnes noui hodie Ariani, Samoſatenici, Tritheitæ, aut cuiuſlibet alterius ſectę magiſtri Scripturarū pretexta interminabili lite abutentur. Quod varijs adhuc diſputationū exēplis, Cal-
1. uini contra Ioachimū VVeſtphalum, Magde-
2. burgenſes, & Saxonicos Lutheranos; ipſorū quoq; contra Caluinū; rurſum Caluini, cōtra
3. Seruetū Arianum, ipſoq; Libertinos, ac maxi-
4. mè Theodori Bezę in epiſtolis quibuſdā ſuis
5. Theologicis aduerſus nouos illos Arianos ac Tritheitas, nec non & Proteſtantū in Anglia aduerſus Puritanos, aliaſq; illic ſectas, demōſtrari ad oculū poſſet. ſi huiuſmodi demōſtrationem tēporis huius breuitas pateretur. Sed quod hic viua voce non dicimus, * in proximo quod (fauente Deo) prodibit Opere noſtro, legere & videre qui volet, poterit.

* In Triplicat. contra VVhitakerum cap. 18 & 19.

AN

AN POLITICI HORVM TEMPORVM IN NVMERO CHRISTIANORVM SINT HABENDI.

Oratio quodlibetica Duaci habita, Anno, 1589.

QVOD Ezechias Rex Iuda poſt Dauidem optimus, in ſumma rerũ omnium calamitate, quum Sennacherib Rex Syriæ cum exercitu potentiſſimo Hieroſolymam graui obſidione premeret, eiuſque Dux Rabſaces audiente populo Deum blaſphemaret, dixit. *Dies tribulationis & increpationis & blaſphemiæ Dies iſte, venerunt filij vſque ad partum, & vires non habet parturiens*; hoc in Eccleſiæ ac Religionis Chriſtianæ grauiſſima hodie perturbatione dicendũ mihi & exclamandum, videtur. Nam vt nullus acerbior corporis dolor, aut cruciatus vehementior eſt, quàm is quem ſuſtinet mulier parturiens & vires pariendi non habens; ita nulla vel Reipublicæ, vel Eccleſiæ, vel ciuilis vel Eccleſiaſtici corporis, acrior afflictio aut caſus durior eſſe poteſt, quàm multis maximiſque malis grauidam ac fæcundam eſſe & in illis depellendis ingentes quotidie labores perferre, quaſique iam in proximo eorum liberationem parturire, nec tamen aliquando parere, aut malorum exitum inuenire poſſe. *Mulier quidem cum parit triſtitiam habet, quia venit*

4. Reg. 19.

Ioan. 16.

hora eius. Sed prolem mox enixa, *iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Sic* (inquit Chriſtus) *vos contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Eccleſiæ calamitates & perſecutiones ac vexationes acerbæ, quas partui muliebri Saluator accomparat, graues haud dubiè bonorũ cruces ſunt, multiſque vulneribus & plagis, multis contumeliis & ludibriis Chriſti corpus myſticum afficiunt, *dies ſunt tribulationis & increpationis & blaſphemiæ.* Sed dulcis eſt & conſolatione plena Chriſti promiſſio, *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Veniet celeriter tribulationum finis, tranſibit tempeſtas, redibit ſerenitas. Et ſic quidem hactenus omnes Eccleſię tribulationes, omnes hæreſum tempeſtates, quantumcumque acerbæ, quantumcumque validæ & potentes, finem tamen & exitum celerem acceperunt: Vt ceſſante ſub Conſtantij mortem Ariana perſecutione, dixit S. Hieronymus. *Periclitabatur nauicula Apoſtolorum, vrgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil iam ſupererat ſpei. Dominus excitatur, imperat tempeſtati, beſtia moritur, tranquillitas rediit.* Atqui hodiernæ hæreſes, horum temporum diuturnæ, variæ, & per totum ferè Chriſtianam Europam calamitates, medica manu iam dudum illis appoſita, medijs multis & magnis ad curandũm adhibitis, curari hactenus non potuerũt. Venerunt filij vſque ad partum. In proximo affulgebat ſerenitas, pax, liberatio; ſed vires non

In dial. aduerſus Luciferianos.

Horũ temporum calamitas.

non habuit parturiens. Corpus Chriſtianæ Reipublicæ, parere non potuit. Ex alia aliqua cauſa ſic debile & infirmum factum eſt, vt in partu ſemper laboret; nec eniti vnquam queat & niti ſemper debeat, nec prolem educere nec à parturiendo ceſſare; nec labores ſuperare, nec labore defungi valeat. Quę tandem huius tantæ tamque atrocis calamitatis cauſa eſſe poteſt? Quid tandem Reip. Chriſtianæ corpus ita debilitauit, vt ſemper parturiẽs parere nequeat? in perpetuo gemitu exitũ dolorũ nõ inueniat? perpetuo in armis, perpetuo in acie ſtans, nec in pugna victoriã, nec pugnandi finem poſt tot exantlatos labores, poſt tã glorioſa ſuorũ certamina, poſt tot fuſos ac proſtratos hoſtes, adhuc cõſequi queat? Dicam apertius. Vnde factũ eſt vt contra hęreſes & hæreticos ab annis iam ſexaginta, & Catholicorum ſcriptis acerrime decertando, & magnorum Principum ſtudio, conſilijs, armis fortiter dimicando, imò iam pridem toti quaſi Catholicæ Eccleſiæ copijs contra hoſtẽ in aciem productis, maximam vim atque impreſſionem faciendo, nihil adhuc in cauſa prouectum ſit? in nullo leuari parturiens potuit? ſed contrà in ſuo robore ac vigore hæreſes permaneant? imo quod turpe eſt dicere, & taceri non debet, de inanibus Catholicorum conatibus hæretici triumphant? Quid tandem aliud, niſi quia *Rachel plorat filios ſuos, & noluit conſolari*, id eſt non potuit,

Hęreſes cũ adhuc proficiunt & creſcunt.

Matth. 2.

quia non ſunt. Non ſunt filij, qui putantur eſſe; Non ſunt Catholici, qui dicuntur tales. Niſi quia, vt olim caput, ſic nunc corpus dicit. *Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum ſuum*, quia habet ſuos Iudas collegium Apoſtolorum: quia (vt Apoſtolorum maximus de ſe ipſo dixit) *periculum eſt in falſis fratribus*, imò non periculum, ſed pernicies facta eſt à falſis fratribus: Niſi quia clamor ille veteris Prophetæ auribus noſtris iterum ingeminatur, *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Denique niſi quia propter tam longas & graues perſecutiones denigrata Eccleſia Catholica, iam *conſideratur vt fuſca, & iam filij eius pugnauerunt contra eam.* Dicam apertius: Non alia horum malorum cauſa, quàm falſi, ficti & ſimulati Chriſtiani, qui nec Chriſtiani nec Catholici (quum vtrumque egregiè ſimulent) ſed politici ſunt. Politicorum & nomine gaudent, & factis exultant, & virtutem profitentur. Politici & ciuiles homines, elegantes & ſuaues, prudentes & cordati, ipſam ſacroſanctæ religionis cauſam, politicè & ciuiliter tractari volunt, aliorum ruſticam ſimplicitatem irrident, qui ad quemuis falſæ doctrinæ ſonum, ad quemlibet violatæ religionis motum, zelo ſtatim exardeſcunt, & vijs omnibus ac modis integritatem fidei illæſam & illibatam conſeruare, contendunt. Contrà enim Politici iſti, multa eſſe tempori concedenda, multa eſſe pro tempore diſſimulanda

Ioan. 13.

2. Cor. 11.

Eſai. 1.

Cant. 1.

Politicorũ iudicia, voces, axiomata.

1.

landa; publicæ pacis cauſam ante oculos ſem- 2.
per habendam, non eſſe irritandos crabrones;
hæreſes iſtas vel debellari non poſſe, quia po- 3.
tentes; vel ex animis hominum euelli non 4.
poſſe, quia pertinaces hæretici ſunt; vel tantis 5.
conatibus impugnari non eſſe neceſſe, quia de
rebus leuiculis cõtenditur; vel poſtremo tanti
illas non eſſe, nec tantum vniuerſum religio-
nis curam nobis incumbere, vt pacem publi-
cam, communeſque fortunas, vel ad illas re-
primendas, vel ad hanc conſeruandam, peri-
clitari ſinamus. Quinimò prudẽtis ac politici
viri eſſe, patriæ & ciuium ſuorum commodis 7.
ante omnia proſpicere, ſuis rebus conſulere; 8.
Principum placitis ſeſe accommodare, inui- 9.
dias aut ſimultates ſuperfluas religionis cauſa
non ſubire; illam curam vel ſolis Clericis ac 10.
Monachis, vel etiam ipſi Deo relinquere, qui 11.
ſuas iniurias ſi quas per noua hæc dogmata
acceperit, ipſemet vlciſci ac vindicare, valeat.
In ſumma, id agendũ, ne quid res vel publica 12.
vel priuata, detrimenti capiat: ſuam ſibi cuiuſ- 13.
que conſcientiam, abſque iſtis certaminibus
ſanam ac ſaluam, eſſe poſſe. Habetis Politico-
rum hodie hominum voces, principia, axio-
mata, quibus illi confiſi, Religionis cauſam
negligenter tractant, laborantis Eccleſiæ pa-
trocinium turpiter deſerunt, fidem Catho-
licam hoſtibus nefariè produnt, & penitus
profligandam, relinquunt.

Quæritur iam an huiuſmodi homines in

numero Chriſtianorum habendi ſunt. Sed quid ego hic quæro? aut rem per ſe clariſſimam cur in quæſtionem voco? Iam enim mecum quotquot Chriſtiani hic eſtis, quotquot Chriſtum Redemptorem noſtrum non verbo tantum confitemini ad iuſtitiam, ſed & corde creditis ad ſalutem, hos homines non Chriſtiano tantum glorioſiſſimo nomine non cenſendos, ſed nec vlla prorſus in Deum aut Deos religione teneri, prorſus iudicatis. Ita ſane arbitror, nec aliter affectos eſſe verè Chriſtianos arbitrari poſſum. Cæterū tamen vt hoc iudicium veſtrum ac noſtrum quàm certa ratione nitatur, clarius fiat; vt hoc hominum genus quàm ſit præ omnibus quos nunc terra ſuſtinet execrabile, certius innoteſcat; vt ab huiuſmodi hominum blādis ſed impiis vocibus atque conſilijs, tanquam à Sirenum cantibus maturè quiſq; ſibi caueat; ac demum vt ipſi tales politici (ſi ad eorum forte aures hæc noſtra aliquando perueniat oratio) ad meliorem ac ſaniorem mentem reducantur: hęc tria hoc loco ac tempore, de

Distributio noſtri temporis politicis quales ſuprà deſcri-

1. pſimus, inquiremus. Primum an Chriſtiani nominis vim ac rationem vllo ſenſu tenere

2. poſſint. Secundo quales & quantę ſunt Reipub. Chriſtianæ peſtes, & religionis hoſtes, ideoque ab omnibus execrandi, etiam eorum iudicio, qui falſam religionem tenuerunt.

3. Tertio ac poſtremò, quibus demum Technis

ac

ac fucis (non enim argumenta dicam) ſuam extremam impietatem probabilem reddere contendunt. Quæ tria dum facio, vos quæſo Auditores humaniſſimi, diligenter quod facitis, attendite.

Non eſt hic opus præfari, politicos à nobis aut politiam in vniuerſum non reprehendi, vel ab omni politia & ciuili prudentia Chriſtianam religionem alienam eſſe, velle nos dicere. Iam enim politicos noſtros tales deſcripſimus, non qui rei priuatæ aut publicæ curam gerunt (quod & optimi Chriſtiani faciunt) ſed qui rei priuatæ ac publicæ curam, religioni anteponunt, adeoque religionem ipſam nullo loco ducunt, atque hinc tam perſpicuæ impietati politię & prudentiæ ciuilis, honeſtiſſimam veſtem imponunt, vt politici dicantur qui athei ſunt; vt ciuiles videantur, qui ciuitates & totas reſpublicas ſua præpoſtera ciuilitate perdunt, vt prudentes & elegantes habeantur, quibus nihil eſt ſtultius, nihil inciuilius: niſi fortè aut prudens ille habendus ſit, qui vt ſuis fortunis parcat, omniũ ſuorum & fortunas & ſalutem perdit, aut ille ciuilis & elegans videri debeat, qui ſuauiter canens & amicè blandiens ſuos ad patibulum aut præcipitium ducit. Sed nunc ad ſingula à nobis propoſita, veniamus.

Dicimus primo loco huiuſmodi politicum qui Religionis cauſam atque defenſionem, ſuis fortunis aut commodis, vel etiã Reipub. Propoſitio 1.

paci & incolumitati poſtponit, imò qui eam omnibus rebus non anteponit, Chriſtiani
1. hominis loco habendum non eſſe. Quid enim quæſo hominem Chriſtianum ab ethnico diſcernit, niſi nominis Chriſti fides, cultus, religio? In quo enim nulla eſt Chriſtiani nominis religio, cultus, reuerentia, amor, hunc religionis Chriſtianæ nomine ab alijs non Chriſtianis diſcerni quisquam exiſtimabit? At quæ eſt tandem in illo homine Chriſtiani nominis religio, quis cultus, qui amor, quę reuerentia; qui adeo illud non colit, non amat, non reueretur, vt res quaſlibet ei anteponat, vt ad eius defenſionem, nec pedem mouere, nec oboli diſcrimen ſubire, nec vel vultum, aut verbum aſperum, ſuſtinere velit; vt eam denique nullo loco ducat, totamque eius curá vel in Dei prouidentiá, vel in ſolos togatos homines, ſi tamen & in illos
2. reiiciendam iudicat? Mali ſanè Chriſtiani & peccatores, qui vitam turpiter ac flagitioſè ducunt, hoc certè Chriſtiano nomine indigni ſunt, & ad illos Chriſtus dicturus eſt, *neſcio vos.* Cæterum tamé, iſti non niſi practicam adhuc virtutis cognitionem amiſerunt, & fide ac religione imbuti quod verbo tenent, factis negant. Atqui Policiti iſti non practica tantum, ſed & ſpeculatiua virtutis cognitione exciderunt. Non ſolum religionis vſum & praxim male viuendo; ſed & ipſam in ſe religionem malè ſentiendo, abiecerunt. Nullam enim ille reli-

religionem tenet, qui nihil ad ſe attinere religionem putat. Quare de illorum numero ſunt; de quibus Propheta Regius ait. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Et videte obſecro an non ita ſe res habeat. Magno cum applauſu vox illa apud Comicum excepta eſt. *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.* Si ergo homo non eſt, qui humani aliquid à ſe alienum putat; ſi homo non eſt, qui reliquorum omnium hominum velut quidam μισάνθρωπος curam & affectionem animo omnem depoſuit; ſi homo non eſt, qui humanitatem exuit; qui tandem obſecro Chriſtianus erit, qui religionem Chriſtianam (vnde propriè Chriſtiani ſumus) nihil ad ſe pertinere, ſtetur, cadatur, exiſtimat, qui omnem religionis curam, animo eiecit ſuo, ideoque & omnem Chriſtianitatem exuit? *Dixerat Zeno ſtoicus, iram non eſſe in Deo, vt puniat malefacta, veluti indignam Deo paſſionem. Aſſumpſit Epicurus. Si ira in Deo non eſt, nec gratia etiam aut beneficentia vlla, atque ita nec mala puniens, nec benefacta remunerans, rerum humanarum curam non habet, ſed ſeipſo ſolo, beatus eſt. Ex hac Stoicorum propoſitione & Epicuri aſſumptione, concluſit Diagoras & Theodorus Cyrenæus: Ergo non eſt Deus: Si enim nullo affectu mouetur, quod intelligibili naturæ eſt proprium, prorſus non eſt.* Hæc apud Lactantium illi. An non verò & eadem inductio, noſtros quoque Politicos concludit Atheos? Aiũt illi. Zelus iſte & feruor religionis hominem ciuilem ac politicum nõ decet.

3. (beside "Et videte obſecro")

4. Lactantius in libro de ira Dei. (beside "Dixerat Zeno ſtoicus")

Sublato zelo quem vel in paucos reijciunt, vel ab omnibus animo deponi volunt, cura omnis & affectio religionis tollitur. Concludit ergo apud ſe Politicus. Zelus religionis, furor & amentia eſt. Cura eius & affectio, inane quid & ſuperfluum eſt. Nihil ergo eſt hoc totum quod religio vocatur. *Magiſque ad morem, quam ad rem pertinere iudicanda eſt; & illam ſapiens ſeruat tanquam legibus iuſſam, non tanquam Deo gratam;* ſicut olim Seneca, virtutis moralis cultor egregius, ſed Senator in hac parte politicus, de Romanorum religione quam in templo cum alijs colebat, ſed animo contemnebat, dixit. Pari ergo Reipub. (aiunt iſti) præſentibus commodis & emolumentis proſpiciendum eſt: valeat religionis cauſa, quantum valere poteſt. Siue rectè ſiue ſecus ea colatur, quid ad nos? *Imò* (vt Scæuola Pontifex olim aiebat) *expedit falli in religione ciuitates, quia non niſi ad homines in metu quodam & officio continendos, illam introductam eſſe, iudicandum eſt.* Tales ſuo tempore in Romana Repub. Politicos deſcribit Auguſtinus, qui ne Chriſtianæ religionis ſanctiſſimo iugo ſubderentur, & vt ſuis cupiditatibus laxas habenas darent, ad omnẽ religionis contemptum & Atheiſmum adducti fuerunt. Hæ enim erant eorum voces. *Tantum ſtet* (inquiũt) *tantum floreat copijs referta, victoriis glorioſa, vel quod eſt fælicius, pace ſecura ſit Reſpub. Et quid ad nos? Imo ad nos magis pertinet, ſi diuitias quiſque ſemper augeat, quæ quoti-*

Apud Aug. de Ciuit. Dei lib. 6. cap. 10.

Vbi ſuprà lib. 4. c. 27.

Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 2. c. 20.

quotidianis effuſionibus ſuppetant. Populi plaudant non conſultoribus vtilitatum ſuarum, ſed largitoribus voluptatum. Non iubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent quam bonis, ſed quam ſubditis imperent. Quid alienæ vitæ potius, quam quid ſuæ quiſque noceat vitæ, legibus aduertatur. Nullus ducatur ad Iudices, niſi qui alienæ rei, domui, ſaluti, vel cuiquam inuito, fuerit importunus aut noxius. Cæterum de ſuis vel cum ſuis, vel cum quibuſcumque volentibus, faciat quiſque quod vult. Opipara conuiuia frequententur, vbi cuique libuerit & potuerit, die noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Et ille ſit publicus inimicus, cui hæc fælicitas diſplicet. Illi habeantur Dij veri (illorum ſit vera religio) *qui hanc adipiſcendam populis procurauerunt, adeptamque ſeruauerunt. Colantur vt voluerint, ludos expoſcant quales voluerint. Tantum efficiant, vt hinc felicitati nihil ab hoſte, nihil à peſte, nihil ab vlla clade, timeatur.* Hæc illi apud Auguſtinum. Hic eſt veterum Politicorum Atheiſmus, noſtro nunc tempore, non ſecus quam veterum hæreſium cataclyſmus ab orco reuocatus. *Colantur dij vt voluerint*, aiebant illi. Obtineat religio quæ poteſt, aiunt iſti. *Illi habeantur Dij veri, qui fælicitatem temporalem procurant*, aiebant illi. Illa habeatur vera religio, in qua fæliciter & affluenter viuamus, aiunt iſti. *Non curent Reges quam bonis, ſed quam ſubditis imperent*, aiebant illi. Non curent Reges Chriſtiani, quam bene Chriſtianos, ſed quam obedientes, habent ſubditos, aiunt iſti. *Quid alienæ vitæ potius*

Politicorũ hodie voces veterum paganorum vocibus conformes.

quam

quam quid ſuæ quiſque noceat, legibus aduertatur, aiebant illi. Quid pacem publicam lædat, non quo conſcientia aut religione læſa quiſque ſibi noceat, leges diſpiciant, aiunt iſti. *Ille demum ſit publicus inimicus, cui hæc fælicitas diſplicet,* aiebant illi. In illum demũ vel arma publica, vel iuſtitiæ gladius concitetur, qui Reipub. fælicitatem temporalem perturbat, aiunt iſti. Sic vt illos olim perditiſſimos homines, ita noſtros hodię politicos, vitę licentioſæ libido, ad religionis neglectum, neglectus ad cõtemptum, contemptus ad Atheiſmum, perduxit.

Augustini de Politicis ſententia. Sed de his hominibus, noſtriſque demum politicis, quæ eſt tandem S. Auguſtini ſententia? *Quis* (inquit) *hanc Rempub. ſanus non dicam, Romano imperio, ſed domui Sardanapali, comparauerit? qui quondam Rex ita fuit voluptatibus deditus,*

Ibidem. *vt in ſepulchro ſuo ſibi ſcribi fecerit, ea ſola ſe habere mortuum, quæ libido eius etiam cum viueret, hauriendo conſumpſerat. Quem Regem, iſti ſi haberent ſibi in talibus indulgentem, nec in eis cuiquam vllą ſeueritate aduerſantem, huic libentius quam Romani veteres, Romulo templum & flamines, conſecrarent.* Hæc ille. Et quis ignorat Politicos hodie noſtros Sardanapalo potius alicui, & voluptario Principi, quique vt omnem exercet, ſic nullam in ſuis libidinem compeſcat (vt hodie in Anglia Eliſabetha, nuperrimequę in Francia Henricus Valeſius) libentius ſeruire, quàm verè Chriſtiano atque Catholico Regi, Religionis vindici, iuſtitiæ aſſertori,

tori, & priſcæ virtutis rigido cultori, obtemperare? Et hæc quidem illorum eſt non ſolum à vera, ſed & ab omni Religione aliena, ſententia.

At audi o Politice Chriſtianorum hominũ voces, & vide an Chriſtianorum in numero haberi debeas. *Ego ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*, ait vas electionis. Gal. 1. *Oportet Deo magis obedire quam hominibus*, ait Princepes Apoſtolorum. Act. 5. *Nolite timere eos qui corpus occidunt, & poſtea non habent quod agant*, ait Apoſtolorum magiſter, Princeps Paſtorum, Chriſtus ipſe. Luc. 12. O voces Politicis noſtris execrabiles: qui non niſi hominibus placent, neglecto Chriſto; nõ niſi hominibus obediũt, cõtempto Deo; non niſi homines timent, timore Dei abiecto: qui vt hominibus placeant, vt Ieſabeli obediãt, vt malis Principibus ſe accõmodent atque conforment, veluti *canes Regij* (ſicuti Ariſtippum Laert. in Ariſtippo. inſignem Politicum vocauit Diogenes) vt vxorem, liberos, familiam, ad momentum temporis incolumes conſeruent; religionem, fidem, cultumq; Dei vniuerſum & deſpectui habent ipſi & peſſum ire penituſque profligari, permittunt. *Ex Principibus multi crediderunt in Chriſtum* (ait D. Ioannes) *ſed propter Phariſæos,* Ioan. 12. *non confitebantur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Tales hodie Principes noſtri politici ſunt; qui vt in Repub. principatum vel obtineant vel conſeruent, religionem quam corde credunt, ore confiteri erubeſcunt

beſcunt. Sed o homines nihil minus quam Chriſtianos. qui nec Apoſtolorum Chriſti, nec ipſius Chriſti voces ſanctiſſimas ſuſtinet, ſed omni quo poſſunt conatu illis contradicunt. An non vero Chriſto per omnia non contradicunt? Videte ergo quot modis id faciunt. Dicit Chriſtus. *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei.* Contradicunt iſti. Demus omnia Cæſari, omnia Principibus, omnia præſentium rerum oportunitati. Deo nihil demus; ſed ſi quæ ſunt Dei, ipſi Deo curanda relinquamus. Dei cultum, Dei religionem, curent alijqui volunt; Nihil ea ad nos pertinent. Dicit Chriſtus. *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia* (quæ ad cibum & veſtitum ad victum & amictũ pertinent) *adiicientur vobis.* Contradicunt iſti. Primum & ante omnia corporis, familię, ciuitatis, ac Reipub. noſtræ, curam agamus. Ad regnum Dei quod attinet, quærant alij. Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filijs hominum. Nec primò nec poſtremò regnum Dei quæremus, niſi primum & ante omnia de pace, de incolumitate, de florenti Reipub. ſtatu, nobis cõſtet. Iterum dicit Chriſtus. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Pacem cum Deo, pacem in Deo, pacem in cõſcientia bona, pacem cum proximo, ego relinquo vobis. Non mundi pacem, non vitæ præſentis gaudia, non rerum terrenarum affluentiam, ego do vobis; niſi quatenus

Politici Chriſto cõtradicunt. Matth. 22.

Matth. 5.

Ioan. 14.

nus illa omnia cum altera mea pace vobis relicta, conueniunt. Contradicunt iſti. Nos mūdi pacem quærimus, pacem in ſubſtantijs noſtris, pacem in Repub. pacem in fortunæ bonis, in rerum omnium affluentia, in quiete, & copia domeſtica. Ad pacem Chriſti quod attinet, ea demum tunc in conſiderationem veniet, quando cætera omnia in tuto erunt. Rurſum dicit Chriſtus. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittare, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus Patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius*, id eſt, Non ſic veni, non ſic Euangelium ſalutis æternæ vobis adfero, non ſic ad nominis mei profeſſionem vos voco, vt in alta rerum temporalium pace, in perpetuo & ſuaui veſtrorum conuictu, hoc tantum beneficium conſeruari ſemper à vobis & retineri poſſit. Tempora enim erunt, in quibus ad hoc beneficium conſeruandum, pace hac & fruitione remporali carere debeatis: & ita carere, vt propter nomē meum, illa omnia deſpiciatis. Quare ſic ſtatim Redemptor noſter proſequitur. *Qui amat Patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus*, & alia quæ ſequūtur. His verò Chriſti verbis, fortiſſimè contradicunt omnes noſtri temporis Politici. Nolumus (aiunt) à noſtris parentibus aut pignoribus religionis cauſa, ſeparari. Nolumus fortunarum aut rerum noſtrarum diſcrimen ad con-

Matth. 10.

ad conſeruandam religionem adire. Pacem volumus non gladium. Pacem in ciuitate; pacem in Repub. pacem in ſubſtantiis noſtris, quicquid de Chriſti nomine, cultu, religione, fiat. Qui tot modis, tam apertè, tam flagitiosè Chriſto contradicunt; tamenue in Chriſtianorum numero habendi erunt? tamenue Chriſtiani homines à quoquam vocari poſſunt? A nemine arbitror, qui ipſe Chriſtianus non eſt. Sed cætera videamus.

In Euangelio filij huius ſeculi nonne filijs lucis manifeſte à Chriſto Domino opponun-
Luc. 16. tur? *Prudentiores* (inquit) *ſunt filij huius ſeculi in generatione ſua, quàm filij lucis.* At qui tandem filij ſeculi ſunt, ſi noſtrorum temporum Neopolitici non ſunt: qui ſeculo huic per omnia conformantur, qui tempori ſeruiunt, qui in ſecularibus deſideriis toti occupantur, qui huius ſeculi bona, fortunas, pacem, eo animi impetu, eo ſtudio conſectantur, conquirunt, ambiunt; vt quod filio lucis proprium & intrinſecum eſt, Religionem & cultum veri Dei penitus negligant? Rurſum qui ſunt filij lucis, niſi ſoli Chriſtiani? Audi Apoſto-
Epheſ. 5. lum. *Eratis tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt*
Ioan. 1. *filij lucis ambulate.* Audi Euangeliſtam. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt,* id eſt, Chriſtum veram lucem filij huius ſeculi non receperunt. Audi
Ioan. 8. denique Chriſtum ipſum. *Ego lux in mundum*

veni.

veni. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Soli ergo filij lucis, Chriſtiani ſunt. Politici igitur, non filij lucis, ſed filij huius ſeculi, Chriſtiani non ſunt. An filius lucis eſſe poteſt, qui per omnia, luci contradicit? Chriſtianus erit, qui Chriſti religionem non tenet? Aut tenere ille putandus eſt, qui qualibet occaſione eam dimittit? Nec maritus dicendus eſt, qui quolibet coniugij incommodo motus, à coniuge diuortium quærit; nec ciuis habendus, qui in quouis ciuitatis diſcrimine ſocietatis ciuilis fœdus abrumpit, & defenſioni ſe ſubtrahit, nec Chriſtianus exiſtimandus, qui periclitantem aliquando religionem penitus deſerit. Politici nō Chriſtiani.

In illa parabola *de inuitatis ad nuptias filij Dei*, id eſt de vocatis ad fidem mediatoris, ad profeſſionem nominis Chriſtiani, cum alij venire recuſârent, alij, miſſos ad ſe fidei prædicatores contumelijs affectos, occiderũt, inter diſcumbentes in nuptijs, inuentus eſt vnus, *non habens veſtem nuptialem.* Hic vnus qualis tandem erat? Nonne ad nuptias filij Dei vocatus venit; veniens diſcubuit, diſcumbens amicum ſe ſponſi, hoc eſt, Chriſtianum profeſſus eſt? Sed an propter hæc omnia, pro amico ſponſi habitus fuit? Non habuit veſtem nuptialem: Charitatem Dei, amorem, curam, Zelum religionis nullum, habuit. Non amore ſponſi, ſed vt de cõuiuio nuptiali guſtaret, diſcubuit. Non ex amore Chriſti, Chriſtianum ſe & Matth. 22.

Catholicum profeſſus eſt; ſed quia vtile tunc illi atque honorificum fuit. Hodię politici in Belgio Catholici, in Gallia fœderati, in Anglia ſchiſmatici ſunt, quia ad honores, ad dignitates, ad augendam rem familiarem aditus in Belgio non patet niſi Catholicis; in potentiſſimis Galliæ ciuitatibus niſi ſacri fœderis ſocijs; in Anglia niſi ſchiſma factum complectentibus. Haud ſecus quam olim Samaritæ hi faciunt: qui vt refert Ioſephus, *hoc ingenio erant vt in rebus Iudæorum afflictis negarent ſe cognatos, veritatem tunc dicendo; cum verò affulgere eis fortunam viderent, confeſtim in ſocietatem irruebant*: Quod eo maximè tempore faciebant, quo Alexandrum magnum Iudæis fauere, magnaque illis priuilegia concedere, animaduerterent. Tales hodie noſtri Politici ſunt, Catholicorum partes quum illis eſt commodum, tuentur: quum incommodum aut minus commodum, vel deſerunt, vel etiam cum alijs, impugnant. Tales diſcubuerunt ſine veſte nuptiali. Sed quid ad hæc ſponſus? *Amice* (inquit) *quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Amicum vocat, vt illum ſuum proditorem Iudam alio in loco. *Amice ad quid veniſti? Quomodo huc intraſti?* Qua fronte, quo vultu, qua audacia, in nuptijs meis diſcubuiſti? Incarnationi filij Dei nomen tuum dediſti, Chriſtianum te profiteris, non habens veſtem nuptialem: De hoc Mediatoris tui beneficio, de Chriſtiani nominis profeſſione, de religione Chri-

Politici Samaritani

Antiquit. lib. 11. c. 8.

Matth. 22.

Matth. 26.

ne Chriſtiana nihil curæ, nihil p. nſi habens; Chriſtianum te audes dicere, & Chriſtiana religio ſtetur, cadatur, ſuſque deque accipis? Diſcumbis in Eccleſia mea, ſedes ad menſam meam, accedis ad ſacramenta mea, & Eccleſię meæ pacem paſſim violari, menſæ meæ ſacrificia tot locis pollui, ſacramenta mea à tam multis abrogari, tu æquo animo pateris, tu nihil ad te pertinere exiſtimas, tu tua nihil intereſſe, arbitraris. Ergo nec Dei metus, nec fraterna charitas, nec pietatis ſtudium, nec tot tecum diſcumbentium tam veneranda ſocietas, tot Martyrum certamina, tot Confeſſorum exempla, tot Virginum merita, tot Patrum dogmata, nihil te horum ora vultuſque mouerunt? Omnes quippe iſti ne Politici fierent, fidei & nominis profeſſionem in quibuſcumque temporum procellis, fortiſſimè tenuerunt. Qui ſi Politicos agere voluiſſent, tuæque impudentiæ ſocij eſſe, nec vno anno mea ſtetiſſet Eccleſia. *Quomodo ergo huc intraſti*, & conuiuam te profiteri auſus es, *non habens veſtem nuptialem?* Ad hanc tam acerbam & iuſtam Sponſi reprehenſionem, quid reſpondet Politicus & Laruatus meus Chriſtianus? Dicit Euangelium. *Ille autem obmutuit.* In tam flagranti crimine deprehenduntur à Chriſto Politici iſti, vt nullam defenſionis ſpeciem manifeſtum flagitium admittat. Quare e veſtigio pronunciatur ſententia. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras ex-*

teriores; *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Videte obſecro & attendite Auditores. Nec infideli, qui ad nuptias filij Dei venire noluit, nec mundi huius amatoribus qui vocati eunt poſt hoc ſeculum, alius in villam, alius in negociationem ſuam, nec ipſis Chriſtianorum perſecutoribus, quicquam tale Deus comminatur. Soli ſimulato & laruato Chriſtiano, quales maximè ſunt horum temporum politici, horrenda hęc & que verbis explicari nequit, pœna infligitur.

Politicorũ pœna grauiſſima.

Eſt quippe Neopoliticus iſte & hæretico, & Turca, deterior. Turca nec Chriſtianis ſe amicũ dicit, nec Catholicis. Hæreticus Chriſtianis ſe fauere dicit, ſed non Catholicis. Iſti Neopolitici tum Chriſtiani, tum Catholici, quàm qui ſunt maximè videri volunt, quum neutrum ſint. Illis ergo ſempiternas plagas ſpeciali quadam ratione (quam hoc loco explicare prolixum eſſet) diuina prædixit ſententia. His adde quod dicente Chriſto, *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, ſpargit*; non alio loco Politicum, qui cum Chriſto non eſt, nec cum Eccleſia ſtat, quàm hæreticum qui odit & perſequitur Eccleſiam, habere debes. Æque non eſt Chriſtianus contemptor religionis, quàm hoſtis.

Politicus hæretico aut Turca deterior.

Vide Prõpt. Morale Domin. 19. poſt Pent. tex. 9.

Matth. 12.

Sed vt Neopolitici quàm nihil minus ſint quam Chriſtiani magis adhuc & magis eluceſcat, eorũ maiores & nobiles anteceſſores

in hoc

in hoc prudentiæ ac Politiæ genere qui fuerint, annotabimus. Si enim niſi omnium maximè ſcelere & maleficio inſignes huiuſmodi olim Politici fuerunt, quid de his noſtris iudicandum ſit, in promptu eſt. Ieroboam ille qui decem tribubus veteris populi propter peccata Salomonis à Deo præpoſitus & Rex conſtitutus, magnus in hoc genere politicus fuit; qui vt Regnum ſuum ſibi confirmaret, duos erexit vitulos in duobus excelſis montibus, quos populus adoraret, ne Hieroſolymá aſcendentes vt vera Religio præſcripſerat, ad Roboam Regem Iuda redirent. Sic Politicus ille, Regni ſui ſtatum Religioni anteponens, totum penè illum populum ad idololatriam pertraxit. Achaz Rex Iudæ, videns ſe à Syris deuictum, quum id peccatis ſuis imputare deberet, & ad Dei auxilium confugere, politicè agere maluit, dicens. *Dij Regum Syriæ opitulantur eis; quos ego placabo hoſtiis & aderunt mihi.* Sic iſte Politicus, Deum ſuum & Religionem ſuam, vtilitate metiebatur. Eos elegit Deos, quos ſibi vtiliores fore arbitrabatur; ſicuti illam hodie religionem tenent Politici, quæ vel maxime vtilis vel minime damnoſa, videtur. Sed & totus ille Iudæorum populus, qui in Ægyptum fugerat capta Hieroſolyma, à Rege Aſſyriorum politicè agere maluit, ſacrificans idolis, quàm Ieremiæ verba audire, vt veri Dei cultum retinerent. Aiebant enim Ieremiæ. *Facientes faciemus vt ſacrificemus*

Politicorũ maiores.

Ieroboam.

3.Reg.12.

Achaz idololatra.

2.Parali.28

Iudæi idololatræ.

 mus

Ierem.44. *mus Reginæ cæli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos & Patres noſtri, & ſaturati ſumus panibus & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore quo ceſſauimus ſacrificare Reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & famæ conſumpti ſumus.* Iſti quoque ſuam religionem, ex rerum preſentium affluentia, metiri voluerunt, quod hodie Politici faciũt; eam ob cauſam Catholicę Eccleſiæ defenſionem deſerentes, & cuiuſlibet hæreſis liberum exercitium vel diſſimulantes vel admittentes, quia ex eo tempore quo Hęreticos diuexare cæperunt, magna ſuarum rerum detrimenta, iacturas graues, acceperunt. Sed maximè inſignis & nobilis Politicus, Achab ille

Achas impius. impius Rex Iſrael fuit; qui Patrum ſuorum religione penitus abiecta, quum ſolus tunc

3.Reg.27. aut certe potiſſimum Elias Propheta eam zelaret, & ita zelaret vt in pænam perdendi Regis, illi in os diceret; *nec rorem nec pluuiam aliquot annis futuram, niſi iuxta oris ſui verba*; poſt triennij ſiccitatem, occurrens tandem Eliæ Prophetæ, ait illi. *Tu ne es ille qui conturbas Iſrael?* Videte Politici vocem. Turbant Rempub. ipſius iudicio, qui Zelo religionis tacti, Dei cauſam fortiter agunt. Sed quid ad hæc Elias? *Non ego* (inquit) *turbaui Iſrael, ſed tu & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſequuti eſtis Baalim.* Neopolitici ſunt, deſertores religionis ſunt, qui turbant Iſrael; qui turbant imò perdũt Rempub. Chriſtianam.

Verus

Verus Iſraelita erat Elias. Impius politicus erat Achab, qui vt vxori Ieſabel morem gereret; veram Dei Religionem contempſit. Sic veri Chriſtiani, ſunt Zelatores fidei & Religionis Chriſtianæ. Impij politici eam deſpectui habent, vt ſuis cupiditatibus morem gerant. Sed aliôs adhuc videamus noſtrorum Politicorũ Patres, præceptores, anteceſſores, quos ſibi imitandos pro ſua prudentia politica, delegerunt. Phariſæi, Chriſti famã & prędicationem politicè impedire volebant, dicentes. *Hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem.* Sic in Anglia conuerſio hæreticorum, confirmatio Catholicorum, Reconciliatio ſchiſmaticorum, quam ſacerdotes ex ſeminarijs Romano & Remenſi eo miſſi, quotidie operantur, à politicis illic Senatoribus ſummo ſtudio impeditur, ideoque non vnum (etſi propter vnum) ſed multos pios ac doctos ſacerdotes pati faciunt pro populo, extremoque ſupplicio afficiunt, *Ne* (inquiũt) *tota gens pereat*: ne omnes fiãt Papiſtę, & veniat Papa, aut veniant Hiſpani, & tollant locum noſtrum & gentem, id eſt, tollant hæreticos & vniuerſum Caluiniſmũ. Quid verò? Iudas ille proditor, Nonne vnus ex noſtris politicis erat, quum viſo vnguento precioſo in Chriſti caput effuſo, clamauit ſurcifer: *vt quid perditio hæc? Venundari iſtud poterat & dari pauperibus.* Quæ ille *vt latro, dixit,*

Phariſæi.

Ioan 11.

Iudas proditor.

Matth. 26.

Ioan.12. (ait S. Ioannes) *quia loculos gerebat, non quod ad eum de pauperibus pertineret.* Sic hodie Politici, omnes ſumptus in bello ſacro ad Religionis Catholicæ defenſionem factos, Regiſque noſtri potentiſſimi & pientiſſimi Philippi 2. (quem honoris cauſa nomino) Hiſpaniarum & vtriuſque Indiæ Monarchæ, arma in hæreticos conuerſa, theſauros ampliſſimos, largiſſima manu in eum finem effuſos, Perditionem vocant. *Vt quid* (inquiunt) *perditio hæc?* vel ad ſua in Belgio recuperanda, vel ad Turcam perdomandū, vel ad Imperij fines propagandos, tam immenſi ſumptus conuerti poterāt. Ita non ſecus iſti perire exiſtimant, quicquid in corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, cōfertur, nec ad ipſorum vertitur commodum aut honorem, quàm totum perire exiſtimauit Iudas, quod in Chriſti perſonam conferebatur, nec ad eius loculos quos portabat, delatum eſt. Sed nec tales deſunt Politici, qui ad præſentes hæreſes animo non affecti, vt luculentum tamen emungant lucrum, cauſam Catholicam produnt, in acie hæreticorum ſtant, & vendunt iterum Chriſtum, ſicut idem Iudas Phariſæorum malitiæ ſubſeruiens, nōn quòd illos diligebat, ſed quod ad offam pinguem inhiabat, Dixit ad illos. *Quid vultis mihi*
Matth. 26. *dare, & ego tradam eum vobis? Et conſtituerunt illi triginta argenteos.* Bonus ſanè Politicorum noſtrorum Pater, præclarus anteceſſor, qui multos nunc in Gallia (proh pudor, proh dolor)

lor) imitatores habet. Sed & Pilatus nonne vt Politicus Chriſtum damnauit, & *voluntati Iudæorum tradidit*? illo videlicet clamore territus & perculſus, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Dolens dico ſed dicendum eſt. Cauſam Catholicam à Principibus noſtris vt videbantur Catholicis, ſed verè Politicis, in primis regnantis Eliſabethæ omnium Regni ordinum comitijs, proditam vidimus: qui ne non eſſent amici Cæſaris, amici ſuæ Principis, Catholicæ Religionis abolitionem, infami & nefando exemplo decreuerunt. Alij in eiſdem comitijs venalia ſuffragia habebant; Et ſicut reprobus ille Eſau, *pro vno pulmento, promigenita ſua vendebant*, pro vno præſenti lucello, & vt ſuis placerent Principibus, Religionem hæreditariam, quæ & Regni cæleſtis hæredes eos conſtitueret, toto regno Anglicano expulerunt. Denique Iulianus ille inſignis apoſtata, non quum Imperium adeptus eſt, tum primum apoſtata fuit; ſed adhuc viuente Conſtantio Patruo ſuo, cuius imperium formidabat, & per quem ad imperium aſpirabat, verus apoſtata fuit ſed politicus, Chriſtianam religionem adeo ſimulans, quia Chriſtianus erat Conſtantius, vt & vitæ monaſticę ſtudium præ ſe tulerit, & in ordinem clericorum ſe aſcribi paſſus fuerit. Iſti ſunt politicorum noſtrorum præclari parentes, ſplendidi maiores, anteceſſores ampliſſimi. Ieroboam, Achab, & Achaz reges impij, vetus populus

Pilatus. Luc. 23. Ioan. 19. Eſau. Gen. 25. Iulianus apoſtata. Amm. Marcell. Socrates lib. 3 cap. 1.

idololatria, Phariſæi Chriſtum perſequentes, Iudas proditor, reprobus Eſau, Pilatus perditiſſimus Iudex, Iulianus apoſtata. Si verę Religionis cultores iſti erant, Chriſtiani quoque ſunt Politici noſtri. Sin nulla horum hominum religio fuit, ſed atheiſmus quidam Politicus; nec noſtrorum hodie politicorum vlla religio eſt, nedum Chriſtiana. Quorum enim fœdiſſima facta imitantur, in eorum ordine conſiſtere, numero ac loco, cenſeri debent.

Et vt ſummatim multa complectar, iſti
Matth. 11. ſunt *arundines vento agitatæ*, qui ad omnem ſe religionem conformant, quia nullam Religionem admodū ad rem pertinere, iudicant, Iſti *ſcandalizantur in Chriſto*, eiuſque ſanctiſſima religione, vt quæ eorum cupiditatibus contradicat. Iſtis Chriſtus *factus eſt in ruinam & in pe-*
Luc. 2. *tram ſcandali*; prorſuſque *& cum gentibus ſtultitia,*
1 Cor. 1. *& cum Iudæis, ſcandalum*, Crux Chriſti illis eſt; omniſq; pro Chriſto ferenda aduerſitas; voluntque (quod propriū terrenæ ciuitatis quæ
De Ciuit. ciuitati Dei opponitur eſſe docet Auguſti.)
Dei lib. 15. *vti Deo & frui mundo*; vti ad ſuum commodum
cap 7. religione; frui & conquieſcere in bonis terrenis. Sed & horum Politicorum impietatem, quàm ſit ab omni religione alieniſsima, luculenter demonſtrat Imperatoris Heliogabali Romani, Sardanapali, infame exemplum. Nam vt ille homo flagitioſiſsimus atque ſpurciſsimus, religonem eo loco habebat, *vt nullum quidem Romæ Deum, niſi Heliogabalū*

coli-

coli pateretur, ſed ita, vt in ſuum templum præter omnium aliorum Deorum, etiam Iudæorum & Samaritanorum religiones, atque adeo Chriſtianam deuotionem transferri voluerit, vt omnium culturarum ſecretum, Heliogabali ſacerdotium teneret; ſic planè noſtri temporis Politici, omnes religiones ac ſectas, Lutheranorum, Caluiniſtarum, Puritanorū, atque adeo Catholicam deuotioné tolerandas & recipiendas, atque à Regibus permittendas arbitrantur, dummodo pax Regni tuta ſit; vt omnium culturarum miſteria Politicorum idolum teneat; nec vllum errorem reſpuant, qui nullam veritatem curant: & (vt de Roma ethnica ſcribit S. Leo) *hac in re magnam ſibi videantur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuunt falſitatem.* Quo in genere laudat Politicus Bodinus varios Imperatores, qui ipſi Catholici quum eſſent, hæreticis tamen liberos conuentus conceſſerunt. Sed vt multa mentitur, de Conſtante videlicet, & Theodoſio magno, & Valentiniano maiore, qui Arianis libertatis aliud nunquam conceſſerunt; ſic quod de Valente Imperatore Ariano & de Anaſtaſio Entijchiano profert, quorum ille à Gothis in bello victus, in tugurio cum ſuis concrematus eſt, hic igne de cælo tactus fuit, nihil ad rem facit: niſi forte, quorum exitus tam horrendas & infames hæreſes omnes Principes merito exhorreſcunt, eorum impia facta Chriſtianos Principes, imitari vellet. Et quod idem Anaſtaſius Concionatores verbi

Ælius Lãpridius in Antonino Heliogabalo

Serm. 1 in Nat. Apoſt. Pet. & Pau.

De Repub. lib. 3. cap. 7

Ammian. Marcell. hiſtor. lib. 31. Paulus diac. hiſto. lib. 15.

bi

Euang. lib. 3 cap. 13. Niceph. li. 16. c. 26. bi fortes & pro veritate conſtantes in exiliũ religaſſe, à Bodino dicitur, hoc in eius ſummum vituperium & deteſtandam ignauiam atque irreligioné notandam, qui præpoſtero pacis ſtudio, nullum cuiuſcumque religionis Zelatoré, tolerare voluit, ab hiſtoricis Eccleſiaſticis commemoratur; non in exemplum bonis Principibus proponitur, vt Catholici quum ſint, Concionatores Catholicos Dei cauſam fortiter agentes, ipſi ſimiliter in exilium pellant, vt magnus ille nugator Bodinus, inferre voluit. Certe illud Anaſtaſij fœdum facinus, ſicut & proximi eius anteceſſoris Zenonis edictum ἑνωτικὸν ſeu pacificatorium (quod etiam citat Bodinus) *totum Orientem perdidit*, teſte Euagrio, *innumeriſque hæreſibus repleuit*. Valens quoque Arianus, quum omnibus ſectis libertatem daret, & ſolis Catholicis negaret, id effecit, *vt cultus idololatricus, paßim inualeſceret*, vt ſcribit Theodoretus. Tanto cum iudicio ſua exempla profert, ſuoſque Authores citat Bodinus, & Politicum agens hoſtem ſe Chriſtianitatis prodit.

Vt ſuprà.

Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 20.

Sed vt ad Politicorum noſtrorum maiores redeamus. Politici erant amici illi Tobię iuſti, qui ſic ei loquebantur. *Iam huius rei cauſa interfici iuſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterum ſepelis mortuos? Sed Tobias plus timens Deum quam Regem, rapiebat corpora occiſorum fratrum ſuorum, & ſepeliebat ea.* Politici erant, qui Eleazaro ſeni ſuadebant vt carnes lege vetitas man-

Tob. 2.

2. Macha. 6

ducare ſe ſimularet, ſicque vitæ ſuæ & fortunis conſuleret: quod ille recuſans facere, pro Religione Patrum ſuorum mortem oppetere maluit. Politici erant, qui S. Sabam martyrem in eandem ſimulationem inducere volebant, primum carnes non immolatas pro immolatitijs (quas ethnicus propoſuit perſecutor) ſupponendo; Deinde iurare volentes neminem in ſuo pago Chriſtianum eſſe. A qua tota ſimulatione politica vir ſanctus alieniſſimus, exclamauit. *Nemo pro me iuret. Chriſtianus ego ſum, nec idolis immolata, manducabo.* Talis ille verè Chriſtianus, tales illi Politici & non Chriſtiani, fuerunt. Sed exemplorum & argumentorum fortaſſe iam ſatis, quæ noſtros politicos nihil minus quã Chriſtianos homines eſſe, luce meridiana clarius euincent.

In vita eius apud Suriũ 12. Aprilis.

Venio nunc ad ſecundam orationis noſtræ partem, in qua quanta ſit Politicorum noſtrorum impietas, quàm etiam ethnicorum iudicio execranda, quantiſque pœnis ac ſupplicijs digna, dicendum mihi eſt. Quæ ſanè pars pluribus verbis non videtur explicãda. Si enim in Chriſtianorum numero non ſunt habendi, Si Chriſto Saluatori noſtro, non factis tantum vt mali Chriſtiani, ſed iudicio quoque ac ſententia multis modis contradicunt, ſi hominum qui vnquam fuerunt ſceleſtiſſimorum facta imitantur (vt ex his quæ iam diximus patefactum eſt) quid demum obſecro ad hanc tantam impietatem addi poteſt, aut quid moramur

remur de illis confeſtim ſententiam ferio, & vt monſtra ac portenta mundi, non Chriſtianorum tantum, ſed & omnium bonorum virorum ſocietate indignos, pronunciare? Cęterum, niſi multæ adhuc viæ & rationes extremam eorum impietatem nobis commonſtrent, quæ hactenus dicta ſunt, condonari illis & tanquam nulli culpæ affinia, haberi volo. Primum enim hoc vnum, quantum eſt in noſtri temporis Politicis flagitium & ſcelus
1. quod Religionis conſeruationem vel nullo loco habent vel niſi in ſecundis aut etiam extremis ponunt? quòd Zelum Catholicorum
2. pro religione pugnantium, pro religione aſſerenda ardens ſtudium, pios labores, graues
3. impenſas, pro ſummo furore & amentia ducunt? quod ipſi religionis ob cauſam quam & profitentur, nec vnius teruncij iacturam æquanimiter ferunt? Hic inquam ſacroſanctæ Religionis, (qua vna ſalua, ſalus conſiſtit omnium ſempiterna) contemptus, nauſea, faſtidium, quantum ſcelus, quàm immane flagitium, quam certum & exploratum hominis perditiſſimi argumentum eſt? Cui enim ille peccato, cui ſceleri, fraudi, flagitio conſenſum & operam præbere ſuam reformidabit, qui totius pietatis fontem atque, virtutis vinculum, *Religionem*, deſpexit? Quem ille in furto, in rapinis, in adulterio, in fraude, in mendacio, in quauis libidine aut cupiditate, ſcrupulum ponet, qui *Religionis* cauſam deſpe-

deſpectui habere, id eſt,Dei rerumq; diuinarum curam, amorem, affectum omnem,animo eijcere ſuo,potuit?

Sed agam preſſius. Vereor enim ne moleſtus ſim vobis Auditores, aut ingenijs veſtris diffidere videare, ſi de tam perſpicuis rebus diutius differam. Surgant ethnici & infideles, qui Politicos noſtros de hoc religionis contemptu,condemnent. Senatus Romanus totius orbis tribunal ſupremum, ſic Religionis cauſam omnibus rebus antetulit, vt in ſingulis conſeſſibus, de Diuinis rebus priuſquam de humanis ad Senatum referretur; quam etiam ob cauſam, non niſi in templo aliquo conuenire, & qui eo die Senatum habuit, immolare prius hoſtiam auſpicarique debuit, vt author eſt M. Varro apud Aulum Gellium. Lib.14.c.7.
Sic iſti terrarum Domini religionis cauſam etſi vaniſſimè, non niſi primo ſemper loco habendam, cæteriſque rebus omnibus præferendam, cenſuerunt. Idem igitur Senatus, Numæ Pompilij libros in agro quodam dum cultores altius moliuntur terram, inuentos, quia Prætor lectis rerum ſummis plæraque in illis ſoluendarum religionum eſſe aduerterat, idque iureiurando affirmare paratus erat, publicè in conſpectu populi,cremari iuſſit. Tit. Liu. Dec.4.l.10.
Adeo religionis quam tenebant,vel minimā repræhenſionem non ferendam,cenſuerunt. Alexander Seuerus Imperator ethnicus, audita controuerſia inter Chriſtianos & genti- Ælius Lampridius in vita eius.

les

(neque enim homines amplius dixerim) eſſe arbitramur?

An hoc poſtremum impietatis ſuæ facinus, quaſi completam ſuam malitiam, in fine nunc ſæculorum inuexit Satan, vt quod hactenus per tyrannos ethnicos, per potentes Mahometanos, per nefarios hæreticos, obtinere non potuit, per nouos iſtos Politicos, quaſi ſeruatos quoſdam Chriſtianos, & nomine tales re atheos, efficeret? Sic opinor verum erit, quod Chriſtus non ſine gemitu, dixit. *Putas ne filius hominis quum venerit, Inueniet fidē in terra?* Inueniet quippe Ethnicos, qui verum Deum non colunt; Inueniet Iudęos, qui Chriſtum non recipiunt; Inueniet Mahometanos, qui non niſi pro Propheta aliquo, eum agnoſcunt; Inueniet hæreticos, qui Eccleſiam eius non audiunt; quumque reliquos inuenire deberet orthodoxos & Catholicos, proh ſcelus, proh pudor, inueniet eos nouos politicos, nouos atheos, nouos Diagoras & Portagoras, qui dudum è ciuitatibus omnibus pelli debebant, vt veteres illos expulerunt Athenienſes, propoſita etiam ei mercede, qui illos interficeret, vt de Diagora refert Suidas: An durus vobis hic ſermo videtur, nouos iſtos Politicos tanquam atheos, & Deorum atque hominum deriſores, ciuitatibus pellendos? Videte igitur an non idem in eos ſtatuerit Conſtantius Imperator, Conſtantini Magni pater. Nobile ejus & præclarum facinus, audite. Imperator

Politici Satanę poſtrema inſtrumenta.

Luc. 18.

Suidas in Diagora.

Euſeb. in vita Conſtātini lib. 1. cap. 14 & Sozom. lib. 1. c. 6.

iam & Auguſtus declaratus, vocatis omnibus domeſticis ſuis, ait eos qui ſacrificare Dijs vellent apud ſe manſuros loco & honore priſtino; qui id recuſarent, vt recederent, gratiaſque agerent, quod in eos grauius non animaduerteret. Quibuſdam ergo Chriſtianis politicè ſacrificantibus, alijs verò aulam potius quam fidem deſerentibus, hos apud ſe retinuit, magnoq; in honore habuit: politicos vero illos, & arundines vento agitatas Aula ſua expulit, Dicens, *eos Regi ſuo nunquam fideles fore, qui Deo infideles extitiſſent.* Quidni ego ciuitatibus pelli merentur, quaſi ciuitati ſuæ nunquam fidem ſeruaturi, qui Deo ſuo eam non ſeruarunt, quos tantus Imperator Aula ſua expulit, & honore deiecit? Sed grauius adhuc & memorabilius exemplum accipite. Theodoricus Arianus in Africa Rex, miniſtrum quendam Catholicum habuit, apprimè ſibi charum & in delicijs. Hic vt magis Principi ſuo placeret, & bonum politicum ageret, Arianum ſe fieri velle, Regi renunciat. Quo ille audito, capitis eum ſupplicio affici iubet, ſic ei dicens. *Si Deo tuo fidem non ſeruaſti; quomodo mihi, qui homo ſum, ſeruabis?* Si tales hodie Principes, Dominos ac Magiſtratus, Politici noſtri inuenirent, tota eorum politia cito euaneſceret, & ad ſimplicitatē Chriſtianam, homini Chriſtiano propriam, Dicto citius rediret. Certè vt facti ſui impietatem non exhorreſcant, exitum tamen & finem quare non pertimeſcunt? Si Metios

Theodorus lector lib. 2 Collectan.

Suffe-

Suffetios agunt, & quo inclinet victoria exſpectantes, ad omnem ſe religionem interea conformant, cur & conſimilem mercedē non commerenter. An non verò grauior eſt Religionis ſacroſanctæ cauſa, qua Deo & Eccleſię omnis Chriſtianus aſtringitur, quam ſociale fædus, ab homine inter homines, initum? An non ſi ſimili aut certè leuiori aliqua pæna plecterentur, meritò & in illos quadret,

At tu dictis Albane maneres?

Sed & illud quoque iterum atque iterum diſpiciat politicus fore proculdubio, vt ſi vincat hæreticus cuius partes ſimulatione ſua iuuat, non meliore apud eum loco ſit, quam erit Catholicus, qui fortiter ſeſe hoſti oppoſuit. Placet hoſti proditio, ſed proditor, nunquam placuit. Placent hodie hæreticis Politici iſti & pſeudo-Catholici. Sed talis politia, iſtis ſummopere diſplicet.

In Anglia tam Principi, quā toti nobilitati & populo hęretici multo magis diſplicēt, magiſque exoſi & ſuſpecti ſunt, quos ſchiſmaticos vocamus, id eſt, qui ab hęreſi animo alieni hæreticorum tamen conuenticula frequentant, & illis per omnia ſe conformant, ne aliquod fortunarum diſcrimen adeant, quàm veri & Zeloſi Catholici, qui nec fidem ſuam diſſimulant, nec alij haberi volūt, quam ſunt. Et quidem meritò. Quæ enim illis fides habenda, qui in ipſa fide, fidem non ſeruauerūt? Schiſmatici Angli.

Argumentemur cum Apoſtolo, *Qui ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior eſt*. Bone Deus. Quid ergo erit Politico, qui domeſticorum fidei, qui Religionis totius, curam nullam habet? An non & ille fidem negauit, & infideli deterior eſt? Certe S.[a] Cyprianus & [b] Theophilactus per domeſticos hoc loco, fidei domeſticos & fideles ad literam, intelligunt. Fidem autem negauit huiuſmodi ἄϛοργος, quia ad fidei abnegationem talis fidelium fratrum contemptus, tum alios inuitat, tum ipſum neglectorem, manuducit. Eſt quoque infideli deterior, quia nec infidelis ipſe, vel domeſticorum ſuorum, vt fidei ac religionis ſuæ curam negligit, vt in præcedentibus, oſtenſum eſt. Sed dic mihi obſecro bone politice. Ais te Catholicum quidem & eſſe, & viuere, ac mori Catholicum velle: hocque tibi homini priuato ſatis eſſe, ſi tuam ipſe animam ſerues; nec neceſſe tibi eſſe, vt in has te turbas imprudenter des. Laudarem prudentiam tuam, ſi illa prudentia eſſe poteſt, quæ cum impietate coniuncta eſt. Sed nunc vide, quam prorſus abſurdè loquaris. Nonne abſurdiſſimus, & tum patris, tum ciuis nomine, indigniſſimus eſſes, ſi ciuitate tua ab hoſtibus obſeſſa, pro tuis quidem fortunis, pro vita ac ſalute tua paciſcerere, quibus ſaluis ciuitatem hoſti traderes, atque ita liberos ac poſteros tuos omnes patria ac paterna hæreditate, ſpoliares? Neminem arbitror ſic male

1.Timo.5.

a Ad Quirinū lib.3. Cap 75.
b.In comment.

Politicus infideli deterior.

Politicorū abſurda defentio.

malè Politicũ,qui huiuſmodi ciuem nõ in feris omnibus ac diris daret,nec ciuẽ,ſed proditorem patriæ vocandum, diceret. Atqui tu Politice Chriſtiane, ita tibi religionem tuam ſaluam eſſe vis, vt ciuitate ac patria tua hæreticorum poteſtati relicta, & liberos,& ciues, & poſteros tuos omnes, fide ac Religione Chriſtiana in perpetuum, ſpolies. Hoccine politice factum putas? Hoccinè Chriſtianè & Catholice factum exiſtimas? Non vides te ſceleratiſſimum,eſſe fidei ac Religionis tuæ proditorem; te fidem negaſſe, abnegationis fidei cauſam multis dediſſe, & infideli deteriorem eſſe, Denique id facere;quod nullus infidelis faceret? Si in cauſis ciuilibus & in bonis fortunæ ac corporis,non nobis tantum nati ſumus;ſed patriæ & ciuibus;quanto magis in cauſa Religionis & in bonis animæ ac ſalutis æternæ, non nobis tantum renati in Chriſto ſumus,ſed toti Eccleſiæ, cuius membra ſumus,toti Chriſtianæ ſocietati cuius filij & fratres ſumus? maxime vero illi Chriſtianorum ſocietati, illi Eccleſiæ particulari, in qua agimus.

Sicut in corpore naturali non ſibi oculus videt,aut pes ambulat, ſed toti corpori & ad bonum totius;ſic in corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia nemo ſibi tantum Chriſtianus eſt,ſed toti Eccleſiæ: iuxta illud Apoſtoli. *Nemo noſtrum ſibi viuit:& nemo ſibi moritur.* Et Rom. 14. rurſum. *Non poteſt oculus dicere manui, opera* 1 Cor. 12.

tua non indigeo: aut caput, pedibus, non eſtis mihi neceſſarij: ſed idipſum pro inuicem ſollicita ſunt membra: & ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Si ergo ô Politice, membrum Chriſtianæ ſocietatis es, quomodo illa laborante, & tot ac talia ab hæreticis patiente, nihil compateris? quomodo vt tuo priuato commodo proſpicias, fratrum tuorum omnium ſalutem, negligis? Quam ergo nobis maiores noſtri ſacroſanctam religionem integram & ſanam in patria aut ciuitate noſtra reliquerunt; eam ſi Chriſtiani ſumus & Reipub. Chriſtianæ boni ciues, poſteris quoque noſtris quantum in nobis eſt, integram & illibatam relinquere, debemus. Qui aliter ſentit, qui aliter faxit, eam & tuber deforme, & callum obduratũ, à reliquo corpore reſecare, vt peſtem publicam deteſtari, vt portentum quoddam in vltimas terras deportandum, fugere & abominari, oportet.

Stob ſerm. 41. Solon hanc Politiam ſuos ciues docuit, *vt mala publica, non ſecus quam propria, omni ſtudio curarent.* Rogatus enim, quo tandem modo fieri poſſet, vt nullum in ciuitate ſcelus perpetraretur, reſpondit? *Si tam indignarentur illi, quibus non eſt facta iniuria, quàm quibus facta eſt.*

Iud. 20. Sic vnius Leuitæ concubinam à Gabaonitis nefariè violatam, omnes vndecim tribus Iſrael in prælium congregatæ, vltæ ſunt. Timon rogatus cur homines odiſſet, reſpon-

Maximus ſerm. 25. dit. *Improbos odi, quia improbi ſunt. Bonos odi, quia*

*impro*bos

improbos non oderunt. Certè vrbem Romam, in qua tam multi boni Chriſtiani erant à Gottis captam atque direptam fuiſſe, ipſoſque bonos cum malis acerbam illam calamitatem perpeſſos fuiſſe, quia boni malos tolerabant, & propter humanum Diem linguamq; blandientem ab alijs reprehendendis, multò magis corrigendis abſtinebant, ſcribit grauiter & doctè S. Auguſtinus. De Ciuit. Dei lib. 1. cap 9. Athenienſes profectò melius hac in re inſtituti, quam noſtri hodie Politici, in ſchola Machiauelliana hanc politiam didicerant, vt Themiſtocles conſilium de ſuccendenda Lacedæmoniorum claſſe, quę Plutarchus in Ariſtide inducíarum tempore in quadam eorum ſtatione conſtiterat, etſi Reipub. ſuę vtiliſſimũ, tamen quia turpiſſimum, prorſus reijcerent. Vel hoc plebeium judiciũ Politicos noſtros doceat, vt publicam honeſtatem ac multo magis pietatem, vtilitati ſeu publicæ ſeu priuatæ, anteponant.

Sed ad noſtra redeamus. Valentiniano iuniore imperante, Symmachus Præfectus vrbis Romæ, homo ethnicus, poteſtatem ſacrificandi & idololatriæ liberum exercitium, petijt. Erant in Imperatoris Aula Politici, qui hoc tanto viro concedendum ſuaſerunt. Sed S. Ambroſius Mediolanenſis tunc Epiſcopus, Lib. 5. epiſtol. epiſt. 30. quid Imperatori ſcripſerit, audiamus. *Deo vero quiſquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non diſſimulationẽ, non conniuentiam, ſed fidei ſtudium & deuotionis impendit. Ipſis gentilibus diſplicere*

conſueuit, præuaricantis affectus. Liberè enim debet defendere vnuſquiſque fidele mentis ſuæ, & ſeruare propoſitum. Quod ſi aliqui nomine Chriſtiani tale aliquid decernendum putant: mentem tuam nuda vocabula non capiant, nomina caſſa non fallant. Quiſquis hoc facit, ſacrificat idolis, & quiſquis hoc ſtatuit. Hæc ille ſanctus & clariſſimus Eccleſię Doctor. Ecce idololatra eſt, qui idololatriam concedendam, ſuadet. Hæreticus quoque eſt, qui aliquid hæreticis tribuendum ſentit, in ſacroſanctæ fidei noſtræ, præiudicium. Omnis heręſis nō niſi per tales politicos, profecit. Ignauia & ceſſione Catholicorum, vis & potentia creuit hæreticorum: & vt D. Hieronymus ſuo tempore dixit: *Barbari fortes fiunt: noſtris vitijs, Romanus ſuperatur exercitus*, ſic hodie noſtris politijs, Catholicus ſuperatur exercitus, Catholicæ franguntur vires, & vexatur Religio. Alia veterum fuit & piorum Imperatorum fortitudo ac pietas. Heraclio Imperium recenter adepto, & inducias à Perſarum Rege (qui tota Syria Imperium ſpoliauerat) poſtulante; reſponderunt impij hoſtes, *nō prius ſe Romanis pacem daturos, quam Chriſtum abnegaſſet Imperator.* Quo accepto reſponſo, adeo excanduit pius Imperator, etſi maximis nuper cladibus acceptis, vt ingentibus copijs in hoſtem ductis, & amiſſa recuperauerit, & totam Perſidem, igni ferroque vaſtauerit. Politici hodie noſtri hinc Principi à Conſilijs ſi fuiſſent, Chriſti profecto abnegationem ad pacem publi-

In epitaphio Nepotiani.

Baptiſta Egnatius in Heraclio

publicam conſeruandam,non egrè conceſſiſ-
ſent. Quid enim intereſt Chriſtum abnegare,
& vniuerſum eius fidem orthodoxam prode-
re & proſtituere? Nobile ſane hoc pietatis ex-
emplum fuit, & Imperatore Chriſtiano dig-
num. Sed agebatur de capite; & totius Chri-
ſtianitatis iugulum, petebatur. Nobilius erat
Theodoſij iunioris Imperatoris alioqui ma-
ximè pacifici, ac plenum pietate pectus, qui
ne Perſas Chriſtianos in grauiſſima perſecu- Socrates
tione ad eius Imperij loca confugientes, Bar- lib 7.c.18.
baro Perſarum Regi traderet, qui ita eos ſibi & Tripart. lib.11.c.15
reddi poſtulabat, vt ni id fieret, bellum indi-
ceret; cum acerrimo hoſte bello potius decer-
nere & fœdus obrumpere, quam Religionis
cauſa profugos Tyranno tradere, maluerit.
Bellum itaque maximum ea de cauſa conci-
tatum eſt; in quo ſæpe victis & fuſis Perſis à
poſtulato deſiſtere, coactus eſt. Hic optimus
Princeps, ſi Politicus eſſe voluiſſet, quales hęc
ætas Politicos videt, omnes Religionis cauſa
exules & profugos ad primum ſtatim Ty-
ranni poſtulatum, reddere debuiſſet. Sed nec
minimam voluit Chriſtianæ Religioni quam
profitebatur maculam inferre, aut eius defen-
ſionem in re vel minima, ad momentum de-
ſerere. Nunc verò alia conſilia, hic orbis videt.
Cætera fortiter & ſtudioſè curanda ſunt. Sola
Religionis cauſa aut tepidè & molliter, aut
non omnino, curanda. Pompeius in pugna
Pharſalica pro Repub. & patrię libertate pu-

gnans, politicè tamen,tepidè & molliter agere volens,iam inter ſtrepitus armorum,clamat,*Parcite enim ſanguini.* Cæſar ab altera parte pro ſua gloria decertans, vociferatur. *Miles, faciem feri.* Sic fugato Pompeio,vicit Cæſar. Meliorem cauſam,vicit deterior;quia illa politicè & molliter,hæc Zeloſè & feruenter tractata eſt.Sic per nouos Politicos cauſa hodie agitur Eccleſiæ:imo non agitur,ſed agitatur, & agitata deſeritur, deſerta ſubuertitur. Sinonis conſilium dant, vt pacis cauſa, equus Græcorum armato milite plenus,quaſi Palladi ſacrum Troiam introducatur,etiam mœnibus diſruptis. Sic enim per Eccleſiæ ruinas, hæreticos in Eccleſiam pacis ac religionis cauſa,intromittunt. Et vt olim C.Cęſar,Catilinæ coniuratione detecta,Senatui miſericordiam ſuaſit,quia & patricij viri participes eius erant; Sic iſti hæreſum iam turpitudine & impietate detecta, clementiam Principibus & Magiſtratibus ſuadent, quia magnos viros & loco honeſtiore natos ciues,his hæreſibus implicatos,vident. Sed ſi audiantur, non ſecus Eccleſiæ libertatem hæretica tyrannis è medio tollet, quam Romanorum libertatem ſuſtulit Cæſar:cuius tunc Conſilia non aliò ſpectabant? Popularem auram & patritiorum gratiam hoc ſuo conſilio,captando.

Meliorem cauſam cur vincat peior.

Sinonis conſilium.

C.Cæſaris conſilium politicum.

Sed de horum hominum impietate, & quantæ Reip. Chriſtianæ peſtis ſint, pro hu-

ius

ius temporis breuitate, ſatis dictum eſt: pro rei indignitate, ſatis nunquam dici poteſt. Vnum adiecero, finem faciam. Parricidij accuſatũ, rectè defendit Orator maximus, *quod ante eius criminis ſuſpicionem, vir bonus ſemper habitus fuerit*: & addit; *eum qui parricidij quempiam accuſat, oportere eius qui in crimen vocatur, & audaciam ſingularem oſtendere, & mores feros immanemque naturam, & vitam vitijs flagitiiſque omnibus deditã, & deniq; omnia ad perniciem profligata atque perdita. Neq; enim tale flagitium in alium cadere poſſe, quam cuius tota vita, ſcelere & maleficio contaminatiſſima eſt.* Cic. pro Roſcio Amerino.

Politicos igitur contemptæ & deſertæ proditęque Religionis ſanctiſſimæ conuictos, cui demum ſceleri affines non eſſe, à quo flagitio temperare ſe poſſe, cui non crimini adictos & obnoxios eſſe, exiſtimabimus? *Si enim pietas erga parentes, non ſine graui ſcelere læditur, ſi magna vis humanitatis eſt, ſi multum valet communio ſanguinis, ſi portentum atque monſtrum certiſſimum eſt, ſſe aliquẽ humana ſpecie & figura, qui tantum immanitate beſtias vicerit, vt propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexit, eos indigniſſime luce priuarit*; quantò magis, quantò verius, quantò fortius, pietas erga Deum non ſine immani ſcelere violatur, nec violatur modo ſed & deſpicitur; nec deſpicitur tantum, ſed vt abiectiſſimum quiddam rebus omnibus, poſtponitur? Magna eſt vis religionis, multum valet ſocietas fidei, arctiſsimum eſt Chriſtianæ charitatis vinculum: portentũ atque monſtrum certiſsimum eſt, eſſe aliquẽ

Chri-

Chriſtiani nominis,fide ac profeſſione Chriſtianum, qui per cuius religionis ſacramenta renatus eſt, & factus filius lucis, vocatus in admirabile lumen Dei; illam religionem indigniſſimè luce priuare, nefariè prodere, deſerere, contemnere, viliſsimo loco habere, non pertimeſcit.

Videamus nunc quod vltimo loco dicendum propoſuimus,quibus illi technis & fucis (non enim argumenta dicam) hanc ſuam nouam politiam noſtri temporis politici,defendant; ne inauditos ſe à nobis damnari,quiritentur. Maior eſt (aiunt) hæreticorum potentia,quàm vt in ordinem cogi queant:quare lenienda magis quàm exagitanda,videtur; conſulendumque magis ſecuritati,quam vindictę,& accuratè cōſiderandum potius, quid ab illis cauere,quam quid in illos quibus impares ſumus,ſtatuere debeamus. Non eſt igitur ſpes deſperatione quærenda, quum ſumma quiete animi leuiter agẽdo,concordi omnium commercio viuere poſſimus. Prudentes potius naucleros imitari oportet,qui tempeſtati cedendo,naufragium euadunt. Hæc illi, & inter alios Bodinus. Specioſa oratio, ſed meretricia; certe mollis & fœminea, nec viro digna,nedum Chriſtiano. *Quis enim ſpurius iſte Philiſtæus & incircunciſus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* Qui iſti ſunt Allophijli & ſpurij hæretici, qui agmina Catholica ſuſtinere ſe poſſe,confidunt? Dicemus contra,qui

Politicorū prætextus & obiecta.

Bodinus de Repub. lib. 3. cap. 7.

1. Reg. 17.

Dei

Dei beneficio verè Catholici ſumus. *Non eſt* Prouer. 21.
conſilium, non eſt ſapientia, non eſt prudentia aduerſus
Dominum. Portæ inferi non præualebunt contra Eccle- Matth. 16.
ſiam Chriſti, ſuper Petro ædificatam, multo minus
hæreticorum Phalanges. Si cum Marco Au- Vulcat.
relio, Antonino pio dicto, nos Catholici di- Gallus in Auidio
cere non poſſumus; *Non ſic Deum colimus, nec ſic* Caſſio.
viuimus vt hæretici *non vincant*; at certè cum
Scriptura dicere poſſumus. *Hi in currubus & hi* Pſal. 19.
in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri, pugna-
bimus. Cum Dauide dicemus. Vos hæretici 1. Reg. 17.
venitis ad nos cum gladio & haſta & clypeo: in faſtu
& ſuperbia. Nos autem Catholici venimus
contra vos, *in nomine Domini exercituum*, in nomi-
ne Ieſu Chriſti, cuius Eccleſiam tenemus, cu-
ius Sacramenta, cuius fidem integram, ſerua-
mus: quę vos omnia perditiſſimi homines, ne-
farié violaſtis. Dicemus audacter cum Pro- 2. Paral. 25.
pheta. *Non eſt Dominus cum Iſrael & cunctis filijs*
Ephraim. Non eſt Deus cum ſchiſmaticis, cum
hęreticis, qui quotidie blaſphemant nomen
eius. Dicemus denique cum fideli Ionatha.
Non eſt difficile Domino, ſaluare vel in multis vel in 1. Reg. 14.
paucis. Vbi autem Politicorum plena ſunt om
nia, & fides in Deum nulla, nihil mirum eſt,
ſi fiat illis ſecundum fidem eorum. Alioqui
quis neſcit à parua Catholicorum manu, in-
gentes hæreticorum copias fuſas, fugataſque
perſæpe, extitiſſe? In recenti memoria eſt,
Guiſianorum fratrum cum paucis milli-
bus nobiliſſima victoria; cæſis & abactis è Anno 1587
Gallia

Gallia quadraginta germanorum hęreticorũ, millibus. Cęterum ſi nulla eſſet cauſę imparitas, nulla ponenda in Deum fiducia; quis etiam illud non videt, ſingulari Dei beneficio maiores adhuc eſſe Catholicorũ Principum vires, quàm ſint hęreticorum? Cuius hoc ego argumentum maximum facio: Si potentiores illi eſſent, iam dudum Catholicorũ Eccleſiæ, nullę fuiſſent. Quod vt in Donatiſtis ſui temporis notauit Auguſtinus; ita in Caluiniſtis noſtri temporis, vero verius eſt. Ait enim illis: *Sæuire vos nolle dicitis. Ego non poſſe arbitror. Quando enim potuiſtis & non feciſtis? Vnde oſtenditis quod plura faceretis, ſi poſſetis.* Hæc ille. Sed Politicum iſtud eſt, hæreticorum potentiam amplificare, vt ab illis impugnandis deſiſtere non ignauiæ ſed prudentiæ, nec voluntati, ſed neceſſitati, deputetur: quem inaniſſimum fucum iam ſatis abſterſum puto.

Epiſt. 48. & contra Petilianum lib. 2. c. 83.

Dicunt alij de rebus leuiculis, hanc totam cum hæreticis contentionem eſſe, neq; opus eſſe rem armis tranſigi, quę vel in ceremoniarum diſcrepantia, vel in ſubtilitatum diſquiſitione minus neceſſaria, tota conſiſtat: Omnes quæ dicuntur hodie hęreſes, Chriſtum ac certam Religionem profiteri, & in hac profeſſione ac Religione, ſaluũ fieri vnumquemque poſſe. Quos ego homines aut nihil in religione intelligere, aut nullius religionis eſſe, dixerim. Itáne vero Eccleſiam vel Catholicã & veram, vel hęreticam & falſam tenere; & ſub

Cõtrouerſię modernæ de religione grauiſſimæ.

ſub Antichriſto capite vel eſſe, vel nõ eſſe; res eſt leuicula? quum extra veram Eccleſiã, nullum eſſe ſalutis locum, omnibus etiam hodie hæreticis in confeſſo ſit? Sacramentorũ vſus quorum hęretici maiorem partem abrogarũt, queq; retinent nefariè contaminarunt, ad rem Religionis parum aut nihil facit? Sacrificio externo Deum colere vel non colere, & in eo ſacrificio de idololatrię horrendo & pudendo ſcelere, vel falsò vel verè accuſari, res exilis eſt? An ex ſola fide ſalus comparetur, aut ad ſalutem bona opera neceſſariò requirantur, res eſt magis ſubtilis, quã cognitũ neceſſaria? Taceo cætera, quæ propemodũ infinita ſunt, quia omnia dicendi hic, nec locus, nec tẽpus eſt. Quod autem dicitur, omnes hodie hęreſes Chriſtum profiteri & certam Religionẽ eſſe, id ſi ita eſt, vide quæſo, vt in atheiſmi baratrũ præcipitamur. Si enim omnis & quęlibet hęreſis Chriſtianorum, Religio eſt, profectò è conuerſo, omnis Chriſtianorũ religio, hæreſis eſt: Et ſic rurſum nihil eſt hoc totum, quod vocatur Religio. Hæc eſt huius Neopolitæ analyſis. Sane ſicut olim ter impius Mahometes, ex varijs hęreſibus Neſtorianorum & Eutycheti ſtarum, admixtis Iudaicis ritibus, ſuũ conflauit Mahometiſmum, & conſcripſit Alcoranum; ſic iſti belli Politici, ex omnibus hodie ſectis, admixta etiam Catholica veritate, nouum nobis machinantur & parturiunt Atheiſmum.

Atheiſmi baratrum.

Replique à la Remonſtrance du Catholiq; Anglois. Pag. 191.

Sed ad alia. *Religio*(inquiunt) *ad humanæ ſocietatis vinculum, inuenta & tradita eſt. Ergo propter illam, non eſt ad arma veniendum: ne dum pro illa pugnamus, eius primario vſu ac fine eam ac nos ipſos præpoſterè, ſpoliemus.* Sic ratiocinatur anonymus quidam Politicus, in Replica contra Admonitionem Catholicam ſub nomine Anglocatholici ad Gallocatholicos, eruditè & elegantiſſimè conſcriptam. Sed hominis ſtuporem quis non videt? Si enim ad humanæ ſocietatis vinculum inuenta Religio eſt (quãquam nec ſolus nec primarius ille ſi tamen vllus Religionis finis eſt; quæ ad Dei cultum & animarum ſalutem cælitus nobis tradita eſt.) ſed ſi ille Religionis vllus finis eſſet, profectò quantò humana ſocietas bonum eſt excellentius & magis neceſſarium, tanto haud dubiè pro Religione quæ eam conſeruat, fortius eſt decertandum. Alioqui quia Ciuitates ad pacem ciuium & ſocietatem retinendam extractæ ſunt, propter earum conſeruationem non eſt ad arma veniendum: ſed vbi primum ad mænia accedit hoſtis, ne pax ciuium perturbetur, aperiendæ confeſtim hoſtibus portę ſunt. Quis hunc Politicum elleboro aliquo ad purgandum cerebrum, indigere non videat?

Ad pacem ſeruandam bellum neceſſarium.

Artic. 3.

Dicunt alij. *Si Deus iuſtus & potens eſt, quæ eius ſacroſanctam Religionem violant, ab ipſo vindicanda, relinqui debent. Volet enim quia iuſtus eſt, & poterit, quia potens.* Sic Antigniſartius quidam

Poli-

Politicus. Et quæ vox magis vel abſurda vel blaſphema efferri potuit: Iudæorum hæc vox fuit Chriſto Redemptori noſtro in Cruce pendenti, inſultantium. *Si filius Dei es, ſalua temet ipſum; deſcende de Cruce.* Et iterum. *Confidit in Deo, liberet nunc eum ſi vult.* Sic enim iſti Neopolitici laboranti Religioni & Eccleſiæ in Cruce poſitæ inſultant impiè, dicentes. Papiſtæ iſti confidunt in Deo. Cauſam Dei eſſe dicunt, Si ergo cauſa Dei eſt, liberet eos Deus ſi vult: Deſcendere eos de Cruce faciat, & ab hæreſum vexatione, immunes reddat. Sed & hæc vox nonne atheiſmum vehementer redolet? Nam vt Iudæi ſic in Chriſtum crucifixum blaſphemabant, quia eum eſſe verum Meſſiam non credebant; ſic iſti Politici ſic in Religionem Chriſtianam ſub cruce poſitam, blaſphemant, quia totam hanc religionem, nullam eſſe credunt. Deinde ſic apud ſe iſti boni athei, ratiocinantur. Si hæc Chriſtianorum Religio vera eſt & ex Deo, certè Deus eam ab hac vexatione, liberabit. Non liberat autem: ergo nihil eſt hoc totum, quod vocatur Religio. Sic iterum atque iterum ſuum nobis atheiſmum laruati iſti Chriſtiani & belli Politici, eructant. Alioqui quidni & cætera omnia maleficia, furta, homicidia, adulteria, diuinæ quæque vindictę iſti belli Politici, relinquunt? Nam & contra hæc, iuſtus & potens Deus eſt.

Matt. 27.

Deo ſoli Religio cõmittenda non eſt.

Atheiſmus Politicorũ.

Agunt poſtremò exemplis; quibus vbi ſa-

Exempla Politicorũ. tisfecero, finem dicendi faciam. Cyrus Rex ſapientiſſimus non ſolum Dijs patrijs & maiorum ſuorum, immolauit, ſed & hoſtium ſuorum Deos coluit, planeque nulli non Deo, ſacrificium obtulit. Alexander maximus ille Monarcha, quum Deorũ cultor eſſet, Iudęos tamen diuerſiſſimæ Religionis homines ingenti fauore complexus eſt; legemque illis ſuam, ritus, ceremonias, intacta ſeruauit. Turcarum Princeps, Chriſtianos populos in ſua ditione tolerat, nec ferro & flamma excindendos putat, vtcumque nominis Chriſtiani hoſtis crociſſimus. Philoſophorum veterum contrariæ ſententiæ per totam Græciã, Athenis maxime, ſalua interim & incolumi Repub. perſonabant, & nullo prohibente ſectatores habebant. Quid, quod & Iudæorum quum variæ ſectæ eſſent, Phariſæi, Saducæi, Eſſeni, neutra tamen alteram perſequebatur? Poſtremò, pagani omnes erga diuerſæ religionis cultores, perpetua manſuetudine vſi ſunt, quam & nos imitari par eſt. Docent hæc omnia, Florẽtiſſima olim Regna & Reſpub. ampliſſimas cum religionum & ſectarum varietate optime conſtitiſſe, optime etiam & hodie conſtare poſſe. Hęc omnia anonymus ille Politicus, in Replica ſuperius allegata. An non vero pulchra eſt hæc tota diſputatio & Chriſtiano homine, digna? Sed me reprimo. Iſtos enim Neopoliticos in Chriſtianorum numero minime habendos eſſe, iam concluſum eſt.

Xenophon libro 3 de pædag.

Ioſephus Anq litib. 11. cap 8.

Alio-

Alioqui ſi Chriſtiani eſſent, & Chriſtianam religionem, vnicam in terris veram ac ſanctã eſſe, crederent; ſi (vt pulchrè ſcribit S. Auguſtinus) *neque in confuſione paganorũ, neq; in purgamentis hæreticorum, neque in languore ſchiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum, quærendam eſſe religionem ſcirent, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici vel orthodoxi, nominantur,* id eſt, integritatis cuſtodes & recta ſectantes; profectò non à paganis, à Turcis, & Iudæis, non à confuſione, languore, cæcitate hominum toto cælo errantium, exempla peterent; nec quia apud illos confuſio, horror & cæcitas fuit, propterea & in luce, ordine, atque vnitate ſanctiſſimæ ſponſæ Dei, Eccleſiæ Chriſti, eadem tolerari poſſe, diſputarent. Hæc enim omnia, ad Babylonicam illam & Diaboli ciuitatem, pertinent. Alia eſt Ciuitatis Dei forma, alius ordo, alia vnitas, alia diuina lux & claritas, quæ tenebras ſecum admiſceri, non patitur. *Quæ enim conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ ſocietas luci, ad tenebras? aut quæ participatio iuſtitiæ, cum iniquitate?* Et cum dicat Apoſtolus, *Nolite iugum ducere cum infidelibus,* iſte bonus Politicus formam procurandæ religionis ab infidelibus nos petere, docet. Sed de hoc cõfuſionis Babalonicæ & vnitatis Eccleſiaſticæ lato diſcrimine diſputantem S. Auguſtinum, atque huic toti argumẽto ſatisfacientem, audiamus. Quum varias philoſophorum ſectas & opiniones commemoraſſet, *has* (inquit) *& alias penè innumerabiles philoſophorum diſ-*

De vera relig. Cap. 5.

2. Cor. 6.

De Ciuit. Dei lib. 18. cap. 41.

ſenſiones, quis vnquam populus, quis Senatus, vel digni-tas publica impiæ ciuitatis diiucandas, & alias proban-das ac recipiendas, alias improbandas repudiandaſque curauit; ac non paſſim ſine vllo iudicio confuſeque ha-buit in gremio ſuo tot controuerſias hominum, diſſiden-tium non de agris & domibus, vel quacumque pecunia-ria ratione, ſed de his rebus quibus aut miſere viuitur, aut beatè? Vbi etſi aliqua vera dicebantur; eadem libe-raliter dicebantur & falſa prorſus, vt non fruſtra ta-lis Ciuitas myſticum vocabulum Babylonis, acceperit. Babylon enim interpretatur, confuſio. Nec intereſt Diaboli Regis eius, *quàm contrariis inter ſe rixentur erroribus, quos meritò multæ variaque impietatis pari-ter, poſſidet. At vero gens illa, ille populus, illa ciuitas, illa Reſpubl. illi Iſraelitæ, quibus credita ſunt eloquia Dei, nullo modo pſeudoprophetas cum veris Prophetis, pari licentia confuderunt.* Hæc ille. Non ergo, quia in Babylone paganorum confuſio religionũ tolerabatur, idem abſurdum in vera Dei Ec-cleſia admittere, oportet. Imo hæc eſt veræ Religionis nota certiſſima, vt alio in loco diſ-putat Auguſtinus, *quod vnum Deum in vna Reli-gione & fidei vnitate, arctiſſimè coniuncta colat*; ab omni ſecta, ſchiſmate, diuiſione, non ſecus quàm à certa totius Religionis peſte & perni-cie, abhorrens. *Vnus Deus; vna fides, vnum baptiſ-ma. Nec Deus diuiſionis Deus eſt, ſed pacis.* Nihil potuit abſurdius ab iſtis Neopoliticis profer-ri, quam hæc infidelium exempla, qui ſectas aluerunt.

De vera Rel g. cap. 25.

Ephef. 4.

Nec ſic tamen per omnia quamlibet Reli-gionem

gionem promiſcuè amplexi ſunt, vt iſte bonus politicus, ſuadere vult. Notum eſt, contra Phorenſes à reliquis Græcis ſacrum bellum geſtum eſſe, propter ſpoliatum Apollinis Delphici templum. Sic puduit Romanos tot philoſophantium ſectas in Græcia graſſari, vt Lucius Gellius Proconſul Athenis quum eſſet, Philoſophis in vnum conuocatis, author illis fuerit, controuerſijs illis ſuis modum aliquando vt imponerent; qua etiam in re ſuam illis & operam pollicetur, & authoritatem interponere, paratus fuit. Si Cyrus etiam hoſtium ſuorum quos vicerat, Deos coluit, tanto illi turpius, ac dedecoroſius id erat: iuxta lepidum illud in ſimili ſemel apud Romanos errore, Catonis dicterium. Ridens enim eos, qui in triumpho Deos hoſtium Capitolio intulerunt, *vt quid* (inquit) *eos Deos colitis, qui ſuos cultores, tueri non poterant?* Denique ſi ſacerdotij Iudaici dignitatem reueritus Alexander fauit Iudæis, & Principes gentium ad ſuorum Deorum cultum alias gentes non coegerunt, quis neſcit, quis ignorat, quis non meminit Euangelica prædicatione ſemel per orbem diuulgata, omnes in vniuerſum gentes, Romanos, Græcos, Iudæos, contra eam vnanimiter inſurrexiſſe, & per omnes ætates ferro & flamma atque innumeris tormentis, eos perſecutos fuiſſe?

Paulanias lib 10.

Cic. lib. 1. de legibus.

Hoc vnum aduertere Politicos iſtos par erat, Omnia vitia contra vnam virtutem, om-

nia falſa contra vnam veritatem, omnes ſectas contra vnam veram Religionem, perpetuò conſpirare. Phariſæi, Saducæi, Herodiani, Romani, contra vnum Chriſtum conſpirarunt, vt eum tentarent, accuſarent, crucifigerent, poſt Reſurrectionem quoque, ex memoria hominum delerent, varij morbi, vnum corpus occupant, varia zizania, vnum agrum replent, varij fuci, vnum germanum colorem inficiunt, ſeque inuicem omnia compatiuntur. Sed vna ſanitas eſt, quæ à quouis morbo corrumpitur, vna bona ſeges, quæ à quouis zizanio impeditur; vna rei cuiuſlibet germana ſpecies, quæ à quolibet falſo fuco, vitiatur. Sic vna eſt ſacroſancta Religio, qua vni vero Deo ſeruitur, quæ nullam falſitatem amplectitur, quum vanæ & falſi nominis Religiones ſeſe omnes amicè deoſculantur, & vt vnam veram exterminent, arctiſſimè conſpirant.

Vna vera religio ab omnibus falſis impugnatur.

Ad Principis Turcarum exemplum Politicum quod attinet, quæro ab iſto bono Politico, in qua exempli parte ſeipſum conſtituat. An vt ille cum ſuis Hæreticos toleret, ſicut Turca tolerat Chriſtianos; an cõtra, vt ſic ille cum ſuis ab hereticis toleretur, ſicut à Turca, tolerantur Chriſtiani? Si prius vult, nullam certè illi hæretici gratiam referent, quorum hic libertatem procurat; qui iugum & conditionem Chriſtianorum ſub Turca, intolerabilem eſſe ſeruitutem, non ignorant. Neque ſub

Turcicæ tolerationis exemplum.

ſub iugo Catholicorum vlli noſtri temporis hæretici ſic viuere vellent, vt ſub iugo Turcarum, viuunt Chriſtiani, Imò libertatem illi flagitant prorſus liberrimam, & vt pari cum Catholicis loco habeantur, paribus priuilegijs pari honore, pari libertate, fruantur. Si poſterius vult, nonne ille bonus Catholicus (talem enim ſe dicit iſte Politicus) vobis Auditores videtur, qui nos omnes vellet ſub iugo hæreticorum, duriſſimam ſeruire ſeruitute, ne pax Reipub. vel ad momentum, perturbetur? Et hoc opinor magis iſti Politici vellent; quia Catholicos ſe dicunt, ſed vel hæretici vel athei, ſunt.

Phariſæorum & Saducæorum in Synagoga Iudaica permixti, ſub eius Status inclinatione accidit (alioqui nec Samaritanis coutebantur Iudæi, nec commercia gentilium ferebant) quum iam ſceptrum Iuda, ad alienigenam tranſlatum eſſet: cuius etiam tranſlationis cauſam hæc permixtio dedit. Saducæi enim in idem ius admiſſi cum Phariſæis, Hircano Pontifice pulſo, cuius tamen opera in Sanedrim cooptati ſunt, ſoli dominari voluerunt. Quod quum efficere non poſſent, Hircano à Pompeio reſtituto, ad Herodem extrenum imperium detulerunt. An volunt iſti Politici, vt permixtis nobiſcum hereticis, Eccleſia quoque Chriſti in his mundi partibus finem accipiat, ſicut ex ea permixtione, Synagoga? Id opinor: & hoc per eos ſatanam

Phariſæorũ & Saducæorũ permixtio.

Genebrard in Chron. ex libro de rebus Regũ Iſrael templi ſecundi

Satanæ ſcopus ex Politicorum opera.

moliri certiſſimè, mihi perſuadeo. Nam & Iulianus apoſtata ad totum Chriſtianiſmum extirpandum, non alio conſilio vſus eſt, quam vt ad Imperium euectus, omnes Chriſtianorum hæreſes, pariter cum ipſa Catholica, religionis ſuæ libertate frui, & Epiſcopales ſedes, in vrbibus occupare permitteret, vt ipſe Ammianus Marcellinus homo ethnicus in ſua nobis hiſtoria annotatum, reliquit. Eadem ante impij quidam Imperatores Zeno & Anaſtaſius vſi ſunt, vt vna Catholica religione peſſundata, ſuas quas clanculum fouebant hæreſes, propagarent. Quorum alterum Symmachus Papa, his verbis egregiè redarguit. *Quid intereſt, vtrum Paganus, an (quod eſt deterius) ſub nomine Chriſtiano, veram ſinceramque traditionem Apoſtolicæ regulæ conetur infringere, atque in hanc prorumpere cæcitatem, vt cum in illis regionibus, cunctæ prorſus hæreſes opiniones ſuas habeant publicè licentiam profitendi: ſola Catholicæ communionis libertas putetur ab his, qui ſe religioſos exiſtimant, ſubruenda? Quæ ſi putatur error (quod non licet) cum cæteris, quibus illic facultas eſt, agere ſinatur erroribus: ſin integritas æſtimatur, ſequenda potius fuerat, quàm violenta perſecutione, vaſtanda.* Nihil ergo hactenus ab iſtis Neopoliticis ad nouam Politiam ſtabiliendam, non modo firmum aut ſolidum, ſed ne veriſimile aut probabile allatū eſt: & ſunt tamen hęc quę protulimus validiſſima eorum atque precipua, fundamenta.

Ammian. Marcell. hiſtor. l. 22. Socrat. lib. 3. cap. 1.

In libello Apologetic. aduerſus Anaſtaſiū Imperat.

Quæ quum ita ſint, illis ſanè meliorem mentem,

mentem, & verum tandem pietatis ſenſum, ex animo exopto. In hac autem ſua execranda Neopolitia ſi perſiſtunt,& Eccleſiā Chriſti Catholicam ſimulatione ſua perdere ac prodere,partumque parturientem perpetuò prędire porro pergunt; hoc hominum genus ab omni Repub.& ſocietate Chriſtiana, tanquam hoſtes eius maximè infenſos ſtudioſè cauendos, & ſi opus fuerit abarcendos, omnique loco & authoritate deijciendos, cenſeo.

DE QVINQVE SACRÆ SCIENTIÆ ABVSIBVS.

Oratio in Comitijs Licentiæ Theologicæ Duaci habita Cal. Auguſti, anno 1584.

SOleo ſępius illud mecum cogitare (Auditores) quod ſcripſit Eccleſiaſtes. *In multa ſapientia eſt multa indignatio; & qui addit ſcientiam, addit dolorem.* Cap. 1.
Cùm enim tam multa ſint, & in ſcripturis ſanctis,& in rationis dictamine, & in quotidiano rerum vſu, quæ ſcientiarum neceſſitatem,honeſtatem & vtilitatē variam docent, commodant & demonſtrant;mirari ſoleo,cur hanc quaſi notam ac labem ſcientijs inurat Salomon,ipſe ſcientiſſimus &ſapientū maximus,vt eius incrementum, *indignationis & do-*

loris, vel vt alij legunt, *laboris* incrementum nuncupet. Quid enim? exiſtimabimmùſne inter cæteras illas rerum ſub ſole vanitates, quas in illo Eccleſiaſtes libro grauiter & copioſè, vt potius diuinæ explicat Salomon, etiã ſapientiam ipſam atque ſcientiam connumerari, & hanc quoque nihil aliud eſſe quam vt ibi loquitur, *occupationem peſſimam & afflictionem ſpiritus*? Vt quid ergo tanto conatu ac molimine, tot annorum ſtudijs ac lucubrationibus, tot ac tantis impenſis, ſcientias comparamus, & ſapientiam inueſtigamus? An vt dolorem dolore emamus, & in vano labore, noſtra omnia, & nos ipſos, deteramus? Id ſi ita eſt, nihil vocatione iſta ſcholaſtica, vanius, nihil rerum diuinarum ac humanarum cognitione, ineptius & infœlicius, nihil denique his honoribus & ornamentis Academicis, ampliſſimo ſemper loco habitis, inanius aut ridiculũ magis. Sed non ita opinor ſapientiã & ſcientiam deprimere, ac de gradu deiicere, Salomon voluit: Et ille Salomon, qui pro maximo beneficio ſapientiam à Deo poſtulauit, & impetrauit, hoc etiam nomine egregiè à Deo
3.Reg.3. collaudatus, *quòd non diuitas, aut animas inimicorum ſuorum, aut dies multos, ſed ſapientiam poſtulaſſet*. An ideo forte, *In multa ſapientia eſt multa indignatio, & Qui addit ſcientiam, addit dolorem*, quia non ſine vario ac diuturno labore, non ſine ſpiritus vexatione & afflictione, comparatur? Verum quidem iſtud eſt. Sed & quis hoc neſcit,

ſcit, qui vel primis literarum & ſcientiæ naturam deguſtauerit? Tritum eſt illud.

Multa tulit, fecitque puer, ſudauit & alſit.

Non ita vulgare aut exile eſt, quod Spiritus S. per tantum Sapientem, docere nos voluit. Altius aliquid & ſapiente dignum, inſinuare credendus eſt. Iſtud ergo (ni fallor) voluit ſapiens dicere, quòd. *In multa ſapientia, eſt multa indignatio*, quia qui multa didicit, multa preſtare debet; *& vt creſcunt dona, ita creſcunt rationes donorum*, vt magnus Gregorius ſcripſit. Homil. 9. in Euang. Qui addit quoque ſcientiam, addit dolorem, quia, *cui multum eſt concreditum, ab eo multum exigetur*, iuxta illam de talentis Euangelicis parabolam, vbi ad menſam ponitur pecunia Domini, etiam cum vſuris, exigenda. Matth. 25. Luc. 19.

Quando quidem igitur hodierno die in ſacra hac & ſuprema ſcientia Theologia, quæ veri nominis ſapientia eſt, & de qua illic potiſſimum Salomon loquitur, duos præſtantes viros licentiæ laurea condecoramus, totaque hæc ſubſellia nonniſi ſcientiarum Profeſſoribus & Auditoribus completa conſpicimus, Non abs re opinor erit nec importuna narratio, ſi de recto huius ſacræ ſcientiæ vſu, vel quod eodem redit, de varijs eius abuſibus, pauca hoc loco & tempore, prout Deus dabit diſſeramus. Sic enim demum perſpicuè intelligemus, quid illud tandem ſit, quod ſapiens Salomon ſcripſit, ſępiuſque poſt, etſi alijs verbis

bis inculcauit. *In multa ſapientia eſt multa indignatio*, &. *Qui addit ſcientiam, addit dolorem.* Dicemus autem de ſcientiæ iam acquiſitæ, non acquirendæ ſeu recto vſu, ſeu vario abuſu. Nam & in ipſa ad ſcientias comparandas via, grauiter à pluribus peccari contingit; de qua re aliàs, & alibi dicendi fortaſſe locus, dabitur.

S Scientiæ 5. abuſus. Doctorum autem virorum, & rerum maximè diuinarum cognitionem profitentium, quinque mihi defectus, ſeu vt verius loquamur,
1. abuſus & peccata, occurrunt. Alij enim docti cum ſint, alios tamen omnino non docēt, ſed talentum pecuniam, penitus abſcondunt. Alij
2. docent quidem, ſed vel falſa & peſtifera, vel vana & inutilia. Alij rurſum recta quidem docent, ſed ita vt cum ſcandalo viuentes, planè
3. dedoceant. Sunt & alij, qui ſine ſcandalo qui-
4. dem docentes viuunt, fine tamen non recto, ſed turpi & inhoneſto, docent. Porro alij abſ-
5. que ſcandalo quidem, & fine non malo, tamē iuxta talentum acceptum, ſeu quoad ſcientiā, ſeu quoad gratię menſurā, non docent: & contra hos omnes valet, quod Eccleſiaſtes dixit. *In multa ſapientia multa indignatio*, &, *Qui addit ſcientiam, addit dolorem.* Porro rectus & perfectus huius ſacræ ſcientiæ vſus eſt, his omnibus ſeu vitijs, ſeu defectibus ſublatis, & quantum & quomodo, & quando oportet tam facto, quam verbo, alios docere. De his ergo ſingulis dum aliquid breuiter diſſerimus, diligenter quæſo (quod facitis) attendite.

Ad primum ſacræ ſcientię abuſum quod attinet, qui in eo conſiſtit vt docti non doceăt, ſed talentũ abſcondant, vel ſola illa parabola Euangelica, huiuſmodi homines niſi ad omnẽ prorſus diuinæ vocis ſonum obſurduiſſent, à ſomno excitare, & vt hoc veternum excuterent commonere, & impellere poſſet. Quid enim vel illa Domini exactione exactius, qua *ponit rationem cum ſuis ſeruis, & iubet vnumquemque reddere rationem villicationis ſuæ*, vel illa voce terribilius, *ſeruum inutilem eiicite in tenebras exteriores*? Non enim dicit ſeruum improbum, flagitioſum, ſceleratum, ſed *ſeruum inutilem*, & qui ab officio ceſſauit, nec fructum quem debuit & potuit, fecit, *eiicite in tenebras exteriores*. O quã pauca verba, & quanta ſententia? An non ſatis erat præmio carere, aut inferiori aliquo loco apud Deum conſiſtere, aut denique leuiori pœna, hanc tarditatem plecti, niſi pœna omnium grauiſſima, horrenda, ſempiterna, illi infligatur? Ita ſanè ſe res habet. Eſt Deus opt. Max. vt ipſa bonitas largiendo, ita ſumma iuſtitia in rationem exigendo; vt ad dandum paratiſſimus, ita ad dati acceptique rationes ponendas, ſeueriſſimus. At dixerit ceſſator aliquis. De talentis gratiæ, quoad bene viuendum, non de talentis ſcientiæ, quoad ſtrenuè docendum, loquitur, vel ſaltem nõ de ſcientijs iſtis acquiſitis, loqui attendit. Cui reſpõdet ipſa parabola, quę illos omnes notat, qui vel vnum talentum, vt gratiæ ſeu charitatis ad

De primo abuſu. S. Scientiæ

Matth. 25.

Luc. 19.

tis ad vitæ normam: vel duo talenta, ad intellectum & voluntatem informandas; vel etiã quinque talenta, ad externas & excellentes operationes faciendas, acceperunt; & de omnibus iſtis, rationem exigit. At rurſum dicũt, *Nemo nos conduxit.* Ad docendum, ad laborandum in vinea, nemo nos vocauit. Quaſi verò aliam vocationem, alium conductum exſpectare debeas, vt ſcientiæ talentum expendas, quàm illius magni Patrisfamilias, qui hoc ipſo quod laborandi tibi facultatem dedit laborare iuſſit, & ad labores vocat, maximoque propoſito præmio vitæ æternæ, conduxit. An hoc tibi vile apparet? An aliam vocationẽ exſpectas? Vocatio enim illa quæ ab hominibus fit, ſi etiam pariter à Deo fiat; id eſt, ſi vere vocaris, nec te malis artibus ingeris, aut malo fine vocationem accipis; (de qua re poſtea) hanc alteram vocationem determinat, ad certum laboris & operationis genus: non eſt autem talis, vt ſit prima & ſola vocatio, aut vt ſine ea nullo modo te à Deo vocari, exiſtimes, vt talentum acceptum expendas. At non occurrit inquis, determinandi ratio, niſi externa accedat vocatio. Itáne verò ô Theologe (de ſacra enim ſcientia ſemper loquimur) tot hodie graſſantur contra fidem, hæreſes, tot contra pręcepta charitatis, vitiorum voragines, tot vbique ſcandala, & nihil habes in quo ſcientię Theologicę talentum expendas, aut vocationem illam diuinam determines? Vide ne craſſæ ſint

Vocatio à ſolo Deo obligat.

ſæ ſint cogitationes, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Quæ obſecro, vocatio externa tot doctos & olim & hodie viros compulit, vt priuati cùm eſſent, vt egregia librorum monumenta vel pro fide contra hæreticos, vel pro pietatis cultu contra impios, in lucem darent? At dicis. Delicata & curioſa ſunt hodie hominum ingenia: aliquid in lucem emittere, non audeo. Proterui ſunt hominum mores, docendi aut poſcendi munus ſuſcipere, formido: Graue & ingens onus eſt, magiſtrum ſe alijs præbere, etiam ſi id forte ſcias facere; multoque tutius priuatam vitam agere vel memetipſum curare, in quo etiam ſatis mihi ſuperque laborandum eſſe, video. At nonne ſunt hę ipſiſſimę voces, ſerui illius inutilis, ſic Domino reſpondentis, *Domine ſcio quia homo durus es, metis vbi non ſeminaſti, & congregas vbi non ſparſiſti, & timens abij & abſcondi talentum?* Luc. 19. Ideo abſcondit, quia timebat; ideo timuit, quia durum exactorem, Deum eſſe iudicabat. Sed reſpondet ei Dominus; *Serue male & piger*: male, quia Domino calumniam facis, & durum exactorem iudicas, qui non niſi æquiſſimè iudicat, *& cuius vniuerſæ viæ, miſericordia & veritas*: Pſal. 24. Piger, quia talentum non duplicaſti, de quo ſic Eccleſiaſtes. *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas, dicens, Melior eſt pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore.* & iterum. *Dicit piger, Leo eſt in via, in medio platearum occidendus ſum.* Eccle. 4. Tales enim omnia tanta ti- Eccle. 22.
ment,

ment, & ſic timendo egregiè ſibi ſapere vidētur. Sed ſtat firma Saluatoris ſententia, *Eiicite ſeruum inutilem in tenebras exteriores*, & quod per Salomonem Spiritus S. dixit, *In multa ſapientia, multa indignatio, & qui plus accepit, plus exigetur ab eo.* Atque hæc de primo ſacræ ſcientiæ abuſu hactenus.

Secundus abuſus. Alij ſunt homines malè feriati, & nimis negotioſi, qui talentum quidem non abſcondunt, ſed iſtud peſſimè collocant, docentes vel falſa, vt hæretici; vel vana & inutilia, vt qui res laſciuas tractant, aut in profana literatura, toti conſeneſcunt. Contra hæreticos & falſa doctrinæ Magiſtros, vehementiſſimè tonat ſcriptura: *Væ vobis qui dicitis malum, bonum, & bonum, malum, ponentes tenebras, lucem, & lucem, tenebras.* Et rurſum, *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.* Et paulo poſt. *Erit manus mea ſuper Prophetas qui vident vana, & diuinant mendaciũ.* Et Saluator in Euangelio: *Væ vobis Duces cæci.* Et iſtis quidem *Cauponibus & adulteratoribus verbi Dei*, vt ſcriptura eos nuncupat, nulla planè grauior peſtis Rempub. Chriſtianam deuaſtat; quorum tota occupatio, eſt mendacium, quorum fructus, animarum interitus, quorum finis, perditio velox, *perditio enim eorum, non dormitat*, ait B. Petrus. Denique de hoc hominum genere, quàm ſit & Eccleſiæ Dei peſtiferum, & Deo deteſtabile, ſic aliàs ex hoc loco & tam ſæpe diximus, vt non ſit nunc opus, hác odioſum cramben remādere.

Hæretici doctores. Eſai. 5. Ezech 13. Matth. 23. 2. Cor. 2. 2. Pet. 2.

Illud

Illud vnum propter Eccleſiaſtes verbũ quod hic expendimus, Notandum eſt, hunc ſacræ ſcientiæ abuſum, ſi tamen abuſus, & non potius vera mors & interitus dici debeat (tollit enim potius quam commaculat, & euertit magis quàm peruertit omnem Theologiam, hæreſis) hanc maximam pœnam coniunctam habere, vt Authores ſuos non ſolum poſt huius vitæ terminos perſequatur, vt cetera crimina quæ non deleuit pęnitentia, ſed ita perſequatur, vt quamdiu ſupereſt aliquis hæreticorum doctrina ſeductus, & prout ipſa ſeductio creſcit & præualet, tamdiu infligatur hæreſeon magiſtris & Doctoribus, ſingularis in inferno pœna, tantumque creſcat & augeatur in dies. Sic de Marcione Baſilius, in libro de vera virginitate, De Ario Ambroſius, in libro de fide contra Arianos. De Manichæo S. Thomas, in quarto ſententiarũ notauerunt. Et Berengarius de ſe ipſo, moriens cum maxima animi conſternatione, profeſſus eſt. Sic in hoc genere ſpeciale eſt quod Eccleſiaſtes dicit. *In multa ſapientia, multa indignatio*, id eſt, in magno eius abuſu, maxima diuexatio.

Gagninus in vita Henrici 9. Gul Malisburienſis lib. 2 de geſtis Anglorum.

De alio hominum genere qui non falſa ſed vana & inutilia docent, & ſiue Theologi, ſiue quomodolibet, Chriſtiani cum ſint; aut res laſciuas tractant, aut in prophana & ethnica literatura, toti conſeneſcunt, illud vnum dicemus, hunc ſacræ ſcientiæ vel religionis

abuſum rectà ad atheiſmum tales homines perducere. Quod ad naturalis philoſophiæ cognitionem attinet, quantus abuſus ſit ei ſoli inſiſtere, & in ea ſola conſeneſcere, vel eius principijs primas partes dare (nam alioqui ſobriam eius & legitimam cognitionem ad omnes ſuperiores ſcientias, & potiſſimum ad veram Theologiam maximum adiumentum adferre, planeque neceſſariam eſſe ingenuè profitemur, nec niſi Matheologus aliquis negaret) vel illud Tertulliani in preſcriptionibus celebre dictum, docere poteſt, *Ipſas hæreſes à Philoſophia ſubornari, & alibi hæreticorum Patriarchas eſſe Philoſophos* (quod dictum laudat Hierony. in primo aduerſus Pelagianos) quos etiam Baſilius ſcribit, *ſtramen flaccidum araneolis contexere, & magno conatu, magnas nugas agere.* Ambroſius quoque diſertè ſcribit, Arium *ex Philoſophia omnem impietatis ſuæ traxiſſe colorem.* Hæbrei vero ſub adagio illorum incredulitatem notant, qui demonſtratori (ſic enim Ariſtoteles vocatur) nimis pertinaci ſtudio adhærent: & aiunt: אשר קרא במירה לא אמן לבירא *Qui ſtudet nimis Demonſtratori, minus credit Creatori.* Non diſſimiles hodie audiui ego, qui quod ad moralem ſcientiam attinet, aſſerebant ad mores informandos, æquè imo plus valere & proficere Plutarchi moralia, quam Pauli Epiſtolas. O vocem hominis Elleboro dignam. Talis erat Domitius ille Calderinus, qui cum totus circa Virgilij, vel Ouidij potius

Philoſophiæ naturalis ſtudiū

Præſcript. cap. 7. In lib aduerſus Hermogenū. Homil. 1. de opere ſex dieū.

De fide ad Grat lib. 1 cap. 5.

Eulogicō Honcale cap. 10.

Vide Gabr. Theot de tollendis malis libus lib. 2.

tius priapſia occuparetur, *Miſſæ* vocabulum tanquam barbarum, audire non potuit. Talis erat Pomponius lætus, qui cum Petrus vocaretur natione Calaber, admirator Romanæ vetuſtatis, Petri nomen in Pomponium, verterit, & pro Chriſto, Romulum coluit. Alius quoque in prophana literatura ita elegans eſſe voluit, vt exclamaret. *O te fælicem P. Maro, cui non fuerit Petrus aut Paulus in carmine inferendus.* Sic Angelum Politianum hominem etiam ſacris initiatum, tota tamen ſacra lectio, offendebat; & interim anxius quęritabat dicendúmne eſſet Carthaginenſis an Carthaginienſis, intelligo an intellego: Virgilius an Vergilius, & hiſce nugis inſtruebat Centurias & Miſcellanea confecit. Hic eſt vt dixi huius ineptę curioſitatis fructus, veram religionem vileſcere facit, & ad atheiſmum miſeros perducit. Talibus ſatius eſſet otioſe nihil agere, quam ita præpoſterè, negotioſos eſſe.

Sed quia in his vt opinor, locis rara hęc inſania eſt (nam alijs adeoque vicinis in terris quam latè graſſetur non ignoramus) ad tertium ſacræ ſcientiæ abuſum veniamus, qui vtinam vbique hodie vulgaris non eſſet, vtinam qui recta & ſalutaria docent, interim ſine ſcandalo & offenſione vitam inſtituerēt, vt quod verbo laudabiliter docent; facto & exemplo, turpiter non dedocerent. Sed ô tempora, ô mores. In ſchola & in cathedra magni Theologi ſumus; pietatem in Deum, chari-

Tertius abuſus.

S. Doctores vitę improbæ.

charitatem in proximum, carnis mortificationem, iniuriarumque obliuionem, diuitiarum & honoris contemptum, omnia denique ſanctitatis & pietatis documenta, vel ipſi reſonamus, vel libenter audimus; domi verò quid nobis in vera pietate pigrius, frigidius aūt ſtupidum magis? quid in proximum moroſius? circa carnis ſtudium accuratius? in memoria iniuriarum tenacius? & ad vindictam promptius? ad pecunias colligendas attentius? ad honoris & prærogatiuæ conſeruationem feruentius? Veteribus philoſophis pro maximo probro obijcit Auguſtinus, & hinc eos veræ religiónis nihil habuiſſe, conuincit, *quòd ſcholas haberent diſſentientes, & templa communia: quòd eadem ſacra ſuſcipiebant cum populis, & de ſuorum Deorum natura ac ſummo bono diuerſas contrariaſque ſententias in ſcholis ſuis eadem teſtium multitudine perſonabant.* Nos contra in ſcholis optimè conuenimus, & de Deo ac ſummo bono eaſdem ſententias tenemus; ſed eadem ſacra cum populis non ſuſcipimus, dum virtutes quas docemus, ipſa teſte & inſpectāte multitudine, minimè amplectimur. Ipſam enim multitudinem in qua viuimus, alterius Doctoris offendit auaritia, alterius ſcandalizat ſuperbia, alterius denique perturbat moroſitas & iracundia. *Qui docet non furandum, furatur*, qui docet ſuum cuique reddendum, alienum detinet; qui diſputat contra auaritiam, vel collectis pecunijs auarè incumbit, vel colligendis

De véra relig. cap. 1. & 5.

Rom. 2.

gendis ſordidè,ſe totum impendit. Qui humilitatis viam maximis laudibus effert,ſuum in ſingulis honorem ambit,oſè quærit, & negatum acerrimè tuetur. Hic ſanè quiſquis ille eſt,quantum verbis docet,exemplo dedocet; Hic à vero ſcientiæ quam profitetur vſu,longiſſimè aberrat. Hic denique hanc ſacram ſcientiam niſi æquiuocè,non tenet. *Qui enim dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Quod ſi Ariſtoteles moralis philoſophiæ auditorem idoneum iuuenem eſſe negat, moribus, inquam, non ætate iuuenem, quia eius finis actio eſt,non cognitio; quanto minus ſacræ philoſophiæ doctor erit,qui moribus adhuc Iuuenis eſt,& affectibus ſuis deditus,vel potius captiuus eorum & ſeruus? Veteri populo dixit Deus,*Obſeruabitis & opere implebitis. Hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coram populis,vt audientes vniuerſi præcepta hæc dicant. En populus ſapiens & intelligens.* Ad hoc etiam ſeruandum, iubentur filij Iſrael *afferre ſacerdoti oleum de arboribus oliuarum puriſſimum piloque contuſum,vt ardeat lucerna ſemper.* Lucerna ſacerdotis tunc ardet,cum bono vitæ exemplo prælucet,Ioannes qui viam Chriſto parabat,*erat luterna ardens & lucens.* Officium Ioannis tenent Doctores Theologi, qui viam ad Chriſtum cognoſcendum & amandum, docent.Lucernæ igitur eſſe debent, *vt luceat lux illorum, & videant homines opera eorum bona,* &c. *Sciens enim voluntatem Domini & non faciens vapulabit*

1.Ioan 2.

Deuter. 4.

Exod.27.

Ioan.2.

Matth. 5.

Luc. 12.

labit plagis multis. Quid enim? An ideo ſacram ſcientiam tenemus, vt doceamus tantum, nihil autem preter aut ſupra alios nos facere debere exiſtimemus? At docet nos maximus
Epiſt. 119. ille Theologus Auguſtinus, *ſcientiam eſſe machinam, per quam ſtructura charitatis aſſurgat*. Quorſum ergo Machina, ſi nō adhibetur ſtructura? vt illud opinor de nobis dicatur, quod Saluator in Euangelio, per riſum & contumeliam de ſtultis architectis à populo dici, commemo-
Luc. 14. rauit. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit perficere*. Principium enim ędificij ſpiritualis, ſcientia ſacra eſt, ſed conſummatio & ſtructura, perfecta, eſt charitas. Quod & Apoſtolus do-
1. Cor. 8. cuit, dicens. *Scientia inflat, charitas ædificat*, id eſt, ibi ſcientia inflat, & ventus inanis eſt, vbi charitas non ædificat. Ibi inanis machina cōſpicitur & forma futuræ fabricæ, ſeu ſpecies quidem pietatis, vbi charitatis nondum oſten-
2. Tim 3. ditur; ſed (vt idem Apoſtolus ait) *virtus ipſa pietatis abnegatur*, multo enim melius eſt ſentire compunctionem, quàm ſcire eius definitionē. Melius eſt modicum ſpiritus, quam multa ſapientia abſque ſpiritu, quia vt notauit quidam vir ſanctus, legimus in Euangelio. *Beati pauperes ſpiritu*, ſed nullibi legimus, beati magiſtri artium. Veteres ſanè Philoſophi ad magnam diuinarum humanarumque rerum ſcientiam, peruenerunt, & Deum ipſum cognouerunt. Plato quidem ſic, vt diuinus vocaretur, & Moyſes quidam Atticus, vt ex dictis

Numeſij

Numeſij Pythagorici recitat Theodoretus. Sed & Ariſtoteles eouſque penetrauit, vt cū in Ethicis agnouerit Dei naturam eſſe ſimplicem, ideoque vna & ſimplici gaudere voluptate, eademque actione ſemper iucundiſſima. (Vnde etiam egregiè colligit in quiete potius quam in motu, fælicitatem conſiſtere) & contemplationem actioni præponit, tum etiam in libris naturalis Philoſophię, ea quę extra cælum ſunt, immutabilia & impaſſibilia eſſe, optimamque & opulentiſſimam vitā, per omne quum agere (quę noſtris Angelis conueniunt) philoſophatur. Sed & vnum quoque primum motorem inueſtigare animæque immortalitatem, propter actiones eius à corpore ſeparatas, inuenire potuit. Nihilominus hi omnes & eorum diſcipuli, *Veritatem Dei in iniuſtitia detinentes, euanuerunt in cogitationibus ſuis*, ait Apoſtolus, *quia cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt.* Non ſecus ſanè Theologus quantalibet rerum diuinarū ſcientia præditus, euaneſcit, totus *in ſenſu carnis ſuæ inflatus* manet, *factuſque eſt velut æs ſonans, & Cymbalum tinniens*, quamdiu ſancta charitatis opera, ſcientiæ ſacrę non adiungit. Sed & eo erit vas inanius, quo maiori ſcientia prę-ditus, videtur. Tanto enim inflatior erit, quanto eſt ſine bono opere capacior, quia. *In multa ſapientia, multa indignatio, & qui addit ſcientiam, addit dolorem.*

De curat. græc. affect. lib. 2.

Ethic. lib. 7 in fine. & lit. 10.

De Cælo lib. 1. cap. 5.

Rom. 1.

1. Cor. 13.

Ac de tribus ſacrę ſcientię abuſibus hactenus

nus, Sed hæc qui audit, & ſe nec in accepto talento otioſum eſſe, nec falſa aut vana docere, nec vllo dato ſcandalo, viuere animaduertit, exiſtimabit fortaſſe ſe verum & perfectum ſacrę ſcientię vſum adeptū, reque & nomine Theologum abſolutum, eſſe. Erit ſanè ita, ſi ab his tribus liber tum fine non malo, doceat, tum iuxta talentum acceptum Domini ſui pecuniā, exponat. De his ergo adhuc duobus videamus. Malo fine docet, & ſacrę ſcientię profeſſionem contaminat, qui lucri, qui honoris, qui laudis & commendationis cauſa, docet; cuius finis vltimus & pręcipuus non eſt, alijs prodeſſe, Eccleſiam laborantem iuuare, Dei gloriam, quærere. Hic enim quia inuitus docet, diſpenſatio illi quidem credita eſt, ſed docendi prouinciam bona fide nunquam adminiſtrabit; vacabit quantum & quoties ſine infamia & detrimento, poterit: ſuo vel otio, vt quietem ducat, vel negotijs vt rem faciat, magis vacabit, quàm ſcholæ commodis, aut Auditorū profectibus. Sub talibus mercenarijs nunquam florebit Academia; fœlici prole non abundabit; ſterilis & arida ſine magno aliquo fructu, permanebit. Dignus eſt quidem operarius mercede ſua, nec cogitur quiſquam gratis Euangelium ponere, multo minus ſcientias magno labore comparatas, tradere. Sed ſi Medicus, cui debetur merces patientis valetudinem cordi non habet, ſi Aduocatus cuius labores compenſandi ſunt clien-

Quartus abuſus.

clientis cauſam ſincerè non promoueat, puto quod & ægri & clientis, dura conditio erit. Multũ ergo & valde multũ intereſt quo fine quiſque doceat, quo proficiendi affectu & deſiderio flagret, vel non flagret, qui docendi prouinciam, ſuſcepit. Vt autem quis recto fine doceat, vocatio ad docendum non ſolum externa eſſe debet & legitima quoad homines, ſed etiam interna & vera coram Deo; id eſt, ita aſſumi debet, vt ante omnia conſideretur, an talis vocatio ad finem vltimum Chriſtiani hominis conſequendum ſit vtilis, vel ſaltem non impediat; quod eſt dicere; An poſſit viribus & imperfectionibus proprijs benè expẽſis, in eo ſtatu laudabiliter viuere ad Dei gloriam, ad ſuam ſalutem, & aliorum profectũ. Hunc enim finem qui ſibi proponit, & nihil quod illi fini aduerſatur in vocatione propoſita animaduertit, ſed potius quæ ad illum finem eum premoueant, in eadem videt, ille demum internè, & à Deo vocatur; iſque recto fine, & fructuosè, & cum ſpeciali Dei adiutorio (quos enim Deus vocat, eoſdem ſpecialiter iuuat) docendi prouinciam, adminiſtrabit. Qui autem hunc finem ſibi non propoſuit, ac fortaſſe ne per ſomnium quidem de eo non cogitauit; ſed id tantum ſpectauit, eſſetne illi hæc vocatio compendioſa, honorifica & iucunda, ſe ipſum non Deum ſpectauit; & contra illud Chriſti, *Primum quærite regnum Dei, &c.* quæ ſua ſunt, primo quærit, po-

Vocatio ad docendum qualis eſſe debeat.

ſteaque Deo ſeruiet, quantum illa ſua vocatio eum permittet:id eſt,medium fini præponit,& finem medio ſubordinat.Hic grauis error, in principio totum operis progreſſum & ſibi & alijs reddit infructuoſum. Iam enim Deum adiutorem non habet, ſine quo illud opus cœpit,Et vt Deo præterito, illiſque neglectis ad quos docendos & inſtituendos vocatus eſt, ſuum proprium emolumentum quærit;ita nec Dei honorem, nec Diſcipulorum profectum, ſed ſeipſum & ſuum commodum in toto progreſſu, conſequetur. Sed qui talis eſt, attentius conſiderare id debet, quod per Eccleſiaſtem Spiritus Sanctus præloquutus eſt. *In multa ſapientia multa indignatio, & cui multum eſt concreditum, multum exigetur ab eo.*

Quintus abuſus. Venio nunc ad quintum & vltimum huius ſacræ ſcientiæ abuſum,qui etſi defectus potius quàm peccatum videatur; idemque imperceptibilis,verum tamen & graue peccatum eſt, & de numero illorum pro nobis orat Propheta: *Ab occultis meis munda me Domine.* Neque enim ſatis eſt, ſi ſcripturis ſanctis credimus, vtcumque talentum acceptum expendere, & vera ac vtilia docere, ſine ſcandalo,& recto fine, niſi planè iuxta talentum ſeu gratiæ ſeu ſcientiæ acceptum,doceas; id eſt, niſi totam Domini pecuniam quã accepiſti,ad menſam ponas. Hoc enim exigit parabola illa Euangelica, vbi *qui duo talenta acceperat, alia duo, & qui* Matth.25.

quinque

quinque acceperat, alia quinque ſuper lucratus eſt. 2.Cor.6.
Clamat quoque Apoſtolus, *Adiuuantes adhortamur, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis.* Et alia parabola nos compellat, in qua Dominus ſingulos vocat, dicens. *Redde rationem villicationis* Luc.19.
tuæ, quia vt creſcunt dona, rationes etiam creſcunt donorũ. Hic enim quiſque ſibi perſuadere debet, quod quantò magis ſcientia & eruditione cæteris præcellit, tantò etiam debeat pietate & virtute alijs præfulgere. Hoc enim ſenſu Tito dixiſſe Apoſtolum, *nemo te* Tit. 2.
contemnit, exponit S.Hieronymus, *nemo te ſegni-* In cõment.
ter agente, ſic viuat vt ſe putet meliorem eſſe. Qualis ibidem.
enim erit ædificatio diſcipuli, ſi ſe intelligit magiſtro eſſe maiorem? Hæc ille. *Præpoſitũ enim*, ait Gregorius In Apologetico.
Nazianzenus, non *modò malos typos animo expellere, ſed & meliores imprimere cõuenit, ſic vt magis virtute quã dignitate, ſubditos excellat. Nec magni ducere debemus ſi plebẽ excellimus, ſed pro detrimẽtò habere, ſi dignitati noſtræ, non reſpondemus. Non enim eadẽ quibuſuis conueniunt, quemadmodũ nec omnibus eſt eadem ætas, nec perſonarum forma, nec animantium natura, nec ſtellarum claritas.* Hæc ille. Hoc ergo conſtitutum habere debet, ſacræ ſcientiæ & candidatus & magiſter, non ſolum vt ſine ſcandalo vitam agat, vt in tertio abuſu dictum eſt, ſed etiam vt exemplo bonæ vitæ præluceat, & tam factorum ſuauitate, quam verborum maieſtate, ſit odor vitę in vitam; nec ſolum vt talentum non abſcondat, (vt in primo abuſu dictũ eſt) verum etiam vt illud totum quantũ quantũ

eſt

eſt ad Domini ſui quam maximum emolumentum, id eſt, ad Dei gloriam, quantum poteſt maximam, expendat: vt poſſit cum Paulo dicere. *Gratia Dei in me non fuit vacua, ſed abundantius alijs, laboraui*, vel ſi fortè Apoſtolorum gratiam paucorum eſſe dixeris, non omnium, ſaltem cum ſeruo bono & fideli, qui vt omnium typus in Euangelio proponitur, dicere queat, *Domine quinque talenta tradidiſti mihi, Ecce alia quinque ſuper lucratus ſum*; Et iterum. *Domine mna tua, fecit quinque mnas.* Vult enim Dominus non ſolum *vt negotiemur donec veniat*, ſed etiam ſcire, *quantum quiſque negotiatus fuerit*. Quod ergo in terris & arboribus contingit, vt pinguiores & magis excultæ, vberiores fructus Domino ſuo ferant, ſic quibus magnus ille Agricola pater cæleſtis, ampliora dedit gratiæ ſuæ munera, ampliores ab illis doctrinæ & operum fructus, exſpectabit: Nec ſolum *aridam ficulneam ſuccidet, ne fruſtrà terram occupet*, ſed etiam, *omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructus plus afferat*. Præclarum celebratur illud S. Franciſci dictum; qui cum Latronem ad publica ſupplicia ductum à ſocio ſuo valdè deplorari vel accuſari potius cerneret, quod tanta mala perpetraſſet, vt iam laqueum mereretur; reſpondit: *Imò noſtram potius vicem ac ſortem doleamus frater, quòd tantis à Deo gratiæ ſuæ beneficiis acceptis, plura & excellentiora pietatis opera, ipſi non fecimus. Qui ſcis enim an hic Latro ſi eas à Domino gratias*

[Marginal notes: 1.Cor. 15. — Matth. 25. — Luc. 19. — Luc. 13. — Ioan. 15.]

tias accepiſſet, quas nos accepimus, multò nobis ſan-ctior & Deo gratior, fuiſſet? Et hic ergo dono- Rom.12.
rum Dei magnus abuſus eſt, ſi *habentes donatio-* 1.Pet 4.
nes ſecundam gratiam quæ data eſt nobis differentes, 1.Cor.12.
in alterutrum illas non adminiſtramus ſicut boni diſ-penſatores multiformis gratiæ Dei. Vnicuique enim da-tur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem; aliorum ſci-licet vt ſancti Interpretes docent, & Apoſtoli illic diſputatio manifeſtat. At dicat fortè hoc loco aliquis. Si ita eſt cauſa hominis docti, non expedit doctrinis comparandis, incum-bere. Et rurſum cum Diſcipulis Chriſti ſtatū diuitum exponentis, dicet. *Quis ergo* doctus Marc.10.
poterit ſaluari? Cui poteſt ſanè breuiter reſpon-deri. *Apud homines fortè eſt impoſſibile, ſed omnia ſunt poſſibilia apud Deum.* Neque enim fruſtra alicubi ab Auguſtino ſcriptum eſt. *Indocti & ſimplices* Confeſſ. lib.
cælum rapiunt, & nos cum ſcientijs noſtris in carne & ſanguine, volutamus. Neque vanum eſt aut oſci-tanter dictum, quod ex Eccleſiaſte nunc tractamus. *In multa ſapientia multa indignatio, & qui addit ſcienciam, addit dolorem.* Si cui ergo hæc difficultas tanta apparet, qualis & eſt, vt vix in hac docendi prouincia, aut etiam ſacrarum litterarum cognitione priuata, ſalutem ſuam facere queat, vel quia torpere ſe totum videt, & talentum planè abſcondere; vel quia in vanis & ſubtilibus ſtudijs occupatur; vel quia recta & vera docens, affectibus tamen ſuis imperare non poteſt; vel quia fine non recto docens, quæ ſua ſunt quærit, non quæ

Chriſti; vel denique quia pluribus talentis à Deo acceptis, vix vnum rectè expendit, videtque longe vberiores fructus facere ſe poſſe, quam facit: vnum ex duobus faciat neceſſe eſt, ſi ſaluus eſſe velit: Aut in ſtatu quo eſt perſiſtens, vitia illa & defectus corrigere debet; aut ſi in eo ſtatu corrigere ea non poteſt, alium aſſumere oportet, in quo ad Dei gloriam & ſuam ſalutem, abuſus illos omnes reformare, rectúmque ſacræ ſcientiæ quam profitetur vſum, aſſequi quæat. *Quid enim prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum faciat? Aut quam commutationem dabit homo pro anima ſua?* Nulla tanta neceſſitas eſſe debet, quæ ſalutis æternę iacturam, aut certè diſcrimen ſalutis manifeſtum, neceſſarium faciat.

DE ANIMI EXCOLENDI STVDIO, ET QVOMODO PHILOSOPHORUM in ea re errores Chriſti doctrina, correxerit.

Oratio procatechetica: ſeu ad profeßionem Catechiſticam præliminaris. Duaci Anno, 1570.

CElebratiſſimum illud prophanæ ſapientię elogium, quod vt ex Pijthio Apolline profectum, id eſt, vt diuinitus traditum, & vt diuinæ cuiuſdam mentis oraculum ethnica admiratur Antiqui-

tiquitas, *Noſce te ipſum,* ſi quantam vim habêret, quantas oportunitates humanæ vitæ adferret, quàm homini, qui verè homo eſſe vult, pluſquam neceſſarium foret, ob oculos ſemper homines verſarent, clarè & dilucidè omnes perſpicerent; cognitum & compertum vniuerſi haberent (Auditores humaniſſimi) & multo ſanè flagitiorum minus hodie obtineret, & feruor vniuerſos ad pietatis operà maior, ad nequitię facinora minor, poſſideret, & hac fortaſſe Catecheſi ſacra & inſtitutione ſcholaſtica, fideles hodie minus indigerent. Etenim quum. *Noſce te ipſum* nihil aliud ſit, quàm animum ſuum vnumquemque ſcire, eiuſque vim, naturam, dignitatem, atque virtutem probe cognitam atque perſpectam habere, hoc ipſum profectò, ſi omnibus perſuaſum eſſet; eam opinor animi rationem haberent omnes; in animo excolendo, in animi vi, virtute, ac dignitate tuēda, eam curā omnes impenderēt, eo ſtudio vniuerſi incumberēt, vt cęteris poſthabitis rebus omnibus, quibuſcumque tandem illis, & quanticūque momenti, prima ſemper ac potiſſima animi ratio, haberetur. Turpiſſimum enim ducerent, quibus perſuaſum eſſet nihil ſe aliud quam animum ſuum eſſe, animi ſtudio quicquam anteponere; aut cuicumque tandem rei, quę animo vel deterior vel inferior ſit, maiorē quam ipſi curam, impendere. Nunc autem quum in cæteris rebus omnibus ſimus occupatiſſimi,

in cor-

in corporis, in familiæ, in amicorum cura, ſimus vigilantiſſimi & ad omne officium paratiſſimi, circa animum autem excolendum, & rarius verſemur, & parcius immoremur, & ad eius curam inuiti potius & pertracti, quam volentes & ſpontè accedamus; mihi ſanè veriſimile fit, plęroſque noſtrum aut hoc ipſum penitus neſcire; aut ſi ſciamus, opinari hoc potius & leui & quadam eius exiſtimatione duci, quàm certò & conſtanter ita iudicare. Neque enim quenquam vel erga ſeipſum tam tenuiter affici, vel omni iudicio ac ratione ita penitus exui crediderim, vt totum ſe nihil aliud eſſe quam animum ſuum intelligens, aut eius curam ſtupidè contemnat, aut nullā eam cura indigere, ſtolide exiſtimet.

Sanè nos ipſos nihil aliud eſſe quàm animum hunc noſtrum, non ſolum prophanę ſapientiæ conſectatores (ſapientes huius mundi) videre & ſcribere potuerunt, vt [a] Cicero, [b] Ariſtoles, & apud Platonem [c] Socrates, qui interrogatus de ſepultura ſua; *Si me* (inquit) *poſt mortem compræbenderis, vbi velis, ſepelias*, per ſe nihil aliud quam animum ſuum intelligens, ſed & ſapientiſſimi Eccleſiæ Doctores Magiſtri ac Patres noſtri, tradiderunt. *Aliud* (inquit Baſilius) *ſumus nos, aliud res noſtræ, aliud quæ circa nos ſunt? Animus quidem iſte nos ſumus. Noſtra ſunt, corporis mẽbra & ſenſus eius. Circa nos, ſerui, pecuniæ, & totus vitæ iſtius apparatus*. Hæc ille. Idem ad verbum ſcribit Ambroſius, Baſilium de more imitatus.

a Tuſcul. quæſt. 1.
b Ethic. 10.
c In Phædone.

In Conc. Attende tibi ipſi.

imitatus. Nec aliud ipſa ſacra Scriptura nos admonet, quum in Deutronomio dicitur, *Attende tibi ipſi, ne quando fiat occultum verbum in corde tuo, quod eſt iniquitas.* Sic enim eum textum legunt, Baſilius & Ambroſius. Hoc ſanè idem vrget Apoſtolus, quum dicit. *Qui ignorat, ignorabitur: Certè ſiue ſe, ſiue Deum ignorare contingat*, ait Bernardus in Cant. De qua ignorantia ſic grauiter conqueritur Propheta Regius. *Homo* (inquit) *cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Ideo ſimilis factus iumentis, quia non intellexit, & quid eſt quod non intellexit? Certè quod in honore eſſet, vel in prima animæ ſuæ dignitate, iuſtitia, innocentia, vel in ſecunda, per Chriſtum regeneratione, in qua factum eſt, *vt filij Dei nominemur & ſimus.* Quam autem ſit turpe & indignum, in cæteris quidem rebus omnibus acutos, prudentes & perſpicaces nos eſſe, ſola autem noſtri ignorantia laborare, in nobis ſolis ipſis deſipere & cecutire, operoſius hic explicare & demonſtrare ſi vellem, neſcio ſanè an vulneris & morbi vulgatiſſimi tam rudis refricatio offendere hic potius quẽquam poſſet & lædere, quam ad id, quod oratione hac noſtra potiſſimum quærimus, ad ſacræ ſcilicet ſcientiæ ſtudium & amorem, accendere & inflammare. Sed agam quàm potero mitiſſimè, vt arundinem quaſſatam non confringam, ſed ſuffulciam, nec linum fumigans extinguam, ſed accendam. Quanquã ſanè

Examerom lib 6 cap. 7. Deuter. 8.

1. Cor. 14.

Serm. 36.

Pſalm. 48.

1. Ioan 2.

qui hoc morbo laborent, aut paucos, aut nullos hic adeſſe, putauerim. Quanto enim excolendi animi ſtudio, ſacriſq; doctrinis imbuēdi deſiderio flagrent ac teneantur, hic omnes aut pene omnes; ſi nihil aliud, certè vel frequens ſemper iſtud in Catechiſtica profeſſione auditorium, luculentiſſimè teſtatur. Siue ergo torpeat hic quiſquam, circa animi ſui id eſt circa ſui ipſius curam, ſtudium & notitiam; ſiue quod magis crediderim, ferueat hic omnes maximè ea in re, nihilque prius & antiquius habeant, quam vt ſacris & ſaluberrimis diſciplinis, animum imbuant. Vnde primum ſe, deinde Deum, ad cuius ſimilitudinem ſunt facti, quantum in hac vita concreditur (vbi per ſpeculum adhuc & in ænigmate videmus) perſpiciant & cognoſcant, ad illos ſanè excitandos & è graui quaſi non tam ignorantiæ quā affectatę cuiuſdam deſipientiæ ſomno, expergefaciendos (quod hominis genus Apoſtolus ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, ἀστόργους, ſignificantur
Rom. 1.
vocat) ad hos verò in optimo propoſito ſuo promonendos, adhortandos & confirmandos de animæ noſtræ, id eſt, noſtri ipſius potiſſima & prima cura habenda, paulò nunc accuratius diſſeram: vt futuræ Catecheſi & pſychagegiæ noſtræ (iuuante & aſpirante Deo) & via commodior ſternatur, & firmiora fundamenta iaciantur. Iſtud vero ſic pertractare inſtitui,
Diſtributio
vt primum quidem de ipſius animæ cura, & ſtudio vigilantiſſimè ſatagendo, à ratione ipſa

& vſu

& vſu rerum petitis argumenti , diſputem. Secundo loco quam animi curam habuerint Philoſophi, quibus modis eam curare, conati ſint: Et quomodo Philiſophorum errorem, Chriſti doctrina correxerit, copioſius demonſtrem. Quæ duo dum pertracto, diligenter quæſo (quod facitis) attendite.

Sanè qui in animo & mente hac ſua excolenda, vel leuiter ipſa & negligentius agunt, quia pigri & tardiores, vel non adeo magnam adhibendam curam arbitrantur, quia parum intelligentes & rudiores ſunt, ne illi vel periculoſiſſimo quodam morbo laborant, quem acediã (ſumpto à græcis vocabulo) vocamus, vel turpiſſimo in errore, verſantur. Ac ad illos quidem ſanandos, qui acediæ morbo laborãt, alia copiosè ſuppetunt remedia, quæ hic attingere & enumerare, huius nec loci eſt, nec temporis. Paſtoris ſeu pro concione vox, ſeu in adminiſtrandis Sacramentis miniſterium, ei malo, mederi debet. Ad errorem verè illum depellendum, ex cuius fonte malum illud aliud promanare videtur, in quo altera & magna hominum pars verſatur, vt corporis videlicet, aliarumque rerum quæ ad corporis ſeu adiumentum, ſeu ornamentum ſpectant, curam potiorem & primariam, animi verò ſecundariam quandam & poſteriorem habendam, putent; Neque enim id ſui officij eſſe, ſed eorum qui vel curam vt loquuntur, animarũ ſuſceperunt, vel ſpiritualem quandam vitam

profeſſi, ſpiritus aut ſolum aut potiſſimum curam habent, noſtræ ſe nunc accingat oratio.

Ac videtur profectò antiquus hic error eſſe, quique iam diu animis hominum inſederit, ſed contra quem etiam ſancti Patres & docti viri, ſemper ſtrenue dimicauerint. *Hoc plane eſt* (inquit Chryſoſtomus) *quod euertit orbem vniuerſum, quod ſummam vitæ benè agendæ diligentiam Monachis ſolum neceſſariam arbitremur, ceteris negligenter viuere, licere. Non ita ſanè, non ita eſt; ſed eadem ab omnibus philoſophiæ ratio, requiritur. Fallis teipſum prorſus ac decipis, ſi putas aliud à ſecularibus viris, aliud à Monachis, requiri. Hæc enim fere ſola eſt in vtroque vitæ genere differentia, quod illi quidem matrimonij ſe vinculis conſtringunt, hi vero ab his liberi, perdurant. In reliquis vero, communis atque eadem ab vtriſque vitæ totius ratio requiritur, eiſdem pro culpis, pæna vna omnibus debetur.* Hæc ille. Eundem quoque populi ſui temporis errorem, alio in loco grauiter iterum perſtringit. Quin & D. Auguſtinus ſimilem quoque in fidelibus ſuæ ætatis dementiam & inſaniam refert, deplorat, condemnat. *Iſtud* (inquit) *quale eſt, vt quum ob errorem aliquem aut delictum à ſenioribus arguuntur ſtatim reſpondetur, quid facerem homo ſæcularis? Nunquid Monachum ſum profeſſus aut clericum? quaſi omnis qui clericus non eſt aut Monachus, poſſit licere, quod non licet? At cunctis officijs in ſacris literis præſcribitur norma viuendi, omnis ad benè viuendum prouocatur ſexus, ætas & dignitas. Apud omnem*

Aduerſus vituperatores vitæ monaſt. lib. 3.

Homil. 21. in Geneſ.

De verb. Dom. ſerm. 19.

Chriſtianum, prima honeſtatis debet eſſe militia. Hæc Auguſt. Et ſanè quum profeſſio ſit omnibus eadem & communis, omnes hic Chriſtum profitemur, omnes debemus ex equo pietatis ſtudium amplecti, & Chriſti veſtigia ſubſequi. Omnibus inquam commune eſſe debet pietatis ſtudium, quibus eſt profeſſio communis. Omnibus propoſitum hoc eſſe debet, ad illud primum contendere, quod primum omnium ſunt profeſſi: ei potiſſimum rei incumbere, cui ante omnia nomina dedimus, & vota perſoluimus.

Sed quid Chriſtianam hanc profeſſionem vrgeo? aut nuncupata illa in regeneratione vota commemoro? Altiora ſunt iſta & alterius temporis. In hoc vno ſubſiſto; homines ſumus: Humanam ſeu dignitatem ſeu indignitatem, vrgeo. Ex vtraque enim ampliſſima mihi ſemper patet dicendi copia: & vtraque conſideratio ad excolendum ſupra cetera animum, mirificè excitat. Nam ipſe ſanè animus res eſt & præclariſſima ac nobiliſſima, ideoque ſumma cura ac diligentia excolenda; & infinitis miſerijs obnoxia, maliſque innumeris obſeſſa, ideoque perpetua quadam ſollicitudine tum liberanda, tum conſeruanda. Ænigma fortaſſe vobis efferre videor, aut contraria inuertens & aſſerens, ac Academicam incertitudinem, oratione tendere. Sed non ita eſt Auditores. Animi cura maxima & perpetua eſſe debet, tum quia in prima ſua

Animæ humanæ dignitas ac miſeria.

& abſoluta natura ac dignitate res eſt nobiliſſ.ma, proximeque ad diuinitatem ipſam accedens, Domina mundi, ſocia Angelorum, ſponſa Dei opt. Max. tum quia poſt fædum à Deo receſſum, corpori iam tanquam carceri inuerſa, aut ipſum potius corpus, vt hoſtem domeſt. cũ perpetuo circumferens, ac in perpetua rixa cum ancilla victitans, perpetua indiget ſollicitudine & cura, ne illi ſeruiat, cui imperare debebat, ne à Deo ſe abſtrahat, cui adhęrere oportuerat; ne denique & ſe & coniunctum ſibi corpus, in perpetuam tandem perniciem, pertrahat.

Animæ humanæ dignitas quæ excoli meretur.

Et ſane vt de eius primum dignitate agamus, quid excellentius anima humana, quæ omnem creaturam adeo ſuperat; vt ad ipſius Creatoris expreſſam effigiem & imaginem ſit efformata, creata, delineata? Si inter opera omnia artificis cuiuſpiam, illud excellere omnium iudicio & ſententia perhibetur, quod artem & peritiam artificis, viuacius exprimit & expreſſius repręſentat, quomodo ipſa anima omnia alia Dei opera infinitis paraſangis non ſuperabit, quæ non Creatoris & opificis ſui artem & peritiam, ſed ipſemet Creatorem & opificem ſuum viua & efficaci ſimilitudine refert ac repreſentat? Pulchrè Chryſoſtomus.

Chryſoſt. in Pſal. 48.

Hominem (inquit) *animal breue, tricubitale, & viribus corporis brutis longè inferius, fecit Deus cunctis excelſiorem, propter adiectam animam. Per hanc enim & ciuitates condidit, & mare ſecuit, & terram coluit*

luit, & artes innumerabiles inuenit, & feras ſupe-uit, & quod eſt omnium maximum, Deum qui fecit ſum cognouit. Propter ipſam, terra, propter ipſam, cæ-m, propter ipſam, ſol & ſydera, propter ipſam, lunæ rſus temporumque mutationes & viciſſitudines. Pro-er ipſam, fructus & arbores & tot genera animan-um. Propter ipſam, miſſi ſunt Apoſtoli & Prophetæ, ſæpius ipſi Angeli Quid pluribus opus eſt? Neque im fieri poteſt vt omnia proſequamur. Propter ip-m, vnigenitus Dei filius, homo factus eſt, crucifixus & pultus; propter illam, Reſurrectio, propter illam, lex, pter illam, paradiſus. Hæc ille. Tanta ergo ani-æ cum ſit dignitas, tanta nobilitas, tantus lendor, quantæ eſt inſipientię, ne dicam de-entiæ, eius non maximam ac omnino vigi-ntiſſimam ſemper curam ac rationem, ha-ere? An non vero maximo dedecori ac vi-o verti debet, quod canes quidem ad tem-erantiam inſtituimus, à capta prȩda etiam melicos & fatigatos, abſtinere docemus, am in leonibus domamus, ferociam in equis omprimimus, linguæ gratiam in auibus po-imus bruta denique rationis officia prȩſtare cimus; ipſum interim rationis fontem, & atrem, animam noſtram in brutum dege-erare permittimus? & incuria noſtra ita uaſi ſiluſcere, vt tribulos ac ſpinas pro vuis, oducat! de qua ita Propheta conquæritur. *antaui vineam electam, & expectaui vt faceret as, & fecit labruſcas.* Rudis videlicet & in-ltus animus, non politus ſtudijs, non excul-

Chryſoſt. Homil 42. ad pop. Antioch.

Eſai. 4.

tus diſciplinis, non exercitatus pijs operibus, ferinam prorſus naturam induit; vel quauis potius fera iniquior, euadit. Voluit enim ſapientiſſimus opifex, non quidem vt ſapientes naſceremur, ac ne renati quidem in filio eius, vt infuſam ſtatim ſapientiam ac ſcientiam rerum omnium, vna cum fide hauriremus; ſed datis omnis ſapientiæ ac perfectionis principijs ac ſeminibus, non à natura, vt philoſophi putarunt, ſed per infuſas illas primitus fidei, ſpei, ac charitatis, virtutes; voluit vt earum adminiculo, ad ſummam ac perfectam ſapientiam, ſtudio ac labore, contenderemus, animumque ipſi noſtrum ſolertia & vigilantia, excoleremus. *Non ex inuidia* (ait Baſilius in Eſaiam) *rerum opifex nobis eas vitæ commoditates quæ ex ſe ſufficerent, ſuppetere noluit, ſed indigentiam rerum neceſſariarum veluti exercitationem quandam ingenij, fabricatus eſt. Idque varijs & grauiſſimis de cauſis. Primum, vt his rebus animus detentus, à rebus peſſimis auocetur: deinde, quoniam ea quæ labore parta ſunt, magis amantur: poſtremo, quod ea quæ longo interuallo temporis acquirimus, firmius permanere, ſoleant.* Quæ ſanè ita quum ſint, turpè imò turpiſſimum eſt, in corporis quidem cura noxios cibos, ſumma diligentia auerſari, earum autem diſciplinarum, quæ animum alunt noſtrum, nullam aut vulgarem rationem habere, ſed in obuia quęque & protrita, quaſi in torrentem quendam, mentem immergere, qui quicquid occurrit rapido & indiſ-

De Inſtitutione Orat. 6. ex 24. à Simone collectis.

Baſilius in Serm. quæ vtil. ex profan. lib. capi poſſit.

diſcreto curſu, corripit & conuoluit. Sic
im incultus & rudis animus, in obuia quæ-
ue fertur, & ad quæuis deſideria, ſine delectu
pitur, vt ſolent famelici lupi, ac rabidi ira ac
rore Leones, in quamcumque obuiam præ-
am, præcipites ferri. Excolendus itaque ani-
ius & optimis diſciplinis imbuendus, ne ho-
inis tantum ſpecie ac forma retenta, huma-
am naturam, prorſus exuamus. Certè tanti
ſt momenti animus rectè ac ſapienter inſti-
utus, vt in cæterarum rerum omnium penu-
ia & defectu, hoc ſolum bonum, perfectæ
uiuſdam fælicitatis ac beatitudinis loco, ha-
eri debeat. Contrà in cæterarum omnium
erum affluentia, ſi animus aut in cæca ſui ig-
orantia caliget, aut in rebus turpibus ac vi-
ijs diffluat, nihil illo homine miſerius, nihil
nfælicius. Sicut *enim in ſponſa* (vt pulchrè ſcri- Homil. 42. ad pop. Antioch.
ṗit B. Chryſoſtomus) *licet Thalami ſint velis au-
eis operti, licet mulierum adſint pulcherrimarum
hori, licet roſæ, licet coronæ, licet ancillæ, licet ami-
i, licet ſponſus, licet omnes decus & ordinem pul-
herrimum, ſeruent, illa ſola ſi deformis ſit & turpis,
erit totum nuptiarum illarum decus; non honoratur
ſponſus: non delectantur amici, ita quidem & in anima,
illa ſola decus & dignitatem ſuam non ſeruante, illa
ſola turpiter à rationis & pietatis regula exorbitante,
etiam ſi diuitiæ affluant, honores abundent, ceteraque
omnia ſuppetant, quæ ab hominibus in præcio habentur,
totus tamen homo ille & Deo diſplicet, & coram Ange-
lis Dei, penitus deſpicitur.* Hæc ille.

Ac de animi quidem dignitate & excellentia, quantoque ſtudio vel hoc ſolo nomine, excoli à nobis & minimè negligi debeat, hæc
De Animæ ægritudine quæ medela indiget. hactenus. De eius miſeria & calamitate, de eius egritudine & infirmitate, propter quam quotidiana quaſi curatione & medela miſera indiget, & in quam ſuo vitio miſerrima decidit, ſeque ipſam craſſa quadam incuria, præcipitauit, non eſt mehercle opus vt multis agam. Res eſt non intellectui tantum perſpicua & nota, ſed ſenſibus ipſis ſubiecta & obuia; nec ſenſibus tantum obuia, ſed & quotidiano rerum vſu facta familiaris. Res eſt quã non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex corrupta hac natura noſtra arri[illegible]uimus, hauſimus, expreſſimus: in quam nō docti ſed nati, nō inſtituti, ſed imbuti, ſumus. Hanc enim certè animæ noſtræ corpori ia[illegible]ſti corrupto immerſæ miſeriam hoc ipſo miſeri quod intelligimus: miſeriores tamen, ſi non intelligimus. Sed clara ſatis eſt ſcripturæ vox, quæ dicit. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, &*
Sap. 9. *terrena inhabitatio deprimit ſenſum, multa cogitantem.* Hæc eſt illa miſeria, de qua vas illud electio-
Rom. 7. nis, ita grauiter conquæritur. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati*: De qua ſic poſtea totus perturbatus, exclamat. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* De qua pulchrè
Serm. 36. in Cant. Philoſophatur Diuinus Bernardus. *Nihil* (inquit) *anima inuenire viuacius aut accommodatius*

poteſt

eſt, ad ſeipſum vigilantiſſima ſollicitudine ſemper ſeruandam, quam ſi ſeipſam in veritate inuenerit: ſi ſtatuat ante faciem ſuam, nec ſe à ſe auertere, abdu- ur. Nonne enim ſeipſam intuens, clara luce veritatis eniet ſe onoratam peccatis, mole huius mortalis cor- is aggrauatam, terrenis intricatam curis, carnalium ſideriorum fæce infectam, cæcam, curuam, infirmam, plicitam multis erroribus, expoſitam mille periculis, lle timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, lle ſuſpicionibus obnoxiam, mille neceſſitatibus erum- ſam, procliuem ad vitia, inualidam ad virtutes? Vnde nc ergo vlla ſecuritas, vnde torpor inuadet? Tanta go quum ſit animæ noſtræ miſeria, tam nu- eroſa calamitas, tam infinita infelicitas, quũ tot periculis obſeſſa, tot morbis infecta, t malis obnoxia; animam autem quum di- :nos ipſos dico, nec aliud quam nos ipſos; næ tandem illa & quanta dementia eſt, in mma miſeria, fælicitatem nobis polliceri? in xtrema ægritudine tanquam ſanos & robu- os, quibuſcumque veſci velle? in expoſitiſſi- is periculis altum dormire? in mortis & ex- us acerbiſſimi articulo poſitos, ſecurè agere tanquam in portu, nauigare? Denique in nta animi id eſt noſtri ipſius neceſſitate, ni- l de ferenda ope cogitare, nihil de ea curan- , liberanda, ſananda, deliberare? Quid vero? n vt volentes & ſcientes, imo quaſi nobis ſis violentas manus iniicientes (o inſaniã) on tam miſerè pereamus, quam nos ipſos iſerrime perdamus? Abſit hæc ab humanis menti-

mentibus. Abſit à Chriſtianis pectoribus. Incumbamus potius (Auditores) totis viribus, totoque non corporis, ſed animi niſu, ſacræ huic diſciplinæ, quæ ad animum excolendum atque ſanandum, & Diuinitus tradita & à maioribus noſtris, inſtituta eſt. Accedamus ad eam, eo, imo maiori impetu ac deſiderio, quã quo ad cetera vitæ communis officia, ad reliqua corporis obſequia, ad alia humanæ ſocietatis ſtudia & negocia, accedere ſolemus. In iſtis ita verſamur, ita quadam præpoſtera voluptate ſumma in illis & grauiſſima laborum tædia deuoramus, ac ſi ad illa ſola nati eſſemus; ac ſi corporis tantum ſeruitio vt bruta, non etiam animi Imperio, vteremur. Certè qui in catechiſtica diſciplina, id eſt, in recta animi inſtitutione, ſeriò proficere ac promouere vult, is ſummo in primis erga eam deſiderio flagrare, magna quadam excolendi & exornandi animi cupiditate, teneri & perurgeri debet. Sic enim acutè Seneca, *philoſophiam à ſapientia, ſicut auaritiam ab auro, differre dixit:* Non enim quæcumque appetitio ſapientiæ, vt putauit Fabius, ſed inexplebilis quædam & canina eius fames, Philoſophię nomen meretur. Quemadmodum enim in concluſum & obſeratum vas nihil infundi poteſt, ita niſi animus ipſe ſe aperiat ac dilatet, capere ea quæ ad cultum eius & ornatum ſpectent, nunquam ſanè poterit. Porro quum Diſciplina iſta, ſit quidam animæ cibus, *Homo enim*

(ait

it pulchrè B. Chryſoſtomus) *eſt animal* *γικον, hoc eſt, ſermonis particeps, vnde vt corpus* *ne, ita animà ſermone, alitur: cibus autem,* niſi ſa- is non apponitur; & à ſolis ſamentibus tum iauiſſimè ſumitur, tum optimè digeritur; rofectò ſanitatis ſignum, in corpore quidem t guſtus rectus & ſincerus, in animo verò, udium & amor diſcendi. Denique vt natu- mellis quam ſit dulcis & palato grata, per- ipi niſi ab his qui guſtauerint, non poteſt; a ſanè animi, recta & ſecundum Deum inſti utio, quantum bonum ſit, quum ſit om- ium bonorum fere maximum, ab illis ſo- um intelligitur, qui pietatis deſiderio & more imbuti, cæperunt iam guſtare, quàm *uauis ſit Dominus, & quam bonus ſit Deus Iſ- ael, his qui recto ſunt corde.* Sanè quia & in oc ipſo pietatis deſiderio; magnum ali- uod bonum, magnumque ad ipſam pieta- em adiumentum ineſſe viderat, Propheta Regius ſic ad Dominum, alicubi exclamat. *oncupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes uas in omni tempore.* Concupiuit, non ipſas dhuc Dei iuſtificationes, ſed earum ha- ere deſiderium: ſicuti ægrotus qui faſti- lio cibi laborat, cupiens eo malo libe- ari, concupiſcit vtique deſiderium cibi ha- ere, quamuis ab ipſo adhuc cibo, abhor- eat. Atque hic ſanè primus ad recuperandam anitatem, gradus eſt. Nam & cibum omnem aſtidire, & eo etiam faſtidio delectari, abie- cti

De verbis Eſai. ſerm. 6

Deſiderium pietatis magnum ad eam adiumentum

Pſal. 118.

cti prorſus animi & deſperatæ valetudinis, argumentum eſt. Ita plane & in anima ſe res habet; *Non enim aliquid impedit* (vt ſcribit Auguſtinus) *quo minus habeantur iuſtificationes Dei, niſi quia non deſiderantur, dum videlicet, in eas charitas non feruet, quarum tam manifeſta claritas, lucet.* Ac animi quidem claritas quanta ſit, quantaque & quam ſedula eius à nobis cura haberi debeat, iam vtcumque à nobis eſt explicatum. Proximum eſt, vt quod ſumma ratione faciendum cernimus, ſummo quodam deſiderio, fieri cupiamus. Tres enim ſunt gradus, vt notauit D. Auguſtinus, quibus ad iuſtificationes Dei, id eſt, ad perfectam animi ſapientiam, peruenitur. *Prior eſt vt videatur, ſint vtiles & honeſtæ. Secundus, vt earũ deſideriũ concupiſcatur. Poſtremus, vt proficiente lumine atque ſanitate delectet earũ & operatio, quarum ſola ratio delectabat.* Hęc ille. Ac de primo quidem ac ſecundo gradu, paucis nunc & breuiter pro tantæ rei dignitate & amplitudine, egimus. Tertius porro ille gradus vt obtineatur; vt delectet videlicet earum rerum operatio, quarum cognitio & contemplatio iam delectauit, magis in veſtris ſtudijs, & diligenti pietatis exercitio (Auditores) eſt ſitum quam in noſtra hac profeſſione ac inſtitutione, poſitum. Noſtra enim oratio, vel intellectum docere, vel affectum mouere, fortaſſe poterit: Ad ipſum autem opus inducere non oratio loquentis & docentis, ſed induſtria & ſtudium audientis, Diuinæ gratiæ auxilio

Conc. 8. in Pſal. 118.

Gradus tres ad ſapientiam capeſſendam.

xilio id opere exequentis, quod & intellectu percepit, & affectu hauſit, ſolet efficere.

Nunc in eo quod inſtituimus, pergamus: & quum animi curam ac rationem vel maximã habendam eſſe, ex ijs quæ iam diximus conſtet, qua demum potiſſimum ratione hic animus humanus, excoli & curari debeat, videamus. Sequitur ergo, vt quomodo eam curauerint, aut curare potius conati ſint Philoſophi, pro altera procatecheſis huius parte (vt antea propoſuimus) dicamus. Ita enim illuſtrior apparebit doctrina Chriſti, quæ hunc poſtea errorem, correxerit. Ac primum quidem ſi Philoſophi omnes in curando & excolendo animo turpiſſimè errauerint, minimè mirum videri debet, quum neque primam eius dignitatem, iuxta quam excoli debuerat, neque poſteriorem illius miſeriam ac calamitatem, propter quam curari eam oportet, vnquam intellexerint. In ipſo enim veſtibulo & limine, totius huius diſciplinæ impingentes, neceſſe eſt, vt in toto progreſſu & ſæpiſſimè & turpiſsimè offenderint. Nempe (quod caput omnis ignorantiæ & cæcitatis erat.) Naturæ ſe ductum ſequi profitebantur, qui præ-cæteris Philoſophis ad virtutis amplexum hortabantur: in eaque fontem bonorum omnium collocarunt, quæ omnium prorſus malorum cupiditatum, radix eſſet. Naturæ in-uam quæ iam corruptiſſima eſſet, omnia tribue-

Procatecheſis pars altera.

Philoſophorum in excolendo animo error fundamentalis.

tribuebant. *Temperatum enim quodammodo naſci philoſophum* docebat Plato, cum tota veteri Academia. *Igniculos videlicet ad virtutes nobis innaſci* aſſerens. Hos *propenſiones quaſdam* vocat, eaſdemq; *nobis innaſci* etiam vult in Ethicis Ariſteteles, & tota poſt eum ſchola Peripatetica: Ex qua vtraque ſecta egreſſi Stoici, *ipſas virtutes nobiſcum naſci voluerunt*, quos & ſecutus Cicero in lib. de Senectute. Catonem de ſe ſic loquentem, introducit. *Ego* (inquit) *ſi ſapiens ſum, ideo ſum ſapiens, quòd naturam Ducem tanquam Deum, ſemper ſequutus ſum.* Quare futurum Philoſophum, ſiue in actione, ſiue in cognitione, optare iubet Plato in Sympoſio, *ab ipſa natura amorem veritatis itemque honeſtatis.* Ita in Naturæ munere & ductu iſti terræ filij, virtutis & ſapientię fontem, radicem; & vim totam, collocarunt: eoſque optimos exiſtimabant, qui propenſiones à natura datas, diligentius ſint perſequuti. Vnde hæ eorum ſtupidiſſimæ voces leguntur. *Quis quòd bonus vir eſſet, gratias egit Dijs vnquam? at quòd Diues, quod honoratus, quod incolumis. Iouemque opt. max. ob eas res appellant, non quòd nos iuſtos, temperatos, ſapientes efficiat; ſed quòd ſaluos, incolumes, opulentos, copioſos.* Hæc de ſuis Cicero de Nat. Deorum lib. 3. Vnde & poëta quidam, *æquum mi animum ipſe parabo.* Atque ita quidem illi. Quid autem ſapientia de cælo deſcendens, quid vnigenitus de ſinu patris, reuelauit? *Quod* inquit, *natum eſt de carne, caro eſt.* Sic & vas electionis eius. *Eramus* inquit, *na-*

Ioan. 3. Ephes. 2.

tura

ſore filij iræ. Sed hoc, inquies, philoſophi illi ignorarunt, de lapſu hominis aut prima eius creatione nihil, aut ex fama cõmuni, audientes, aut per ſtudia priuata, inuenientes. Demus hoc ipſum. *Quis tamen mortalium ignorat* (vt ſcribit D. Auguſtinus) *cum quanta ignorantia veritatis, quæ etiam in infantibus manifeſta eſt, & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam, ita vt ſi dimittatur viuere vt velit, & facere quicquid velit, in facinora & flagitia quæcumque fere commemorari poſſunt ipſo naturæ ſuæ ductu, feratur. Aut quid ſibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis paruulorũ vanitatibus adhibentur, niſi vt debelletur imperitia, & cupiditas praua refrenetur, cum quibus malis in hoc ſeculo naſcimur?* Hæc Auguſtinus, ex ſola communis vitæ experientia, prophanæ philoſophię fundamenta euertens. Quomodo enim iſti philoſophi animam curare, aut corruptam naturam corrigere conari potuerũt, qui ipſius naturæ ductum ſequi animum voluerunt? De Ciuit. Dei lib. 22. cap. 22.

Sed dicet aliquis. Naturam illi non iam corruptam, ſed philoſophicis diſciplinis repurgatam intellexerunt, quum eius ductum ſe ſequi profiterentur, Nec naturæ impetum quemcumque ad capeſcendam virtutem ſufficere, ſed quoſdam à natura igniculos quaſdã propenſiones ſuppeditari, quibus accedente ſtudio & labore noſtro, ad virtutis apicem peruenire & conſcendere poſſemus. Sic enim Tuſculana ſecunda ex eorum ſententia rem

Sed hæc ipſa eorum Diſciplina, quænam obſecro & qualis erat? Si enim ipſi cæci nati, & in ignorantia educati alios cæcos docebãt, numquid non in foueam omnes neceſſariò cadebant? Si vero etſi in communi ingnorantia nati, præceptores tamen nacti peritos & perſpicaces, quorum ductu & authoritate, ex illa ſua caligine emerſi & liberati, iam etiam alios quod didicerant, docere potuerunt, illos nobis præceptores, illos videntes ſuos proferant. At proferre non poſſunt. *Certiſsimè enim* (vt pulchrè ſcribit Proſper) *neque græca ſchola, neque Romana eloquentia, neque totius mundi inquiſitio circa inueniendum ſummũ bonum, acerrimis ſtudijs & excellentiſsimis ingenijs laborando, aliquid egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, quia ad noſcendã veritatem, ſemetipſis ducibus vtebantur* Nulli videlicet, aut diuinæ aut humanæ Authoritati nitebantur. Hoc quoque illud eſt quod de Socratis diſcipulis & ſectatoribus annotauit Auguſtinus. *Dum Socrates* (inquit) *omnia mouet, aſſerit, deſtruit, quoniam non euidenter quod quærebat apparuit, eius diſcipuli quod cuique placuit, inde deſumpſerunt & vbi cuique viſum eſt, finem boni conſtituerunt.* Hæc ille. Hoc etiam illud eſt, quod ipſemet apud Theodoretũ Porphyrius, Platonicorum Dogmatum ſectator acerrimus, ingenuè fatetur: *Perpetua* (inquit) *eſt apud nos* λεγεμαχια *& verborum diſceptatio, vt pote qui in boni coniecturam, humanis rationibus ducamur: vt autem quod melius ac certius eſt aſſequamur, ſemper nobis in-*

Contra Collat. cap. 26.

De Ciuit. Dei lib. 8. cap. 3.

De cucat. græc affect. lib. 1.

magniſque poſterorum ingeniorũ acceſſibus creuerant, & diuturno ſectatorum ſtudio multarumque gentium admiratione ſic floruerant, vt Antiquitatis cuiuſdam & Religionis opinionem, obtinerent. Et tamen poſt tanti temporis tantorumque ingeniorum expectationem, Porphyrius ille Tyrius, tantus Chriſtiani nominis hoſtis, tantus placitorum Platonicorum ſectator & iuratus Diſcipulus, qui longo poſt Chriſtũ tempore, vixit, Diocletiani, vt nonnulli ſcribunt tẽporibus, in libro cui de regreſſu animæ titulũ fecit, ſcribit ingenueq; fatetur, *Nondum etiam ſuo tempore receptam vnam aliquam ſectam, quæ vniuerſalem viam contineat animæ liberandæ, vel à philoſophia aliqua veriſſima, vel ab Iudæorum moribus ac diſciplina, aut inductione Chaldæorum, aut alia qualibet via: nondumque eam in ſuam notitiam perueniſſe.* Quę quum dicit, quid aliud dicit, quàm maiores ſuos omnes quotquot à Chriſtiana profeſſione, vt ille, abhorrebant, ſeu philoſophos (vt in gręcia) ſeu Gymnoſophiſtas & Brachmannos, vt in India, ſeu ſacerdotes Chaldeos, vt in Aſſyria, penitus in cogitationibus ſuis euanuiſſe, & ſtultos factos eſſe. Hoc enim eſt quod ait, de vera liberandæ animæ via (in qua vna re totius ſapientiæ quaſi cardo vertitur) nondũ penes eos conſtitiſſe, aut certi aliquid conſtitutum fuiſſe. Animum ergo philoſophi iſti curare quidem conati ſunt, ſed in eo quam turpiter & miſerè hallucinati fuerint, vel ipſorum

Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 10. c. 9

 ſorum

ſorum iam teſtimonijs ſatis eluceſcit. Siue enim per theurgicas artes quas *teletas* vocant, & incantationes quaſdam animi ſordes, elui poſſe dicerent (vt vaniſſimè contendit Porphyrius) ſiue per temperantiæ & continentiæ virtutem purgari eam vellent, vt docet in Charunde Plato, figmenta planè ſunt & vana hominum commenta, nihilque prorſus ad veram animæ ſalutem conferunt aut conducunt. Quum enim vera animæ ſalus ſit, æterna tandem illa & beata vita, potiri. De hac comparanda, ne per ſomniũ aliquid tota illa philoſophantũ turba cogitauit. Notauit hoc ex ſcriptis Marci Varronis D. Auguſtinus. Quũ enim vir ille, Deos omnes curioſiſſimè enumeraret, primum qui ad ipſum hominem à prima eius conceptione ad vſque dectepitum ſenium pertinebant; Deinde qui ea quę circa hominem ſunt curarent, vt victum, veſtitum, aliaque vitæ humanæ neceſſaria, oſtendens in omnibus quod ſit cuiuſque Dei proprium munus, & propter quid cuique debeat ſupplicari, *in hac vniuerſa diligentia* (inquit Auguſtinus) *nullos demonſtrauit vel nominauit Deos, à quibus vita æterna poſcenda ſit, propter quam vnam propriè nos Chriſtiani ſumus.* Hæc ille. Atque hoc illud eſt, quod in eodem etiam opere idem celebratiſſimus Doctor ſcribit, *patriam quidem in qua manendum eſt poſt hanc vitam philoſophos vtcumque vidiſſe, etſi de longinquo etſi acie caligante, viam autem qua illic eundũ eſt prorſus non vidiſſe, penitus ignoraſſe.*

Auguſt. de Ciuit. Dei. Lib. 10. cap. 28.

De Ciuit. Dei lib. 6. cap. 9.

Lib. 10. cap. 29.

Quum

Quum igitur veram liberandæ animæ viam penitus ignorauerint philoſophi, quum de illo propter quod maximè & potiſſimum excoli anima debet, nihil planè docuerint, quum ipſum animæ morbum nunquam intellexerint, quum ea quæ ad animæ cultum & curationem protulerunt, ſine Authoritate, ſine certo & ſtabili fundamento protulerint, cui dubium eſſe poteſt ad animæ ſiue primam dignitatem penitus introſpiciendam & cognoſcendam, ſiue ſubſequentem miſeriam corrigendam atque curandam, philoſophorũ placita, dogmata, Diſciplinas, nihil aut parum conferre.

Nos ergo vt tantum errorem tamque pernicioſum corrigamus, quo ibimus aut ad quẽ vis vertemus, niſi ad illum, *qui verba vitæ æternæ habuit* qui è cælis *& ſinu patris accepit, qui nobis* hic pręſens *enarrauit*. Qui quum ſit ſolus *via, veritas & vita*, in illo ſolo eſt, illa vniuerſalis liberandę animæ via, quã tãtus Philoſophus Porphyrius, adhuc ſe ignorare dicebat. Hic eſt illa via, qui vt totum hominem ſanaret, totũ hominem aſſumpſit, *vt via homini ad Deum eſſet, homo Deus. Quum enim anima humana* (vt ſcribit eruditè D. Auguſtinus) *vitiis iam & erroribus immerſa, Deum capere aut ad Deum peruenire non poterat, niſi fide primum imbuta atque purgata; vt in hac fide, & per hanc fidem, homo fidentius ambularet ad veritatem, ipſa veritas Deus, Dei filius homine aſſumpto, conſtituit atque fundauit fidem, vt ad Deum iter*

Ioan. 6.
1. Ioan. 1.
Ioan. 14.

De Ciuit. Dei lib. 11. cap. 2.

ſeramus enim negligentes) hunc ergo religentes unde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, vt perueniendo quieſcamus, ideo beati, quia illo fine perfecti. Hęc ille. Hæc ergo vera eſt animę curatio & purgatio, quæ non per virtutes aliquas (vt fingit Plato) purgatiuas, ſed per fidem fit, de qua Petrus, *fide, purificans corda eorum*; hæc eſt vera & amplectenda diſciplina, quum non ad naturæ ductum, ſed ad Deum naturæ ſuę, anima tendit, vt in illo, non in natura ſua, beata exiſtat. Act. 15.

Sed quia ad Deum tendere, quę Deum neſcit, anima non poteſt (*quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt?*) de Deo primum inſtitui debet, qui ad Deum peruenire, deſiderat. Optima autem ad cognoſcendum Deum inſtitutio eſt, noſtri ipſius cognitio, id eſt, animæ noſtræ clara & aſſidua conſideratio, ſiue primã illam in qua creata eſt, dignitatem, ſiue etiam pręſentem, ad quam detruſa eſt calamitatem, ſpectemus. *Exacta & diligens tui ipſius conſideratio* (ait D. Baſilius) *viam tibi præſtruet ſufficientem prorſus & idoneam ad cognitionem Dei. In te ipſo enim tanquam in exiguo quodam mundo, diſtinctè adornato contemplari licebit, & quaſi per veſtigia conſequi eximiam conditoris tui incomparabilem ſapientiam.* Hæc ille. Quod & latius per ſingula eo loco proſequitur. Rurſum *tali experimento & tali ordine* (ait D. Bernardus) *ſalubriter innoteſcit Deus, cum prius ſe homo nouerit in neceßitate poſitum, & clamabit ad Dominum & exaudiet eum. Hoc enim modo erit gra-* Rom. 10. In Conc. Attende tibi ipſi. In Cant. Cant. ſerm. 37.

dus ad notitiam Dei, cognitio tui, & ex imagine ſua, quæ in te renouatur, ipſe videbitur. Hæc ille.

Catechiſticæ diſciplinę dignitas

Hæc itaque inſtitutio (Auditores) hęc profeſſio Catechiſtica, quæ nihil aliud quam Dei & noſtri ipſius ſcientiam quandam tradere profitetur, quæ non artium illarum *quas vulgus hominum liberales, nos ſeculares* (ait alicubi Auguſtinus) *vocamus diſciplinas*, non philoſophorum & prophanę ſapientiæ incerta placita & confuſa dogmata, non rerum in ſęculo geſtarum, aut narrationem hiſtoricam aut collaudationem panegyricam, non Galeni & Hipocratis medicamenta & aphoriſmata, non Imperialiū legum grauiſſima decreta (res ſanè illas & præclaras & magna commendatione dignas) ſed quæ omnium ſcientiarum & Artium (abſit inuidia verbo) Regina & Domina eſt, cuique cæterę omnes vt Ancillę inſeruiunt, Animi inquā noſtri, quo nihil in terris nobilius, excellentius, diuinius, & Dei opt. Max. cui nihil vel in terris vel in cęlis, ſine ſumma blaſphemia comparari poteſt cognitionem, ſcientiam, cultum, tradere, docere, explicare inſtituit. Hęc tanta Diſciplina, tanta & tam ſublimis Inſtitutio, quibus tandem verbis, quibus aut quantis dicendi fluminibus, ſatis illa vobis non dico commendari aut exornari, ſed vel explicari & enarrari poſſit? Certè veriſſimum eſt, quod veteri Prouerbio fertur. *Bonum vinum, non indiget hedera ſuſpenſa.* Itaque ab eius quidem laudibus, quæ & infinitæ ſunt,

& ſi

& ſi pauciores ac minores multo eſſent, ab hac tamen ſterili & ieiuna oratione noſtra illuſtrari ac ne commemorari quidē poſſent, penitus abſtinebo. Vos tamen Auditores ad eam non obuijs ſolum vlnis(quod dici ſolet) ſed expanſis planè & dilatatis pectoribus, toto inquam corde, tota voluntatis propenſione amplectendam, hauriendam, exoſculandam, quantum poſſum adhortor, oro,atque obſecro. Cogitate enim per ſalutem veſtram rogo,æternam illam & immarceſſibilem gloriam ad quam tendimus;animi & mentis puritatem, innocentiam; caſtitatem,ſine qua illuc nunquam tenditur, amantiſſimi Dei ac Patris noſtri infinitam bonitatem,per cuius ardentiſſimum quendam & flagratiſſimum amorem illuc peruenitur; & quum hæc vobis in Catecheſibus iſtis traduntur, explicantur, inculcantur, veſtrum ſummum bonum,veſtrum profectum maximum agi, vobis,veſtræque ſaluti,in toto illo labore conſuli ac proſpici, iterum atque iterum cogitate.

DE

autem res ipſæ & vos & me permouere poſſint; an torporem excutere, an ad euigilandũ expergiſcere, an ad contuenda, amanda & amplectenda, quę dicimus excitare valeant, videro, tentabo, experiar. Accipite ergo Auditores rem nouam, admirabilem, ſalutarem. Accipite & imis eam ſenſibus reponite, intimis animi receſſibus recondite, toto pectore haurite.

Sed quid tandem eſt quod dicimus, aut de quo dicere inſtituimus? Breuiter ſanè expedio. *Annuncio vobis gaudium magnum*, non vt Paſtoribus adhuc in fide rudibus, Angeli, ſed vt mundo ac gentibus in fide iam radicatis, Angelicus Euangeliſta, annunciauit. Sic enim annunciat. *Verbum caro Factum eſt, & habitauit in nobis*. Hoc eſt illud nouum, hoc illud admirabile, hoc illud eſt imprimis ſalutare; quod hodie factum, hodie exhibitum, hodie datum, hodiernus hic ſermo noſter, vobis cõmendat. Nempe, nonne hoc eſt illud *nouum, quod fecit Dominus ſuper terram*, quod multo antè quam fieret, futurum prædixit Hieremias? Nonne hic eſt ille *admirabilis conſiliarius & fortis, & Pater futuri ſeculi*, de quo etiam tanto tempore prædixit Eſaias? Nonne hoc eſt illud ſalutare, de quo Propheta Regius proclamat, *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam?* Sanè nouum, *quia ecce virgo concipiet & pariet filium*. Admirabile, *quia vocabitur nomen eius Emanuel*, quod eſt nobiſcum Deus:

Ioan. 1.
Ierem. 31.
Eſai. 9.
Pſal. 97.
Eſai. 7.

Luc 2. Deus:Salutare,*quia ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Rurſum nouum eſt, quia de
Eſai. 43. hoc ſcriptum eſt,*Ecce ego facio noua & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea* Admirabile eſt, quia
Eſai. 29. item ſcriptum eſt *Ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo. Peribit enim ſapientiâ à ſapientibus eius; & intellectus prudentium eius abſcondetur.* Quòd in hac re factum eſſe declarat Apoſtolus,eàdem hæc verba
1.Cor.1. repetens.Salutare eſt,quia *fidelis ſermo eſt &*
1.Timo.1. *omni acceptione dignus; quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum,peccatores ſaluos facere.*Denique hoc eſt illud *Canticum nouum,quod cantat Domino omnis*
Pſal. 95. Pſal. 117. *terra;*hoc eſt illud, quod *à Domino factum eſt, & eſt mirabile in oculis noſtris*; hoc eſt illud ſalutare, quod quum vidiſſet tandem,poſt tantum ſui maiorumque ſuorum & tot ſeculorum expectationem,ſanctus ille ſenex Simeon, excla-
Luc. 2. mauit.*Nunc dimittis ſeruum tuum Domine,quia viderunt oculi mei,Salutare tuum.* Poſtremò, meritò rem nouam prædicamus,hanc eſſe,in qua *factus eſt homo nouus Faciens pacem, in quo vetera tran-*
Ephes. 2. *ſierunt,noua facta ſunt omnia:*in quo vetus homo exuitur,perimitur, moritur, & nouus homo induitur,viuificatur,reſurgit.Meritò admirabilem dicimus,quam tam mirabiliter prædicant.Merito ſalutarem,quam tantis deſiderijs expetunt,veteres illi Patriarchæ, Prophetæ, Patres.Propter admirationem clamant,*Rorate*
Eſai.47. Iud. 6. *cæli deſuper,& nubes pluant iuſtũ, aperiatur terra, & germinet ſaluatorem.* Miratur Gedeon *vellus*

ſine

ſine rore madidum; obſtupeſcit Moyſes, *ardere rubum & non comburi*. Extaſin patitur Daniel, *horruit ſpiritus eius, & viſiones capitis eius conturbauerunt eum, quum aſpiceret quaſi filium hominis de nubibus cæli venientem, & ad antiquum dierum peruenientem, datamque ei poteſtatem & honorem & regnū, omneſque populos, tribus & linguas ipſi ſeruire*. Propter ſalutis magnitudinem, gemitibus inerrabilibus clamat Eſaias, *vtinam diſrumperes cælos & deſcenderes*: Et iterum. *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion*. Dauid quoque deſiderans videre diem hunc, *Domine* (inquit) *inclina cælos tuos & deſcende*: & alibi quaſi moras nectenti & detrectanti, *excita* (inquit) *potentiam tuam, & veni, vt ſaluos facias nos*. Quæ ſanè omnia nouitatis, admirationis, & ſalutis plena; non iam amplius expectata, ſed exhibita, non deſiderata, ſed data; non futura ſed præſentia; Euangeliſta noſter, ſic gaudio exultans, effert. *Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis*. In quibus verbis, quid, quale, & quantum compræhendatur; quæ rei nouitas, quale miraculum, quanta ſalus prędicetur, ſic intelligantur Auditores, ſi quid hic factum ſit, quo modo, & in quem finem, acceperitis. Hæc ergo tria, & hoc quo iam diximus ordine, tractemus. Nouū enim eſt, quod *verbum caro*, id eſt, Deus homo factus eſt. Admirabile eſt, quo tandem modo hoc factum fuerit. Salutare eſt, quod propter noſtrā ſalutem, hoc totum factum eſt. Quæ tria partim

Exod. 3.
Dan. 7.
Cap. 64.
Cap. 16.
Pſal. 143.
Pſal. 79.
Diſtributio

tim

ſuæ (ait Auguſtinus) *ab infirmitate portatur. Qui terra, mari, cæloque non capitur, intra vnius corpuſculi membra, ſuſcipitur. De creatura ſua Creator omnium procreatur, & de riuulo ſuo, fons magnus exoritur. Radix omnium de virgulto ſuo naſcitur, & vitis vera, palmitis ſui fructus efficitur.* Hoc nempè eſt verbum caro factum. Rurſum videte quàm nouum. *In principio quidem naſcentis mundi, fecit nos Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Hodie vice mutata, factus eſt Deus ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã. Multum ſanè origini eſt humanæ datum, quod fecit nos Deus ad imaginem ſuam, ſed reparationi noſtræ longè amplius eſt tributum, quum ſeruili formæ ipſe ſe Dominus coaptauit.* Et vt planè hoc nouum eſſe intelligatis, ipſa ſpecies naſcendi noua planè eſt, & primam illam hominis natiuitatem referens. *Innouatur enim hodie* (ait Auguſtinus) *ſpecies illius antiqui & incipientis ſeculi, & iterum ceſſantibus naturæ legibus, nouus homo in nouam vitam, ſolo Deo operante, perficitur.* Nam vt illic primus Adam de limo terrę ſine gignentis opera creatur, ita hic ſecundus Adam, de virginis carne ſine patre, producitur. Denique quum tres tantum ab orbe condito mirabiles legantur naſcendi ſpecies, præter legitimum humanæ conceptionis vſum, ex illis tribus, hodie tertia eademque cæteris magis admiranda, conſpicitur. *Prima ſanè noua & admirabilis Natiuitas erat, quòd Adam ex limo creatus eſt; ſecunda quòd mulier formata de maſculo; tertia quæ ſola cæleſtis eſt & diuina, quod Chriſtus proceſſit ex virgine; quòd verbum*

Serm. 9. de tempore.

Auguſti. Ibidem.

Leo Serm. 3. de Natiuitate.

Vbi ſuprà.

Auguſt. Serm 11 de tempore.

caro factum eſt. Ac de huius quidem myſterij nouitat, eſufficiat iſta breuiter attigiſſe.

Myſterij modus admirabilis. De eius nunc admirabili modo, in quo etiã maior adhuc huius rei nouitas apparebit, copioſius & accuratius dicamus. Quanquam enim ſanè ſcriptum ſit, de hoc verbo Dei, de

Eſai. 53. quo nunc agimus, *Generationem eius quis enarrabit?* quod non de æterna illa tantum generatione qua Deus erat verbum, ſed & de temporali hac, qua verbum caro factum eſt, intel-

a Serm 3. de Natiuit. b Serm 12. de tẽpore. Serm. 25. de temp. ligendum eſſe docent S. Patres, Leo [a] & [b] Auguſtinus. Videamus tamen (vt idem alibi monet Auguſtinus) *ſi fortè dicatur à nobis, per quod habitauit in nobis & ſi fortè ibi poſſit eſſe dicibilis, vbi voluit eſſe viſibilis.* Certè qui per Prophetam

Eſai. 7. dixit, etiam quum de hac Natiuitate ageret, *niſi credideritis, non intelligetis*, idem inſinuauit haud dubie, quod ſi crediderimus & intelli-

De verb. Dom. Serm. 51. gemus. *Fides enim*, ait alicubi Auguſtinus, *debet præcedere intellectum, vt ſit intellectus, fidei præmium.* Quia ergo credentibus, credentes loquimur, ſperamus in eo cui credimus, quod qui dedit credere, daturus ſit intelligere. Vidimus quàm ſit nouum, quàm magnum, quàm inauditum; videamus nunc quàm ſit profundum, quàm altum, quàm admirandum. Non tantum ſuperficie delectemur, ſed & altitudinem perſcrutemur. *Quemadmodum enim ſi litteras pulchras*

Auguſt. Tract 24. in Ioan. *alicubi inſpiceremus, non nobis ſufficeret laudare ſcriptoris articulum, quomodo eas pariles, æquales, decoraſque fecit, niſi etiam legerimus, quid nobis per illas indicauerit;*

cauerit, ita factum hoc qui tantum inſpicit, delectatur pulchritudine facti vt admiretur artificem, qui autem intelligit, quaſi legit. Quòd ergo credimus & contuemur, intelligamus quantum poſſumus & legamus, Modum ſcilicet ipſum ſi tamen reperiri queat, inueſtigemus. Accedamus propius & videamus viſionem hanc magnam. Sed omnium profectò carnalium cogitationum calcei, quaſi ſordida quædam obſtacula, quæ ne clarè & penitus rem introſpiciamus, impediunt, prius ſunt deponendi. Locus enim in quo ſtamus, materia in qua verſamur, ſancta eſt, Diuina, & ad quàm ipſi Angeli admirantur & obſtupeſcunt. D. Auguſtinus adhuc quidem iuuenis, nec Catholica fide imbutus, ſed in omni Diſciplinarum genere inſtructiſſimus, & in Platonica Philoſophia accuratè verſatus, dum adhuc carnalium cogitationũ calceos non deponeret, dum humana ratione ingenio, ſenſibus, hoc tam grande myſterium timaret & ſcrutaretur, licet ingenio ſanè ad miraculum magno polleret, labori & ſtudio pertinaciſſimè incumberet, multos audiret, multa diſputaret, de hoc incarnati verbi Dei myſterio, in turpiſſima tamen Manichęorum hæreſi, quæ veritatem carnis à verbo Dei aſſumptam, pernegauerat, totis nouem annis miſerè iactatus ac volutatus eſt. Quod in cõfeſſionum ſuarum libris, ſic commemorat & deplorat. *Ipſum* (inquit) *Saluatorem noſtrum vnigenitum tuum, tanquam de maſſa lucidiſſima molis tuæ* Lib. 5. c. 10.

L 2 *porrectum*

porrectum ad noſtram ſalutem ita putabam; vt aliud de illo non crederem, niſi quod poſſum vanitate imaginari: Talem itaque naturam naſci non poſſe de virgine arbitrabar, niſi carni cõcerneretur. Concerni autẽ & non inquinari non videbã, quod mihi tale figurabã. Metuebã itaq; credere in carne natũ, ne credere cogerer ex carne inquinatum. Hoc ſanè vir tantus futurus, tũc morbo laborabat, dum ratione & ei ingenij ſe quaſi opponendo impingebat, quod fide ſubire ſe humiliando debebat. Porro quemadmodum ille cum Manicheorum infelici ſecta, non vere, ſed imaginaria quadã ratione, incarnatum verbum putabat, ita Ariani verũ quidem hominem, ſed non verum Deum. Eutijchetę vnam Dei & hominis naturam, vt altera alteram conſumeret, non aſſumeret; Neſtoriani in duabus naturis, duas perſonas vnionem admirabilẽ non intelligentes, omnia videlicet ratione perſcrutantes, non fide amplectentes, ponebant. Contra quas omnes opinionum inſanas vanitates, & venena putida, vel huius noſtri Euangeliſtę vnica ſententia amuleti cuiuſdam certiſsimi & antidoti loco, valere poteſt, qua dicit, *Verbum caro factum eſt*. Quod enim *factũ* eſſe dicit, verè, non imaginariè, fieri intellexit. Dum *verbum* nominat, Deum Dei filium, non diuinum aliquem hominem, ſignificat; ac neque aliquod verbum quod Deus alteri loqueretur veluti extra ſe, vt voluit Eunomius: Sic enim dicendũ erat, verbum factum eſt ad carnem, non *Verbum caro fa-*

Hæreſes variæ circa Incarnationis myſterium.

ro fa-

ro factum eſt. Dum *illud fieri,* non hoc ex illo fie-
ri, aut hoc in illud conuerti aſſerit, naturas
diſtinguit non confundit, & vtramq; perma-
nere, non alteram abſorberi, docet. Perſonæ
quoqué vnitaté ſtatuit. Non enim poteſt vna
perſona de altera prædicari, vt hic homo de
verbo. Denique quum adiungit, *& habitauit in*
nobis, nec dicit, habitauerunt, eandem perſonæ
vnitatem demonſtrat, & vtriuſque naturæ in
perſona vnionem inſinuat. Atque hęc quidem
ita fieri credimus, & fide quodammodo cer-
nimus. De modo autem quo iſta fiant, adhuc
nihil dicimus.

Videamus ergo an D. Auguſtinus qui ante
fidem hoc videre non poterat, poſt fidem ſal-
tem viderit; & qui ideo non intellexit, quia
non crediderat, an poſtquam credidit, iam in-
tellexerit. Sanè vir ille fide iam Catholica nō
ſimpliciter imbutus, ſed nobiliter illuſtratus,
& contra ſuos Manichæos, & contra philoſo-
phos, luculenter & copioſè de huius myſterij
veritate, diſſeruit. Sed cōtra Manichæos * Ca- * In lib. de
tholicæ Matris Authoritate; contra philoſo- vtilit. cred.
phos etiam ratione dimicauit: oſtenditque & contra Epiſt. fun-
nec eorum quidem principijs repugnare, quòd damenti.
filius Dei carnem humanam aſſumpſerit. Sic
enim diſputat. *Quid vobis* (Platonicos alloqui- De Ciuit.
tur) *incredibile dicitur, cum Deus dicitur aſſumpſiſſe* Dei lib. 10.
humanam animam & corpus? Vos certè tantùm tribui- cap. 29.
tis animæ intellectuali (quæ anima vtique humana eſt)
vt eam conſubſtantialem paternæ illi menti, quem Dei

 filium

*filium confitemini, fieri poſſe ſtudio & induſtria dicati*s. *Si enim anima humana conſubſtantialis fieri Dei filio repurgata & eliquata poteſt, quanto credibilius Dei filius animam humanam aſſumere, ſibique adiungere, poterit.*

Sed de anima fortè Deo coniungenda, difficultas tanta non eſt. Ibi enim ſpiritus ſpiritui, & incorporeum incorporeo, adhæret. At vt Deus corpus hoc carnis aſſumat, vt *Verbum caro fiat*, illud verò longè difficillimum & ab omni rationis indagine remotiſſimum, videri poteſt. Quin nec hoc ipſum ita difficile eſt, vt in humanis rebus ſimilitudinem etiam aliquam, non inueniat. Nam *corpus hoc noſtrum animæ cohærere, vt homo totus & plenus ſit, natura noſtra ipſa teſte, cognoſcimus. Quod niſi vſitatiſſimum eſſet, humana ſanè ratio fieri poſſe, negaret.* Si ergo anima corpori cohęret, nec confunditur, ſed integra permanet; quanto probabilius corpori cohærere & corpus aſſumere, Deus poteſt, qui ſpiritus eſt & purior & potentior.

Deum humanæ naturæ vniri poſſe ſine ſui detrimento.

Idē ibidem

Porrò contra Platonicos illos (à quibus Manichæi ſuum dogma ſumpſiſſe videntur) qui ex ſententia Platonis, ſed falsò dicebant, *nullum Deum miſceri homini, & hoc præcipuum eorum ſublimitatis eſſe ſpecimen, quod nulla attrectatione hominum, contaminarentur*, ſic acutè argumentatur Auguſtinus. *Aut ergo & Dæmones contaminantur, cum miſcentur hominibus, & ideo homines à quibus contaminantur, mundare (vt ipſi putabant) non poſſunt, ſed omnes pariter iumundi fiunt; aut ſi miſcentur nec conta-*

De Ciuit. Dei lib. 9. cap. 16.

contaminantur, Deo ſunt fœliciores & meliores, qui nulli homini miſcetur ne contaminetur.

Rurſum contra illud eorum principium, quo dicebant, *vt anima beata ſit, omne corpus eſſe fugiendum, nec vllam poſſe ibi beatitudinem eſſe, vbi corporis adeſſet commercium, quomodo ergo* (inquit Auguſtinus) *mundum hunc, & omnia cæleſtia corpora nec vnquam ſolui à corpore, nec vnquam beatitudine carere, affirmant?* Ac Platonicorum quidem qui inter Philoſophos præcipui ferebantur, argumenta quę incarnationi filij Dei obſiſtere videbantur, ſic repulit Auguſtinus. Quinetiam adeo nullam ex carne contaminationē Deo huic accedere, vidit Auguſtinus, vt diceret, *ex incarnatione filij Dei hæc duo nobis oſtendere Deum voluiſſe; nec in carne contaminari veram diuinitatem, nec ideo putandos Dæmones nobis eſſe meliores, quod carnem non habeant:* ſed carnem ex ſe bonam eſſe, & huiuſmodi non qua contaminaretur Deus, ſed quæ purior redderetur à Deo. Itaque quod ex parte Dei nihil repugnet, Deum hominem fieri, vel ex his paucis, perſpici poteſt.

Ibidem Lib. 10. Cap. 20.

Ibidē lib. 9. cap. 17.

Attamen etſi iſtud non repugnet, vnde tamen conſtabit, aut quomodo intelligi poteſt, ex parte hominis id fieri poſſe? Etſi inquam, videamus carnis naturam Deo poſſe coniungi, ſine diuinitatis detrimento, vt non inquinetur, non videmus tamen, quomodo ita coniungatur, vt à carne capiatur. Si enim cælum & terram Deus implet, quomodo humani corporis communi menſura, capitur & continetur?

netur? Aut ſi totus Deus Chriſtus non fuit, quomodo *verbum caro factum eſt*? Sane nec vt iſtud quoq; intelligatur, ſimilitudine quadam etiam in rebus naturalibus, deſtituimur. Deū enim ita infirmitate noſtræ carnis indutum fuiſſe, vt & in ipſa carne totus Deus eſſet, nec tamen in cælo, in terra, & vbique totus eſſe, deſiſteret, vel iſte ſermo quem loquimur, hæc vox quam efferimus, indicio & argumento eſſe poteſt. Sic enim ſermo hic noſter ſenſibus influit, vt eum & totū recipiat & non includat, auditor. Nam niſi totus reciperetur, neminem inſtrueret, ſi à quoquam includeretur, ad alios non veniret. Itaque totum & omnes audiunt, & ſinguli capiunt. Nec quicquam timemus dum loquimur, ne totum audiendo vnus abſumat; ſed ita totum ſinguli audiant, vt totum & cæteris ad audiendum, relinquāt. Neque hoc fit alternis temporibus, vt cum ſermo ad vnum peruenerit, ab eo exeat, vt ad alium pertingat; ſed ſimul ad omnes veniens, totus ad ſingulos peruenit. Quæ quum in ſermone hoc & ſono ſenſibili vſu venire videmus, quanto magis verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, & quod in ſe manens, innouat omnia, quod nec locis concluditur, nec temporibus tenditur, nec moris breuibus longiſque variatur, nec vocibus texitur, nec ſilentio terminatur, quanto magis hoc tantum & tale verbum, potuit & aſſumptum corpus occupare, & de ſinu patris non emigrare? Hinc ad oculos

Auguſtini diſcurſus Serm 17. de tempore.

Deum totū ab humana natura capi poſſe.

oculos humanos exire, inde mentes Angelicas illuſtrare? hinc ad terras procedere, inde cælos extendere? Hinc denique homo fieri, inde homines facere? Rurſum ſicut verbum quod corde geſtamus, fit vox cum id ore proferimus, nec tamen illud in hanc commutatur, ſed illo integro iſta in qua procedit, aſſumitur, vt & intus maneat quod intelligatur, & foris ſonet quod audiatur, vtque aſſumpta quaſi carnis voce, ſic procedat ad audientem, vt non deſerat cogitantem; ita profecto multo magis multoque verius verbum Domini, quod manet in ęternum, ſic carnem aſſumpſit in tempore, vt non in carne amitteret æternitatem, ſed carni præſtaret immortalitatem. Ideo ſanè ab Apoſtolo ſignificanter dicitur, Saluator noſter, *Habitu inuentus vt homo*: Hoc enim totum quod nos ſumus, vel in anima vel in corpore, noſtra natura eſt; illius habitus. Nos enim niſi hoc eſſemus, non eſſemus. Ille ſi hoc non eſſet, eſſet vtique Deus. Sic manens Deus in propria ſubſtantia, manens in forma Dei, ſemetipſum exinaniuit, non formam Dei perdens, ſed formam ſerui accipiens, non diuinitatem commiſcens aut confundens, ſed hominem induens & aſſumens. Atque hæc quidem omnia D. Auguſtinus. Sed & alia quoque hoc ipſum via ac ſimilitudine demonſtremus. *Quomodo in carne diuinitas?* ait D. Baſilius. Reſpondet: *Quemadmodum ignis in ferro; non ex progreſſu ſed ex participatione; Non*

Philip. 2.

De humana Christi generat.

 enim

enim in ferrum ignis currit aut accedit, verum in loco ſuo remanens, ſuarum particeps virium, ferrum reddit: cumque ſe totum illi communicat, nihil propterea de ſua natura, amittit. Sic Deus verbum, nihil in ſe ipſo commutatus, noſtram ſuſcepit humanitatem. Rurſum vt magis intelligas, *ſicut ignis de ferri proprietatibus nihil accipit, ferrum enim nigrum ex ſe & frigidum exiſtens, ignitum iam ac candens ignis formam ſubit, nec ignis aut ſplendorem ſua nigredine, inficit, aut calorem ſua frigiditate, extinguit, ſic & humana Domini caro, ita particeps diuinitatis facta eſt, vt propria fragilitate, illam minimè contaminauerit.* Hæc Baſilius. Rurſum ſicut radius ſolis, humorem quem ad ſe trahit, exiccat, ipſe tamen virtutem ſui caloris & ſplendoris, nec minuit, nec immutat; ſic Deus carnem noſtram aſſumpſit in ſe, nec minutus, nec mutatus. Hic ergo modus eſt, Auditores, quo *Verbum caro factum eſt*, quo Deus humanam induit naturam: nec vt natura noſtra Deum contaminaret, nec vt Deus illam obrueret; ſed Deus in ſe manens, hanc verè aſſumeret, ac diuinitatis quidem plenitudine in ea habitaret; naturam tamen ipſam, non commutaret.

Auguſt. de Sanctis ſerm. 19.

Naturam humanam integram Deus aſſumpſit.

Quum autem naturam, quam carnem humanam dicimus, non illam vitiatam & corruptam intelligimus, ſed naturam ab omni peccato liberam, integram & ſanam, qualis ante peccatum extiterat. Hanc Deus aſſumpſit, hæc fieri voluit: *& tanto fœdere vtramque naturam coniung-*

Leo ſerm. 1 de Natiuit.

coniunxit, vt nec inferiorem, conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem, minueret aſſumptio.

Denique hic eſt ille admirabilis modus, quo Deus ſuę potentię excellentiam, potentiſsimè oſtendit. *Deus enim noſter* (ait Auguſtinus) *in eo potentiam maieſtatis aperuit, cum ſe intra terminos humanæ infirmitatis, abſcondit. Vt omnipotentem ſe in hoc maxime Sacramento monſtraret, quo poteſtati ſuæ ſubiiceret, id quod omni ſubiectione, liberũ permanebat.* Serm. 22. de tẽpore.

Quemadmodum enim nihil difficilius, nihil magis arduum, quàm ſe ipſum vincere, (quid enim homini charius, aut præciofius ſe ipſo? & ea difficillimè vel deprimimus, quæ amamus, vel ſubiicimus quæ admiramur) ita nulla in Deo admirabilior victoria, quàm qua humanam infirmitatem induens, ſeipſum ſibi ſubiecit, & *homo factus obedientiam didicit* (vt loquitur Apoſtolus) qui ſolus omnibus imperauit. Hebr. 5. Pulchrè Gregorius Nyſſenus: *Magnum & excelſum aliquid operari, in Deo non miraculum, ſed naturæ eius conſentaneum eſt. At in humilem & abiectũ ſtatum deſcendere, qui omniũ ſupremus eſt, hoc omnem admirationem ſuperat. Si flamma ſurſum petens, vaſtũ incendium facit, nihil eſt mirandum. At ſi flamma deorſum ſua ſponte deſcenderet, & ima loca teneret, illud verò ſtupendum videatur.* In Orat. Catechetica cap. 24. O modum ſupra modũ admirabilem. O miraculũ omnem admirationem ſuperans. O myſteriũ myſterij vim excedens. Sed quia iſtud admirari facilius, quã explicare poſſumus, hæc hactenus de huius myſterij modo dicerniſſe, quaſiq; legiſſe ſufficiat.

Venio

Myſterij finis cauſa, fructus. Venio nunc ad illam Orationis noſtrę partem, in qua iſtud & nouum & admirabile & ſalutare inprimis myſterium non modo quaſi pulchros quoſdã characteres concinne efformatos videre, atque etiam legere; ſed etiam penitius introſpicere, totam rei cauſam accuratius indagare, finem & effectum obſeruare, atque adeo fructũ, qui inde tum ampliſſimus tum iucundiſſimus redit, deguſtare liceat. Etenim & ex hac quoque conſideratione, quàm ſit iſtud nouũ, quàm admirabile myſterium, quod *Verbum caro factum eſt*, clarius eluceſcet. Quis ergo finis, quæ cauſa, tam noui tam admirabilis myſterij? Breuis ſane reſponſio eſt. *Ideo Deus in carnem venit* (ait D. Baſilius) *vt inſitam carni mortem, interficeret. Propterea totum hominem* (ait Auguſtinus) *ſine peccato ſuſcepit, vt totum quo conſtat homo, à peccatorum peſte, ſanaret. Ideo Dei filius* (ait S. Leo) *reconciliandam authori ſuo, naturam generis ſumpſit humani, vt inuentor mortis diabolus, per ipſam quã vicerat, vinceretur.* Deniq; *fidelis ſermo* (ait Apoſtolus) *& omni acceptione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere.* Tandem Chriſtus voluit naſci de muliere, vt eſſet verus homo & caput Eccleſiæ ſuæ, non creari vt Adam: ex virgine autem, vt eſſet abſque peccato & languore per ſemen generationis humanæ propagari ſolitæ. Itaque hac ſane reſponſione nihil facilius, nihil breuius.

Homil. 25.

De Ciuit. Dei lib. 10. cap. 27.

Serm. 1. de Natiuitate.

1. Timo. 1.

Sed operæ precium hic eſt (Auditores) hanc

hanc ipſam cauſam, hunc finem accuratius & limatius expendere, vt quantus ille ſit, & quàm pulcherrima quadam ac conuenientiſſima planè ratione, humano generi per hanc filij Dei incarnationem proſpectū ſit, plenius à nobis intelligatur, intellectum feruentius ametur, amatū ſuauius ac iucundius à nobis hodie recolatur. Etenim (vt pulchrè ſcribit D. Auguſtinus) *hunc modum quo nos per hominem Chriſtum Deus liberare dignatur, non ſolùm exiſtimare debemus bonum eſſe, & Diuinæ congruum dignitati, ſed planè huiuſmodi vt ſanandæ miſeriæ noſtræ conuenientior, alius modus non fuerit, nec eſſe debuerit.* Hoc enim demum ad ampliſſimam myſterij huius laudem & commendationem, facit plurimū. Hoc ad infiniti huius beneficij excellentiam cognoſcendam, iuuabit maximè. Hoc deniq; ad præclara grati animi teſtimonia exhibenda, nos ipſos ſtimulabit acerrimè. Hoc ergo nunc ex Sanctis patribus, qui de huius myſterij grauitate, de hodierni beneficij magnitudine, de iſtius excellentiſſimi operis maieſtate, accurate, ſuauiter, & Diuinè philoſophati ſunt, oſtendam; & quæ colligere potui, huc in medium afferam. Quod dum facio, diligenter quæſo & ſedulo attendite, mecumque Diuiniſſimi huius myſterij admirabiles cauſas, attentè recognoſcite.

De Trinit. lib. 13. c. 10

Ergo, vt Deus verbum carnem ſanaret, Deus verbum caro factum eſt. *Mirabile planè & incomparabile genus medicinæ* (ait D. Auguſtinus)

Incarnatio filij Dei modus noſtræ ſaluti conuenientiſſimus.

Serm. 19. de Sanctis. guſtinus) *propter quàm medicus voluit ægrotare, & ægrotos ipſos, quibus ſalutis remedium procurabat, ſuâ decreuit infirmitate, ſanare.* Videtis rei miraculum, videtis ſtupendam Dei opt. Maximi benignitatem, bonitatem, amorem? *Nihil ſanè tam neceſſarium fuit* (ait pulchrè D. Auguſtinus) *ad erigendam ſpem noſtram, menteſque mortalium, conditione ipſius mortalitatis abiectas, ab immortalitatis deſperatione liberandas, quàm vt demonſtraretur nobis, quanti nos faceret Deus, quantumque diligeret.* De Trinit. lib. 13. cap. 10. Etenim (vt idem celebratiſſimus Doctor alibi ſcribit) *quia naturale eſt, vt homines diligentes ſe, diligant, hac humilitate & charitate incarnati filij Dei, liquefacta eſt duritia mundi, vt agnoſceret ſaltem beneficium ſuæ reparationis, quæ non agnouerat excellentiam ſuæ conditionis.* Serm. 19. de Sanctis. Amoris enim erga nos Dei nullum maius & fortius argumentum eſſe potuit, quàm vt pro nobis, Deus homo fieret. *Si enim* (ait Auguſtinus) *natura Dei filius, propter filios hominum, miſericordia factus eſt hominis filius; quanto eſt credibilius natura filios hominis gratia Dei, filios Dei fieri? propter hoc perſuadendum, Dei filius particeps noſtræ mortalitatis effectus eſt.* De Trinit. lib. 13. cap. 9. Hæc ille. Deus ergo vt hominem ſanaret, quia niſi amantē ſanare non potuit, vt amaret homo, ſuum priùs incredibilem amorem oſtendere voluit, & ita quaſi ad mutuum prouocare.

Rurſum quia hominem ſanare accuratiſſimè & perfectiſſimè voluit, non aliam medicinam adhibuit, quam ſeipſum. Ipſe ſe vulneribus noſtris immerſit, & noſtram induit carnem

hem, vt carnem ſanaret. O incomparabilem Dei charitatem pariter & ſapientiam. Vt deſertores ſuos & hoſtes quæreret, ſemen Abrahæ appręhendit, hoſtium carnem & naturam induit, & fugientes hoſtes non perſequitur, ſed ſequitur; nec vt capiat ſed vt capiatur: capiatur autem, à malis quidem per ſcelus ad mortem temporalem ſubeundam; à bonis autem per gratiam ad vitam æternam conſequendam. Poſtremò vt ægros ſanaret, æger eſſe voluit. Nempe *quemadmodum ſcorpionum carnes oleo coctæ percuſſionibus medentur ſcorpionum, & theriaca de ſerpentis carne confecta morſibus ſerpentinis occurrit, & potiones veneno infectas in potum ſumpta expellit, ſic carnem noſtram à ſerpente percuſſam, medicus noſter ſua carne ſanauit.* Hæc Auguſtinus. Auguſtinus Serm. 19 de Sanctis. Sic & Baſilius, adhibita illius ex venenis antidoti ſimilitudine, infert, dicens. *Carnem ſuſcepit Deus, quoniam execrabilem, contaminatamque, purgatam, ſanctamque reddi oportuit; infirmam ac debilem* corroborari; *à Deo alienatam conciliari, à paradiſo excidentem in cælum referri.* Homil. 25. Sic & Ambroſius. *Antidotum facta eſt caro, quæ erat venenum ante peccati, quia facta erat illecebra peccatorum.* In pſal. 37. Ergo, vt hanc primam cauſam Auguſtini verbis concludam, *quod Dei ſapientia potuit facere ſapienter & fortiter, voluit facere ſuauiter; vniens ſibi infirmitatem carnis noſtræ, quàm primò in ſe ſanaret, & per hanc quaſi medicinalem confectionem generi humano ſanitatem reſtitueret: non quòd, non potuerit aliter fieri, ſed quia non potuit commodius antidotum* Serm. 19. de Sanctis.

procu-

procurari,quantum ad complexionem ægroti. Hęc ille. Sic ergo Deus homo fieri voluit, quia hominem ſanare conuenientius non potuit. Non potuit inquam, quantum ad ipſius hominis ſanandam naturam, attinebat.

Incarnatio filij Dei ex iuſtitia diuina. Porro alia ratio eſt,incarnationis filij Dei, ipſa iuſtitia diuina. *Deus enim,* (vt notat Auguſtinus) *Diabolum vincere voluit non potentia, ſed iuſtitia. Placuit,* inquit, *Deo vt propter eruendum hominem de diaboli poteſtate, non potentia diabolus, ſed iuſtitia vinceretur. Iuſtum autem erat, vt debitores quos diabolus detinebat, liberi dimitterentur in eum credentes, quem ſine vllo debito, diabolus occidit.* Hoc verò fieri non potuit, niſi & Deus homo fieret: niſi enim Deus homo eſſet, certè occidi non potuit; niſi & ille homo Deus eſſet, non crederetur noluiſſe quod potuit, ſed non potuiſſe, quod voluit. Itaque Deus homo factus eſt, vt hominis natura aſſumpta, ſalutem noſtram in ea operaretur, ipſumque diabolum iuſto certamine, non ſola potentia ſuperaret. Hinc pulchrè S. Leo. *Magno* (inquit) *& mirabili æquitatis iure certatum eſt, dum omnipotens Dominus cum ſæuiſſimo hoſte, non in ſua maieſtate, ſed in noſtra congreditur humilitate, obiiciens ei eandem formam, eandemque naturam mortalitatis quidem noſtræ participem, ſed peccati totius expertem: vt videlicet inuentor mortis diabolus, per ipſam quam vicerat carnem vinceretur.* Vt ergo diabolus, non potentia ſed iuſtitia vinceretur, Deus non in ſua Diuinitate ſola permanens, ſed in humana hac noſtra

De Trinit. lib. 13. c. 13

Serm. 1 de Natiuitate

in oſtra natura agens, reparationem noſtram operari voluit.

Alia adhuc ratio eſt admirabilis huius incarnationis filij Dei, quod nos non ſanari ſolum aliter conuenientius non potuimus quã vt ſupra eſt oſtenſum; ſed nec aliter ad Deum à quo receſſeramus, redire aut certius, aut cõmodius, aut iucundius, potuimus. *Quum enim à Deo nulla ſit tanta longinquitas, quàm eius diſsimilitudo, tantò autem eſt anima hominis Deo æterno illi & incommutabili bono diſsimilior, quantò rerum temporalium mutabiliumque cupidior, vt hoc ſanetur, vt iſta diſsimilitudo tolleretur, quoniam ad immortalem illam puritatem; quæ in ſummo eſt, hæc quæ in imo verſatur mortalis & immunda hominis natura, ſe extendere ſuis viribus nunquam potuit, opus erat mediatore, qui nobis infimis ex corporis mortalitate coaptatus, immortali autem ſpiritus iuſtitia, ſimilitudinis excellentia manens in ſummis mundandis liberandiſque nobis verè diuinũ; præberet adiutorium.* Hæc mediatio tum facta eſt, quando *Verbum caro factum eſt.* Et quid hac meditatione certius, quid fortius, quid ſecurius? Porro quia in infimis iacuimus miſeri, deſcendit ad carnem noſtram Deus, & *illa mediatio facta eſt, qua manus lapſis iacentibus porrecta eſt.* Quid hac mediatione commodius, aptius, conuenientius? Rurſum quia natura iam filij iræ eramus, nec ad iratum Deum, vel oculos leuare poteramus, *vt fidentius iam liberati ad Deũ ambularemus, ipſe Deus Dei filius homine aſſumpto, conſtituit atque fundauit, fidem, vt via homini ad Deũ*

Incarnatione Dei filius mediator conuenientiſſimus.

Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 9. c. 16.

Ibidem cap. 17.

De Ciuit. Dei lib. 10. cap. 24.

Ibidem lib. 11. c. 2.

 eſſet

eſſet homo Deus. Quid hac via, quid hac mediatione familiarius, ſuauius, iucundius? In eo ergo quod *Verbum caro factum eſt*, mediatorem Auditores videte nobis datum; quo nihil certius, nihil commodius, nihil iucundius. Et videte obſecro, quã admirabilis ſit iſte mediator, Deus homo, verbum caro factum. *Gratia*

Ibidem lib. 10. c. 29 *Dei* (inquit D. Auguſtinus) *non potuit gratius commendari, quàm vt ipſe vnicus Dei filius in ſe incommutabiliter manens, indueretur hominem, & ſpem dilectionis ſuæ daret hominibus, homine medio, qua ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longè erat immortalis à mortalibus, incommutabilis à commutabilibus, iuſtus ab impijs, beatus à miſeris.* Videte enim quanta erat inter Deum & hominem in maſſa peccati iacentem, longinquitas, quantum inter vtrumque chaos, quantã diſsimilitudo. Deus æternus erat beatus, iuſtus; Homo mortalis, miſer, impius: Deus incommutabilis; homo mutabilis: Deus ſummus; homo infimus: Hæc duo tam extrema, quomodo coniungi vnquam poſſent, niſi per aliquod medium; quod vtriuſque extremi eſſet quaſi particeps? Nam homo quidem ad Deum aſcendere non potuit: Deus ad hominem ſi in ſua maieſtate deſcenderet, obrueret, non iuuaret, opprimeret, non ſanaret, denique ab homine capi non poſſet. Medium ergo quærendum. Sed quod aliud medium, quàm *Verbum caro factum? Si enim*

Ibidem lib. 9. c. 15. *omnes homines quamdiu mortales ſunt, etiam miſeri ſint neceſſe eſt, quærenda eſt media quædam beata mortalitas*

talitas, quæ homines ex mortali miſeria, ad beatam immortalitatem interueniendo perducat. Hæc beata mortalitas, eſt verbum beatum, mortalis caro factum. *Mortalis quippe factus eſt, non infirmata verbi diuinitate, ſed carnis infirmitate, ſuſcepta. Mediatorem enim hunc inter Deum & hominem, & mortalitatem habere oportuit, (vt homines) tranſeuntem & beatitudinem* (vt Deus) *permanentem; vt per id quod tranſit, congrueret morituris, & ad id quod permanet, transferret ex mortuis.*

Porro vt huius mediatoris neceſſitas adhuc clarius intelligatur, conſiderandum eſt, quòd licet inter Deum & hominem, media quædam natura Angelica videatur, illa tamen mediationis huius officium ac munus admirabile, exequi non potuit. Angeli enim boni quidem, quum ipſimet beati ſint & immortales, inter Deum beatum & hominem miſerum, Deum immortalem & hominem mortalem, medij eſſe non poſſunt; Mali autem Angeli, etſi immortales quidem ſint vt boni Angeli, & miſeri vt nos, vnde medio quodam loco conſiſtere videntur, mediatores tamen niſi ad immortalem miſeriam, in qua ipſi verſantur, eſſe non poſſunt. Tales vero mediatores, hominem non liberant, ſed perdunt. *Sed his contrarius*, & contrarium effectum producens, *eſt mediator iſte noſter, verbum caro factum, qui aduerſus eorum immortalitatem & miſeriam, & mortalis eſſe ad tempus voluit; & beatus in æternitate perſiſtere, potuit.* Ex qua ſanè conſideratione Auditores,

Angelica natura mediationis officium exequi non potuit.

Auguſt. vbi ſupra.

noua nobis ſe offert eademque præclara & incundiſſima mediatoris huius noſtri quo *Verbum caro factum eſt*, contemplatio. Quemadmodum enim ideo ſe interpoſuit medius ille immortalis & miſer, diabolus videlicet, ſeque interponit quotidie, vt ab immortalitate beata, homines impediat & abducat; eoſque ad æternam & immortalem miſeriam pertrahat; ita mediator hic noſter mortalis & beatus, *Verbum caro factum* ſe interpoſuit, ideo talem ſe mediatorem fecit, ideo quum Deus eſſet, carnem ſuſcepit, vt per beatam hanc ſuam mortalitatem, beatos nos faciat & immortales. *Alius eſt ergo medius malus, qui ſeparauit amicos, alius medius bonus, qui reconciliauit inimicos.* Ille beatum iam hominem & immortalem creatum, ad miſeram mortalitatem, ſua fraude, impulit. Hic homines mortales & miſeros natos ad beatitudinem immortalem, ſua miſericordia perducit. Ille amicitiæ fœdus inter Deum &

Epheſ. 2. hominem, rupit. Hic *ſoluit inimicitia in carne ſua.* Ille denique quum amici eſſemus Deo, in paradiſo fæliciter conſtituti, à Deo abduxit, & à fælicitate ad miſeriam, fraudulenter illexit; hic quum inimici eſſemus Deo, *reconciliauit nos Deo,*

Epheſ. 2. *interficiens inimicitias in ſemetipſo*, & à miſeria ad fælicitatem, miſericors attraxit. Talis iſte, tantus, & tam congruens, mediator eſt. Hoc eſt illud medium verè aureum: *Verbum caro factum.* Hoc eſt illud ſingulare & admirabile compen-

Ibidem lib. 9. c. 15. dium, *quo beatus & beatificus Deus factus particeps*

humaæ-

humanitatis noſtræ, compendium nobis præbuit partici-pandæ diuinitatis ſuæ. Singulare medium, nobile compendium. Agnouerunt Platonici ignorantiam illam humanæ menti inſitam, & quę inde vitia oriuntur, per nullas τελετὰς ſeu θεουργίας purgari poſſe; ſed per ſolum τὸν πατρικὸν νοῦν id eſt, paternam mentem ſiue intellectum: *qui ſolus* (aiunt illi) *paternæ voluntatis eſt conſcius*, quem & filium Dei vocant. Hoc illi rationis vi inueſtigando, tandem animaduerterant. Quanto nos clarius fidei lumine videmus atque perſpicimus, vt *à vanitate illa ſenſus noſtri* liberaremur, in qua cum cæteris gentibus ambulauimus, *tenebris obſcuratum habentes intellectum, & alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ erat in nobis, propter cæcitatem cordis noſtri*, hoc filio Dei opus nobis fuiſſe, qui *luceret in tenebris, eſſetq́ lux mundi*; hanc ſapientiam patris neceſſariam fuiſſe, quæ *vt lux oriretur ſedentibus in tenebris & in regione vmbræ mortis?* Tunc autem orta eſt hæc lux, tunc lux iſta venit in mundũ, quando *verbum caro factum eſt*. Non quando in ſua maieſtate permanens à nobis longe diſſitus, permanſit; ſed quando infirmitatem noſtram aſſumens, *pax noſtra facta eſt, vt faceret vtraque vnum*. Etenim (vt ſcribit S. Leo) *in totius humani generis ſtrage illa communi, vnum ſolum fuit remedium ſub diuinæ rationis occulto, quod poſſet ſubuenire proſtratis, ſi aliquis filiorum Adam originalis præuaricationis alienus atque innocens, naſceretur, qui cæteris exemplo prodeſſet & merito. Sed quia hoc naturalis*

Ibidem lib. 10. c. 28

Ephes. 2.

Ioan. 1.

Luc. 2.

Serm. 8. de natiuitate.

lis generatio non ſinebat, Dominus Dauid, factus eſt filius Dauid, cui vera ineſſet diuinitas, ad meritorum gratiam, & vera humanitas, ad exempla virtutum. Niſi enim verus Deus eſſet, non afferret remedium, niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum. Itaque hæc noua rurſum cauſa eſt, Incarnationis filij Dei, vt non liberator ſolum eſſet ex merito, ſed etiam magiſter, exemplo. Propterea Auguſtinus. *Ad hoc* (inquit) *Deus hominem ſuſcepit in ſe, vt & nos Deum ſuſcipiamus in nobis.* Et alibi. *Deus* (inquit) *Dei filius, factus eſt filius hominis, non ſolum vt omnia patiendo pro nobis, à peccatorum nos vinculis liberaret, ſed etiam vt homo factus, exemplo ſuo ad virtutum exempla, nos accenderet.* Quanta autẽ dignatio, & ad hominem non ſolum ſanandum ſed & docendum, non alius quam ipſe Deus homo factus, Pædagogus ac magiſter eſſet? Ideo ſane Apoſtolus. *Apparuit* (inquit) *gratia Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, piè, & iuſtè, viuamus in hoc ſæculo.*

Idẽ Serm. 1 de Nat.

Incarnatus Dei Filius vt eſſet magiſter exẽplo.

Serm 17. de tẽpore.

Serm. 8.

Tit, 2.

Quæ quum ita ſint Auditores, quum hoc tam nouum, tam admirabile, tam ſalutare myſterium, operatus hodie Deus ſit; quum hodierno die recolere nos iubeat mater Eccleſia, nobiliſſimum illud & celebratiſſimum tempus, quo noua quadam & admirabili natiuitatis ſpecie, Deus ſic homini coniungitur, vt humanam planè naturam induat, & *verbum caro fiat*, quo Patriarcharum vota, Prophetarũ oracula, ſanctorũ omnium diuturna ſuſpiria complen-

complentur, quo denique gaudium cælo, ſa-
lus mundo, terror inferis exoritur. Quum hu-
ius myſterij cauſa ſit ſalus noſtra, eamque tam
admirabili modo Deus operatus fuerit, vt ad
nos ſanandos ipſe infirmari; ad nos docendos
ipſe magiſtrum agere; ad nos Deo reconciliá-
dos; ipſe Mediator fieri; Mediator tam admi-
rabilis, tam fortis, tam conueniens, tam ſuauis,
vt denique ad nos in libertatem aſſerendos,
cum hoſte noſtro legitimo certamine confli-
gere; nec eum (quod potuit) ſola potentia op-
primere voluerit, quid ſupereſt Auditores, niſi
vt hæc cogitantes, meditantes, & imis ſenſi-
bus reponentes; cognita beneficij magnitudi-
ne, & modo, amantiſſimo Saluatori ardentiſ-
ſimas his præſertim ferijs gratias rependamus:
eum & pijs votis collaudemus, & ſancto vitæ
inſtituto honoremus; ei nos totos (qui ſe to- Auguſt. Serm. 29. de tẽpore.
tum nobis dedit) reddamus. *Quàm grauis fuerit*
& quàm dura peccati noſtri conditio, prodidit remedij
huius magnitudo. Quàm incredibili nos amore
Deus proſequatur, clamat hodierna hæc cum
carne noſtra, arctiſſima Dei coniunctio. For-
tiſſimum enim eſt Apoſtoli Argumentum. Rom. 8.
Qui filium ſuum proprium nobis dedit, quomodo non
cum illo omnia nobis donauit? Hæc ergo illa hora
eſt, hic ille dies, hoc illud tempus, in quo
Chriſtiana pectora quãto verius Chriſtiana,
tanto ardentius in Chriſto exultare, tanto ala-
crius nato Chriſto gratulari, tanto vberius &
copioſius cum Chriſto noua creatura, nouus

homo fieri debeant. Hæc ſi fecerimus Auditores (quod vt faciat, ipſe Chriſtus concedat, concedet autem ſi vel optare ſeriò tantum bonum velimus) & huius ampliſſimi beneficij verè participes erimus, & hoc celeberrimum feſtum qua par eſt pietate celebrabimus, & hodierna Catecheſis fæliciter deſinet.

DE BEATISSIMÆ TRINITATIS MYSTERIO,

Oratio ad clerum Duaci habita in Feſto SS^mæ. Trinitatis.

QVOD hodierna celebritas (Auditores Chriſtiani) nobis commendat; quod Euangelium hodie in Eccleſia legi ſolitum clarè, verè, deprędicat, Beatiſſimæ & indiuiduæ Trinitatis cultum ſolennem, eius myſterium paucis aperire, breuibuſque veluti nobis delineare, & huic tempori & veſtris ingenijs ſatis conſentaneũ & accommodatum, duxi. Trinitatis feſtum recolimus; totaque Redemptoris noſtri œconomia ab Aduentu huc vſque, ab eius ſolennijs Natalitijs, ad Spiritus Sanctus miſſionem hactenus peracta, veluti à capite Religionis curſum de nouo ordientes, Deum trinum & vnum, hodie celebramus Nam & ideo prima Chriſtianorum initiatio ab indiuiduæ Trinitatis profeſſione, auſpicatur. Baptiſamur & in

Chriſti

Chriſti nomen ac fidem tranſimus omnes, *In nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*; quod in hodierno Chriſtus inſtituit Euangelio. Sanè vt intelligamus Trinitatis profeſſionem expreſſè atque explicitè ab omnibus iam eſſe tenendam. Tum vt opus ſalutis ac Redemptionis noſtrę, Trinitatis totius opus eſſe, indubitatè credamus, Tandem vt quemadmodum Chriſtiani hominis profeſſio, ab hac forma incipit, ſic omnes actiones noſtras conſequentes, ab eadem forma, *in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, exordium capere & auſpicari debere, compertum haberemus. Huius autem tanti myſterij altitudo, quæ nullis ingenij humani viribus, comprehendi poteſt, vnam numero diuinam eſſentiam in tribus diſtinctis perſonis ſubſiſtere, vt tres quidem numero perſonæ ſint, vnus autem numero Deus; his quidem hodierni Euangelij verbis, *Baptiſantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, luculenter exprimitur & euidenter manifeſtatur (trium quippe perſonarum vnum nomen, non nomina vnam vim, virtutem, ac poteſtatem apertè deſignant) ideoq; ab hoc primum tempore, explicitè credi cæpit. Aliæ quoque & Euangelicæ & Apoſtolicæ literæ perſpicuè ſatis idem myſterium in hac Euangelij luce diſtinctè credendum, manifeſtarunt. Ait in Euangelio ad ſuos Chriſtus. *Ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Tres hic perſonæ luculenter demonſtrantur; Pater

Matth. 28.

Auguſt. de Trinit. lib. 13. cap. 11.

Auguſt. cō-tra maximinū Ar. lib. 3. c. 22.

Ioan. 15.

à quo Spiritus S. & mittitur & procedit. Filius qui eundem Spiritum Sanctum mittit, à quo etiam propterea procedit. Ipſe denique Spiritus S. miſſus atque procedens. Nec minus perſpicuè Apoſtolus Paulus. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei Patris, & communicatio Sancti Spiritus, ſit ſemper cum omnibus vobis.* Quis non videt tres perſonas in eadem Deitatis paritate, enumerari? Quæ enim Chriſti gratia eſt, bonorum omnium principium & fons, eadem Dei Patris charitas, & Spiritus Sancti communicatio, eſt. Sed adhuc apertius, ſi quid apertius ſcribi potuit, ſcripſit B. Ioannes. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater & verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt:* quod illuſtre teſtimonium ex codicibus Græcis, veteres Ariani impiè ac nefariè eraſerunt, teſte [a] D. Hieronymo. Nam & antè illorum tempora apud [b] Cyprianum, [c] Higinium Papam, alioſque vetuſtiores Patres, illa apud Ioannem verba leguntur.

2. Cor vlt.

1. Ioan. 5.

a In prologo epiſt. Canon. ad Euſtoch.
b Lib. de vnitat. eccl.
c. Epiſt. Decret.

Sed quid? An in ſolis Euãgelicis & Apoſtolicis literis myſterij huius teſtimonia inueniũtur? Ita quidẽ plurimorũ opinio habet. Sed ad maiorem aut certè ad magis delectabilem huius myſterij fidẽ, alia quatuor veluti teſtimonia ob oculos veſtros (Auditores) ponam, quibus ad conſolationem & inſtructionem noſtram maiorem, hoc myſteriũ nobis commendare Deus voluit. Primum in ipſis rerũ naturis pene dixerim omnibus huius myſterij veſti-

Diſtributio 1.

veſtigiũ apparet. Tum Philoſophi & Poetæ 2.
gentium aliquam eius notitiam habuerunt. 3.
Scriptura vetus, varijs in locis idẽ ſignificauit. 4.
Tandem Theologi, per varias rerum ſimilitudines eius cognitionem illuſtrarunt. Quæ quatuor dum breuiter inſinuo potius quàm demonſtro, diligenter quæſo quod facitis, attendite.

Quod ad primũ attinet, quocumque oculos conuertas, ternarius in vnitate numerus, occurrit. In omni rerum natura compoſita eſt materia, forma & motus. In omni artis opere, eſt natura, Doctrina, vſus; natura ingenio, Doctrina ſcientia, vſus fructu diiudicatur. In omni morũ actione duo ſunt extrema & vnũ medium. Omnis virtus, omne vitium, vel in cogitatione, vel in verbo, vel in opere, cõſiſtit.

Triniltatum enumeratio

1. In natura compoſita.

2 In artis opere.

3 In morũ actione.

Sed vt ſingula examinemus, ſiue noſtram ipſorum, ſiue aliam quamcumque animatam aut inanimatam naturam ſpectes, omnia ternario perfici conſpicies. In vnoquoque noſtrum ſi animi facultates numeras, tres vides; rationalem, concupiſcibilem, iraſcibilem: ſi actiones itidem, tres; vel facere, vel cogitare, vel loqui. Vt autem faciamus, neceſſariũ eſſe vt ſciamus, poſſimus, velimus. In cogitatione porro tria ſunt: motus, delectatio, conſenſus. In loquela ſimiliter tria, conceptus, vox, & verbum. Si corpus hoc noſtrum ſpectas, tria vides: exterius quidem, oſſa, carnem, & cutem; interius verò, ſanguinẽ, bilem, phlegma

4. Animi facultates

5 Actiones internæ & externæ.

6 Corporis externa & interna.

quibus

quibus quaſi conſiſtit. Rurſum venas, arterias, neruos, quibus ſingula per meatus ſuos vel diſtribuuntur, vel diffunduntur, vel coniunguntur. Tria quoque vitalia: cor, hepar, & pulmones. Tres corporis ſitus; ſtare, ſedere, iacere. Tres dimenſiones, longum, latum, profundum; Tres motus, augmentatio, alteratio, & motus ad locum. Hic etiam niſi triplex, ſurſum, deorſum, circularis. Aliæ verò res animatæ ſed ſenſitiuæ, ad tria genera reducuntur, volucres cæli, piſces maris, & pecora terræ. Ipſa quoque pecora terræ, vel ſunt quadrupedia, vel reptilia, vel inſecta. Res inanimatæ, ſed viuentes vita vegetatiua, ad tria quoque reducuntur, ad arbores, plantas, & mineralia. In arbore eſt, radix, truncus, & ramus. In Trunco eſt, lignum, medulla, cortex. Ipſe cortex triplici tunica externa, intima, & media, coaleſcit. Ramus quoque tria germina habet; folia, flores, & fructus. In fructibus tria conſpiciuntur, putamen, caro, & ſeminum receptaculum. Fructuum quoque tria ſunt genera, poma, pruna & nuces.

7 Res animatæ ſenſitiuæ.

8. Res inanimatæ ſed viuentes.

Quod ſi ad vniuerſam naturæ Machinam reſpicias, videbis ſummum illum opificem, *omnia in menſura, numero, & pondere, diſpoſuiſſe*, vt ſcriptura docet: omnia ſecundum veritatem, & iudicium, & iuſtitiam, gubernare. Numerat ſuprema, ponderat media, menſurat infima. Suprema in tribus hierarchijs, & in ter tribus Angelorum ordinibus: Item in tribus cælis, empy-

9. Mundi maclina.

Sap. 11.

10 Suprema.

empijreo, criſtallino, ſtellato: atque adeo in ter tribus circulis ſeu orbibus cæleſtibus, ex quibus ſeptem occupant ſingulæ planetæ, octauum ſtellæ fixæ, nouum & ſupremũ quod criſtallinum dicitur, quo ab oriente in occidentem tendens, reliquos omnes ſecũ trahit. Media in tribus meteoris, exhalationibus, nubibus, ventis. Infima in aquis, in terra, in animantibus. Rurſum in menſura eſt qualitas, in numero quantitas, in pondere ratio. Sed & omnis numerus, aut ſimplex eſt, aut par, aut impar. Omnis menſura habet principiũ, medium, & finem. Omne pondus, trutina, bilance, perpendiculo, examinatur. 11. Media. 12. Infima.

Iam ſi à natura ad politiam humanã te conuertas, triplex eſt reſpub. Monarchia, Ariſtocratia, Democratia. In ipſo regno, Rex, optimates, populus. Item prouinciæ, ciuitates, pagi. In vnaquaque familia, vir, vxor, & proles. In ædificijs, fundamentum, paries, & tectum. In vnoquoque artificio, artifex, ars, & inſtrumentum. Dies me deficeret, ſi omnia & ſingula commemorarem, & quomodo in natura, in arte, in moribus, omnia triplici funiculo fortiſſimè conſtringantur, oſtenderem. 13. Politia humana.

Nam vt de moribus pauca dicamus, tres ſunt virtutes Theologicę, quibus piętas Chriſtiana perficitur, *fides, ſpes, charitas.* Ex fide, pietatem in Deũ; ex charitate, iuſtitiam erga proximos, ex ſpe, ſobrietatem in nobis ipſis, exercemus. Sic iuxta Apoſtolum, *ſobrie, pie & iuſte viuimus* 14 Pietatis opera & adiuncta. 1. Cor. 13. Titum. 2.

in hoc

in hoc ſæculo; multiplicari videlicet iuxta pſalmiſtam hoc triplici *fructu, frumenti, vini, & olei.*
Pſal. 4. Rurſum tres animæ hoſtes, Mundus, caro, dæmonium: tres peccati fontes, *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ.* Tria peccati remedia; Ieiunium, oratio eleemoſyna. Tres gradus fidelium, incipientes, proficientes, perfecti: Circa quos tria Chriſtus operatur, illuminat, purgat, perficit, quia triplici modo agit, *vt via, veritas & vita*; via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio. Denique quum tria ſint quę curari debent, externa ſeu bona, ſeu mala, id quod circa nos eſt vt corpus, id quod ſumus vt anima; tres ſunt perfectæ curationis partes, voluntaria paupertas, votiua caſtitas, obedientia abſoluta. Ita totius pietatis Chriſtianæ & fundamentum & progreſſus & perfectio, ternario continetur.

Iac. 1. Tob. 12. Ioan. 14.

33. Religionis cultus. Quid quod & in ſacramentis ipſis totoque religionis cultu, omnia quodammodo ternarijs perficiuntur? In templo tria videmus: nauem, chorum, altare; vt olim atrium, tabernaculum, ſancta ſanctorum. Sanè D. Cyprianus docet, *in ſacramento Trinitatis obſeruari in templis Chriſtianorum, horam Orationis, tertiam, ſextam, & nonam.* Omne ſacramentum tribus perficitur, materia, forma, miniſtro. In omni ſacramento tria ſunt. Signũ, res ſignata, effectus rei. Quod ſi ſingula ſacramenta percurras, in baptiſmo tres perſonæ neceſſario concurrunt; Is qui bapti-

In Serm. de orat. Dominica.

baptiſat, is qui baptiſatur, & patrinus. In confirmatione tria ſunt. Manuũ impoſitio, oleũ, balſamum. Penitentia tres habet partes, Contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem. In venerab. Euchariſtia tria ad ſacramentũ ſunt neceſſaria, panis, vinum, & aqua. Matrimonij triplex eſt bonũ, fides, proles, ſacramentum. Sacri ordines maiores non niſi tres ſunt, Preſbiteratus, Diaconatus & Subdiaconatus. Sed & in extrema vnctione tria reperiũtur, Oratio Eccleſię, oleũ, & vnctio. Iam verò in ſacrificio tria conſpiciuntur; Is qui offert, is cui offertur, & id quod offertur. Sacerdos, victima, Deus. Actus quoque ſacrificalis in tribus con ſummatur: in conſecratione, oblatione, manducatione. Poſtremò, ad religionis vſum pertinet Trinitas illa de qua B. Ioãnes dicit. *Tres ſunt qui teſtimoniũ dant in terra; aqua, ſanguis, & ſpiritus: & hi tres vnum ſunt*, ſiue cum Auguſtino intelligas, *tria quæ de corpore Domini in cruce exiuerunt, aquam & ſanguinem de latere, & ſpiritum quem moriẽs emiſit*, ſiue cum Ambroſio, per aquã baptiſmũ, per ſanguinẽ eum quo redempti ſumus & per ſpiritum ſanctificationem interiorem. 1. Ioan. 5. Contra maximinũ lib. 3. c. 22. De Spiritu Sanct. lib. 3 cap. 11.

Quis ergo non videt ſiue naturam, ſiue artem, ſiue diuina, ſiue humana, ſiue cæleſtia, ſiue terrena, ſiue mores. Denique ſiue religionem ſpectes, omnia ternarijs ſubſiſtere, conſici, conſummari; ideoq; Deũ, etſi non tanquã trinus, ſed tanquã vnus, omnia creauerit & diſpoſuerit (vnde colligunt ſcholaſtici ex rebus

creatis

creatis Trinitatem cognoſci non poſſe, ſicut Deum eſſe vnum ex eiſdem cognoſcitur) tamen in ipſa rerum creatione & diſpoſitione, ipſius quoque Trinitatis non obſcura vt videtis, veſtigia reliquiſſe, ipſam Trinitatem diligentiſſimè commendaſſet: his adde in Iuramento quo Deus colitur, tria requiri, *Iudicium, iuſtitiam, & veritatem.* Nam & tribus verbis in cælo Beati Deum venerantur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; inceſſanter clamando. Sed & inter numeros, ſenarius perfectiſſimus à Theologis ac Philoſophis habetur, quia primus omniũ ſuis partibus triplici quodam modo perficitur, & completur: ſexta videlicet parte, quæ eſt vnũ, & tertia parte, quę ſunt duo, & dimidia parte, quæ ſunt tria. Vnum enim & duo atque tria, ſex efficiunt. Quare & ſex dieru mnumero, veluti hoc nomine perfectiſſimo, omnium rerum creationem Deum compleuiſſe, & ipſum vniuerſum, tribus veluti rerum generibus Deum conſinuaſſe, obſeruarunt. Naturam quippe fecit Deus, partim incorpoream, qualis eſt Angelica; partim corpoream, partim vtriuſque participem, qualis eſt humana. Vnde & Pythagorei hunc ſenarium numerum, eo quòd ſit fęcundiſſimus, *Connubium* appellarunt. Sed vt in ſimplici ternario maneamus, ſublimaria omnia quæ meteora Philoſophi vocant, tribus locis continẽtur; Supremo cælo, media aeris regione, & infimo hoc orbe, terris & aquis proximo. Nam & in ipſo aere medio

Auguſt. de Gen. ad lit. lib. 4. cap. 1 & ſeqq. de Ciuit. Dei lib. 11. c. 30

dio tria generantur, exhalationes, nubes, venti. Et vt ad magis particularia veniamus, nec ſol ſine tribus lucet, radijs, ſplendore, calore; nec focus, ſine tribus ardet, ligno, flamma, igne; nec ſuum qualecumque lumen ſine tribus lampas emittit, vaſe, oleo, flamma. Et vt de ciuili ac communi vita aliquid dicamus, tum ipſa Iuris prudentia, tribus veluti præceptis conſtat, *Honeſte viuere, neminem lædere, ſuum cuique tribuere*; tum praxis ipſa iuridica abſque tribus nulla eſt, Actore, reo, Iudice. Sed ſatius eſt, vt huic enumerationi finem imponam, ne minus diluta in tam ſublimi myſterio conſectari videar. Ego vero Dei prouidentiã ſæpius miratus ſui, qui Trinitatis in vnitate tam varia, tam perſpicua, in tam multis rerum generibus, veſtigia impreſſa relinquere, & hominum oculis ſubijcere, voluit.

Ad alia nunc pergamus, & quid Philoſophi & Poetæ gentium de hac Trinitate in Diuinis perſpexerint, & cognouerint, breuiter annotemus. Pythagorici in tribus poſuerunt perfectionem rerum: In principio, medio, & fine. Apud Platonem omnia terna ſunt. *Bonum, mens, Anima mundi*, id eſt, Spiritus qui ferebatur ſuper aquas. Triplex opus primarium. Mundus intelligibilis ſeu archetypus, & exemplaris, Mundus ſenſibilis quem incolimus (quæ duo à græcis & barbaris agnita fuiſſe, ex Clemente Stromatum 6. meminit Euſebius) Microcoſmus ſeu paruus mundus, velutique

Philoſophorũ de Trinitate placita.

In Timæo.

De præparat. Euang. lib 11 c. 12.

totius compendium, homo. Deniq; tria apud eum principia: *Deus opifex, Materia rerum, Idea.* Quid quod ad ipſam in Diuinis Trinitatem

De Ciuit. Dei lib. 11. cap. 25.

propius acceſſit? (*Platoni* (ait Auguſt.) *neque naturarũ omniũ author niſi Deus viſus eſt; neq; intelligentiæ dator niſi Deus: neque amoris, quo benè beateque viuitur inſpirator, niſi Deus.* Vides hic Patrem & filiũ & Spiritũ S. Eius autẽ Diſcipuli adhuc clarius.

Ibidem lib 10. c. 29

Porphyrius (ait Auguſtinus) *prædicauit Patrem & eius filium, quem vocat mentem, & horum medium; quem putamus eum dicere Spiritum Sanctum.* Certè Plotinus, alter inſignis Platonicus, ſcripſit librum *de tribus hypoſtaſibus*: ſuper quem commentarios ſcribens Marſilius ficinus, ſic ex eo Trinitatem in diuinis explicat.

Lib. 6. cap. 3. in Plotinum.

In diuina natura, qua ratione infinita eſt, motus cum ſtatu, quies cum progreſſione, lux cum calore, concurrunt, & rem eandem conſtituunt. Nam ſi fingas infinitam velocitatem, res ſolues in ſtatum. Virtus quoque infinita omnia ſibi vniens, in ſe vnit, & inuicem. Hæc ille, ex Platonicorum mente. Auguſtinus quoque Eugubinus

De perenni philoſophia lib. 1. c. 16.

ex eodem Plotino clarius adhuc agnitę cuiuſdam Trinitatis in vnitate, teſtimonium profert *Deſiderat* (inquit) *omne quod gignit id quod gignitur, & hoc amat: maximè quum ſoli fuerint gignens & genitum. Quum autem optimum eſt quod gignit, neceſſariò eſt ei coniunctum quod gignitur, vt ſola alteratione ſeparentur.* Hæc ille ponens in diuinis ſolius alterationis diſtinctionem, vt gignens à genito alter non aliud ſit, iuxta veram theologiam: vt non ſit planè improbabile, Philoſophos

phos veteres ac meliores cognouiſſe non ſolùm attributa eſſentialia, quæ perſonis Diuinis appropriantur (vt vult S. Thomas) ſed etiam perſonarum diſtinctionem: non quidem ex naturæ lumine (quòd ſolùm ibi D Thomas meritò impugnat) ſed ex doctrina Ægyptiorum, qui illa ab Hebræis hauſerant. Ab Ægyptys enim ſacerdotibus, plurima Philoſophi græci didicerunt, vt de ſeipſo Plato commemorat in Timæo, & de Thalete, Solone, Pythagora, Heraclitô Epheſio, alijſque refert Diogenes Laertius. Quare vt in creatione mundi & Angelorum quos ab æterno factos Platonici opinabantur, poſuerunt non temporis ſed ſubſtitutionis initium; ſicut ſi pes ab æterno eſſet, ſemper ei ſubeſſet veſtigiū, quod à calcante factum æternum quidem eſſet, non tamen quaſi alterum prius altero foret, ſed quòd alterum ab altero eſſet, vt de illis ſcribit Auguſtinus; ſic de generatione & proceſſione in diuinis, philoſophari potuerunt; ſolam alterationis diſtinctionem in vnitate naturę ponentes, vt fecit Plotinus vnius Dei aſſertor. Certè Triſmegiſti Mercurij Ægyptij ſacerdotis antiquiſſimi, celebris illa ſententia eſt. *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit amorem.* Quod etſi D. Thomas loco iam citato de productione vnius mundi per vnū Deum, propter ſui ipſius amorem exponit, tamen S. Antonius grauiſſimus Theologus, de Trinitate dictum, indicat. Nam & apud Suidam

Tho. 1. p. q. 32. art. 1. ad 1.

De vitis philoſoph. lib. 1. 8. & 9

De Ciuit. Dei lib. 10. cap. 31.

Summæ Theolog. par. 4. tit. 16

idem Triſmegiſtus ſic apertè de trino & vno Deo, loquitur Θεὸς ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς νοὸς φωτεινός. καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ τὸ τούτου ἑνότης. καὶ πνεῦμα πάντα περιέχον. id eſt. Hic Deus erat lumen intellectuale, in lumine intellectuali; & ſemper erat mens mentis luminoſa, & nihil aliud erat quam horum vnitas, & Spiritus omnia continens. Moxque inuocat ibidem Triſmegiſtus Patrem, verbum ingenitum, & Spiritum omnia continentem. Quid quòd nec ille naturæ filius Ariſtoteles huius Trinitatis prorſus ignarus, aut magiſtri ſui Platonis penitus oblitus fuiſſe, videtur? Nam preterquam quod tria omnium rerum ponit principia, non ſolum phyſica abſolutè ſed etiã metaphyſica analogicè, Materiam, formam, priuationem, accuratè præterea tribus quaſi rationibus, probare contendit, *Tria eſſe omnia. Magnitudinis* (inquit) *ea quidem quæ ad vnum eſt diuiſibilis, linea eſt, ea verò quæ ad Duo, ſuperficies. At ea quæ ad tria eſt corpus: Atque præter has nulla alia prorſus eſt magnitudo, propterea quod ipſa tria omnia ſunt*: καὶ τὸ τρὶς πάντῃ: & ipſum ter omnia ex parte diuiſibile. Quod ſtatim tribus modis probat; à Pythagoricorum traditione, à ſacrificiorum ritibus, & à communi modo loquẽdi. *Nam vt Pythagorici etiam inquiunt, ipſum omne ac omnia tribus ſunt definita: finis enim medium atque principium, ipſius omnis aut totius numerum habent: eademque ternarij*: Nempe τὸ πᾶν vniuerſum vt tribus literis conſtat, ita tribus illis partibus abſol-

Suidas in verbo ἕρμης.

De cælo lib. 1. cap. 1

abſoluitur *Quare hoc ternario à natura ſumpto, & veluti ex quadam naturæ lege, in Deorum ſacrificijs celebrandis, eodem vtimur.* Tandem non priùs totũ dicimus, quàm ternarium habeamus. *Duos enim ambos dicimus, atque vtroſque non omnes.* Hæc ille. Omne videlicet continuum & omne perfectum, tunc demum huiuſmodi eſt, vbi ternũ eſſe cœpit: omneque totum eſt vt minimum ternum. Denique vt poſtea addit, τὸ τριχῆ διαιρετὸν πάντῃ διαιρετόν ἐστι. Quod in tres partes diuidi poteſt, id omnino diuiſibile eſt. Quod autem de ſacrificijs Ariſtoteles dixit, celebris apud eos Poeta confirmat.

> Ἐς τρὶς ἀποσπένδω καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ. Theocrit. εἰδυλλ. β.
> *Vſque ter hæc libo, terque hac ſacra verba refundo.*

Quem vt in alijs multis ſecutus latinus Poeta, ſic cecinit.

> *Terna tibi hæc primum triplici diuerſa colore* Virgil. eglog. 8.
> *Licia circundo, terque hæc altaria circum*
> *Effigiem duco: Numero Deus impare gaudet.*

Cæterum antiquiſſimum, ex prophana ſapiẽtia Trinitatis elogium eſt, illud Serapidis in Ægypto reſponſum tempore belli Troiani, id eſt, eo tempore quo Iephte erat Iudex in Iſrael, conſulente Rege Thule (Thuonem Euſebius vocat) & rogante quis illo beatior eſſet. Sic enim ei reſponſum eſt.

> Πρῶτα Θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ Πνεῦμα σὺν αὐτοῖς. Ludou. vives in ſchol. in Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 10. c. 22
> Σύμφυτα δὴ τρία: πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα.
> *Principio Deus eſt; tum Sermo: & Spiritus iſtis*
> *Additur. Aequæua hæc ſunt & tendentia in vnum.*

 Niſi

Niſi fortè non idoli Serapidis ſed Ioſephi Patriarchę (quem Iulius Maternus veram Serapidem fuiſſe in lib. de errore profanæ religionis ſcribit) oraculum fuerit. Atque hæc de Trinitate in Diuinis, ſeruata vnitate (nam illa Deorum multitudo melioribus Philoſophis non niſi fabuloſa ſemper reputata eſt, vt latę oſtendit Iuſtinus Martyr, vnde Pythagoras Athenis exulat, Socrates cicutam bibit, Anaxagoras capite plectitur, quia vnum Deum docuerunt, teſte D.[a] Hieronymo ac B.[b] Auguſtino) ex gentium philoſophis, qui non ex naturę lumine, ſed ex Ægyptiorum Doctrina ab Hebræis accepta, aliquam huius tanti myſterij ſcintillam acceperunt, pauca delibaſſe ſufficiat.

Jul. Mater. cap. 14.

Περὶ τῆς μοναρχίας

a Ad Paulinum.
b De Ciuit. Dei lib. 8. cap. 9.

Ad veteres nunc diuinas Scripturas, oculos conuertamus. In illis quippe non pauca occurrunt loca, quæ Trinitatem perſonarum in vnitate ſubſtantiæ diuinæ manifeſtè docent, non quidem ſic vt Iudæos adhuc incredulos euidenter conuincat (quo ſolo ſenſu negauit Abulenſis myſterium Trinitatis ex veteri Teſtamento efficaciter probari poſſe) ita tamen vt velamine incredulitatis ſublato, quibuſuis id manifeſtum faciant: Nec etiam ſic vt integrè & explicitè hoc myſterium tunc creditum fuerit (vt rectè docet Origenes) ita tamen vt ſapientes & ſpirituales Hebræorum, hoc myſterium prorſus non ignorauerint, ex quorum videlicet vel libris, vel doctrina &

Tract. de Trinit.

Homil. 3. in Ioſue.

maximè

maximè à Ioſepho Patriarcha, qui *Principes Pharaonis erudiuit ſicut ſemetipſum & ſenes eius prudentiam docuit*, Ægyptij ſacerdotes hoc didicerunt, & ab Ægyptijs aliarum gentium philoſophi, vt iam dictum eſt. Huiuſmodi loca illuſtria hæc ſunt. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Hic enim habes Dominum patrem, Verbum filium, & Spiritum verbi, qui & à patre procedit. Item illud Eſaiæ *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Sed & rurſum in Dauide, *Deus Deorum Dominus locutus eſt*: לא אלהים יהוה: vbi gloſſator Hæbręus dicit, ideo ter nominari Deum, *quia Deus in tribus proprietatibus creauit ſeculum*, vt ex eo recitat Nicolaus de Lyra, in libello contra Iudæos, & Marſilius ficinus in libro de religione Chriſtiana, vbi & alias veteres ſcripturas ad hoc propoſitum tractat. Sanè D. Auguſtinus propter has & alias veteres Scripturas, ſic ait. *Audi & diſce Ariane hanc magnam & vnicam Trinitatem, ab exordio generis humani fuiſſe oſtenſam.* Hæc ille. Quid quod ipſum Dei nomen veteri populo reuelatum, ſic vnius Dei eſſentiam ſimpliciſſimam denotat, vt etiam perſonarum Trinitaté inſinuet? יהוה nouem Tetragrammaton tres tantùm literas habet diuerſas, etſi quatuor literis conſtet. Secunda enim litera ה duplicatur, ſiue quia ſecunda in Diuinis perſona, ab æterno duas habet relationes, vnam reſpectu patris vt genitus, alteram reſpectu Spiritus Sancti vt ſpirator, ſiue

Pſal. 104.
Pſal. 32.
Eſai. 6.
Pſal. 49.
Cap. 31.
Serm. 1. de verb Apoſt

etiam quia in tempore duas naturas ab humani generis redemptione, habere debuit. Sed & Chaldęi illud nomen Tetragrammaton tri-
† ײ plici iodim exprimunt † ſic vt primum & tertium recta linea ſtent, ſecundum ſeu medium non nihil eleuatum ſit, quaſi caput & verticem crucifixi exprimunt, quia in omni benedictione hac forma vti debemus. Deinde quia hæc vnam ſimpliciſſimam naturam habent, ideo vno ſimplici camets ſubſternuntur & pronunciantur. *Iai.* Iod, denique principium ſignificat: quia Pater principiũ; Filius principium, & Spiritus S. principium; non niſi tamen vnum principium, vna voce prolatum. Atque ex Scripturis iſta.

Longum nunc eſſet Theologicas Trinitatis huius explicationes in hunc locum afferre, quarum plærique fortè Auditores, capaces non eſſent. Sed ipſo Sanctorũ Patrum exemplo populariter agemus, & rerum creatarum ſimilitudines quibus illa hanc in Trinitate vnitatem illuſtrarunt, proferemus. *Damus* (ait
De verb. Dom ſer. 38. Auguſt.) *aliquas ſimilitudines, non vnde hoc tantum myſterium capiatur, ſed vnde infideles refellantur & fides corroboretur.* Debet nempe ante omnia fides præcedere intellectum, vt ſit intellectus, fidei præmium. *Niſi enim credideritis, non intelligetis,* ait Propheta: & Petrus, *Fide purificans corda eorũ.*
Eſai. 7. Act. 15. *Alij omnes* (ait Auguſtinus) *vt pagani & hæretici, ideò cor clauſum habent, quia fidei lumen non habent. Nos autem fide præcedente quæ ſanat oculum cordis*

noſtri,

noſtri quod intelligimus ſine obſcuritate capiamus, quod non intelligimus ſine dubitatione credamus. Hæc ille. Quemadmodum enim ratio corrigit ſenſum (verbi gratia in ſole, quod ſenſus dicit vnius palmi menſura contineri, ratio docet magnitudine ſuæ terræ mariſque globum ſuperare, neque enim cum Heraclito Epheſio delirabit quiſpiam, dicens eam eſſe ſolis menſuram quæ oculis videtur) ita fides corrigit rationẽ, vt quod illa capere non poteſt, hęc certiſſimo aſſenſu, teneat. Sed nunc ad Patrum ſimilitudines veniamus. Legimus in actis. *Credentium erat cor vnum & anima vna. Ecce* (ait Auguſtinus) *tot millia erant & erant vna anima: ſed vbi? In Deo: & quanto magis ipſe Deus? Si accedentes ad Deum, multæ animæ per charitatem vna anima eſt, & multa corda, vnum cor, nonne quum in Patre & filio eſt Spiritus S. fons charitatis, multo magis eſt ibi Trinitas, vnus Deus?* Hæc ille. Rurſum alibi *Conſidera* (inquit) *mentem humanam, quæ vna & ſimpliciſſima quum ſit, tres tamen habet operationes ad ſe inuicem relatas, perpetuò connexas, æquales, & in ſingulis, ſingulas. Meus enim meminit ſui, & intelligit ſe, & diligit ſe.* Habes tres operationes. *Nec meminimus, niſi quæ intelligimus. Nec diligimus, niſi quæ & meminimus & intelligimus.* Vides connexionem ſingularum. Vide iam quomodo ad inuicem referantur, atque æquales ſint non ſolum ſingulæ ſingulis, ſed etiam ſingulæ, omnibus. *Memini enim me habere memoriam & intelligentiam & voluntatem. Intelligo me intelligere, velle & meminiſſe. Volo me velle & meminiſſe*

Act. 4.

De verb. Do. ſer. 38.

De Trinit. lib 14. cap. 7. 8 & 11.

miniſſe & intelligere. Iam verò vt etiam ſingula in ſingulis tota ſunt, aduerte. *Quicquid memini intelligo & volo. Quicquid intelligo idem me intelligere intelligo memini & volo. Quicquid volo intelligo & memini me velle.* Huc accedit, quod hæc omnia & ſingula in mente ipſa ſunt, non per accidēs, ſed eſſentialiter, eſtque in iſtis tribus potentijs & earum operationibus, intrinſecus vna mentis eſſentia, quæ tota operatur in ſingulis. Eſt ergo hoc totum Trinitas quædam illuſtris, vt meritò propterea Tertullianus Praxeam hæreticum & Trinitatem perſonarum in eſſentiæ vnitate negantem, ad hanc ſui ipſius conſiderationem, hortetur: Non tamen Deus eſt hæc trinitas, ſed imago & ſimilitudo Dei, ad quam facti ſinguli ſumus, nec talis Trinitas, qualis in Deo. Nec enim hæc tria in mente tres perſonas conſtituunt, nec opera eorum extrinſecus ſunt indiuiſa, ſed proprias functiones habent; non diuerſas tantum, ſed ita, vt altera alteri imperet, & altera alteram iuuet. Nam memoria ſuppeditat intellectui, voluntas mouet intellectum, intellectus dirigit voluntatem. Nulla tamen in rebus creatis ad Trinitatem in Diuinis, ſimilitudo propius accedit.

Lib. contra Praxeam cap. 5.

Non eſt quidem inelegans quod Marſilius ficinus in Commentarijs ſuper Dioniſij Areopagitæ librum de Trinitate, ſiue de myſtica Theologia, protulit. *Finge* (inquit) *ex intima luce quæ viget in centro ſolis, tria lumina intrinſecus emicare, pri-*

Marſil. ficinus.

re, primum per altitudinem ſolis diffundi, ſecundum per latitudnem dilatari, tertium profunda penitus occupare: ex primo ſecundum, ex ſecundo cum primo tertium originem ducere, eſſe inuicem coniuncta & pariter diſtincta. Sic in Deo vno & trino, ſe res habet. Tria quædam beneficia lumina ſic emicant, vt extrinſecus non proſiliant. Hæc quidem ille non ineleganter fingit. Sed rotundius & ſine fictione D. Auguſtinus. *Videmus* (inquit) *in cælo ſolem currentem, fulgentem, calentem. Videmus eius motum, ſplendorem, calorem. Diuide ſi potes Ariane ſolem, & tum demum diuide Trinitatem.* Sed & ignis tria habet nec diuidi poteſt: motum, lucem & feruorem. *Rurſum* (ait idem Auguſtinus) *de fonte interrogati, non poſſumus dicere quod ipſe eſt fluuius; nec de fluuio interrogati, quod ipſe ſit fons, nec denique potionem eius poſſumus dicere, vel fontem vel fluuium eſſe. Tamen in hac Trinitate aquam nominamus: & omnia aqua ſunt.* Sic in arbore radix, robur, & rami, tria ſunt diſtincta, nec de ſe inuicem prædicari poſſunt, omnia tamen vnum lignũ conſtituunt, non tria. In vna citharæ muſica, tria adeſſe videntur; ars, manus, & chorda. Tria operantur, ſed vnus eſt muſicę ſonus qui auditur. Alias adhuc ſimilitudines de Iride, de oculo, de catena, de tribus ſolibus, de toto corpore & ſingulis ſenſibus, videat qui volet apud [a] Gregorium Nazanzenum, apud [b] Baſilium, & apud S. [c] Auguſtinum. Habetis indubitatæ ac firmiſſimæ fidei noſtræ circa Indiuiduæ Trinitatis myſterium, quatuor veluti

De verbis Apoſtoli. Serm. 1.

De fide & Symbolo cap. 9.

a Ad Euagrium de diuinitate.
b Epiſt. 43.
c De Trini. lib. 11.

luti teſtimonia; non niſi ad conſolationem noſtram in medium prolata, vt intelligamus nihil abſurdum aut incredibile eſſe, ſed varijs atque illuſtribus teſtimonijs commendari, quòd toto infidelium mundo repugnante, vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate piè veneramur, conſtanter profitemur, ac firmiſſimè credimus.

ADVERSVS BACCHANALIA IN CAPITE IEIVNII.

Oratio Catechetica in Dominica Quinquageſimæ Duaci habita.

ANnimvs erat (Auditores) & eò diſputationis huius Catecheticæ ordo nos inuitabat, vt abſolutis duobus primis Eccleſiæ præceptis, tertium quod de ieiunijs eſt, hodie auſpicaremur. Quin & id nos hodie facturos ſub calce poſtremæ catecheſeos, me dixiſſe memini. Verũ iſtud me his diebus prȩteritis meditantem, ac conantem quædam ſanè, vt mihi videbatur neceſſitas retraxit, ac ad aliud argumentum (ſi tamen aliud ac non planè ei quod agimus, affiné ac cognatũ) pertractandum commouit, quaſique iniecta manu ac nequicquam reluctante, compulit. Sic enim mihi illa non leuiter ac tacitè inſuſurrare, ſed aperto & pertinaci clamore obtundere ac dicere, viſa eſt.

Quid

Quid tu hodierno die quem lætitiarum, conuiuiorum, tripudiorum, ac bacchanalium eſſe vides, de ieiunio importunè diſputas? An neſcis hodie & cras & perendie hilarem omnes ſumpturos diem, frontem exporrigere, cutẽ diligenter curare, ventri indulgere, Denique Cereri & Baccho ſacra facere? Non vides mẽſarum apparatores, cupediarum architectos, pocillatores, coquos, ſurſum ad deorſum curſitare, rerum ſuarum ſatagere, artis nunc ſuæ exquiſitiſſima ſecreta aperire, omneſque curandæ cuticulæ, modos curioſiſſimè ſcrutari, inuenire, exequi? Aut non audis paſſim per compita & vicos, cijthara lijraque canentium variũ melos, omnes accurrere, omnes applaudere? vt quid ergo in medijs his delicijs, tanquam inter epulas, conuiua triſtis, triſte ieiunium prædicas, & venis ante tempus torquere nos? An neſcis tempus eſſe lapides colligendi, & tempus ſpargendi, tempus flendi & tempus ridendi, tempus plangẽdi & tempus ſaltandi? Ieiunium hoc ergo tuum ſuo tempori, reſerua. Hodie autem aut prorſus tace, noſque noſtris delicijs tantiſpèr relinque, aut ſi libet dicere, illud age potius, vt in his deliciis modum teneamus, vt non cum vulgo inſaniamus, vt denique ad futurum ieiunium, commodius nos ac conſultius præparemus. De his quæ vocantur *bacchanalibus*, aliquid èdiſcere, & an Chriſtianis hominibus vel appropinquanti iam ieiunio conueniant, doce.

Hoc

Hoc huic tempori magis idoneum, hoc Catechetici muneris plane proprium, Hoc denique ad futuram de ieiunio diſputationem, maxime conueniens videtur. Nam nunc quidem quid fiat vides, & quam propriè ad Catechiſtem publicum ſpectet, publica peneque approbata mala publicè arguere non ignoras; & iſta bacchanalia, an ad ieiunium cõmodam viam ſternant, à te tibi propoſita nihil alienũ; quin ei plane coniunctiſſimum eſſe, facile intelligis. Noli ergo committere, vt vel præſentis temporis, vt officij tui, vel cauſæ ipſis rationem nullam habuiſſe videaris. Sed ad quod tempus inuitat, officium impellit, coniunctio cauſæ plurimum monet, id imprimis facito: Hæc illa, facileque quod voluit impetrauit, quum nihil mihi prius & antiquius ſit, quam in hac profeſſione mea, & importunum Auditoribus non eſſe, & officio ſatisfacere, & ea quę cauſæ coniuncta ſunt non prætermittere. Itaque de Ieiunio ab Eccleſia præcepto, ita ſequentibus Dominicis ac feſtis diſputabimus, vt prius quod hodie, quod hodierno inquã die præpoſterè à plæriſque fieri, & deprauatiſſima conſuetudine obtinere cernimus, illud quam à Chriſtiani nominis pietate ac religione alienum, quàm futuro mox iam iamque imminente Ieiunio hoc facere, abſurdum, turpe, & indignum ſit, oſtendamus.

Vos Auditores, æquis quæſo & attentis

adeſte auribus, rationique potiùs ac pietati, quam conſuetudini hac in re, auſcultate. Neque enim quod exemplo fit, id iure fit: Et quis neſcit, *viam quæ ad perditionem ducit, latam eſſe, amplam & ſpatioſam, plurimoſque ac penè omnes in ea ambulare, portam autem qua ad ſalutem itur, anguſtam eſſe & perpaucos intrare per eam?* Itaque nihil nos conſuetudo moueat, quæ pœnam quidem illa peccati auget, grauiuſque Dei indignationem prouocat, peccantem autem nihil excuſat; ſed ad id quod ratio, quod pietas ſuadet, vt homines, vt Chriſtiani, attendamus. Certè ſi homines ſumus, rationis & Naturæ ductum ſequemur; ſi Chriſtiani pietatis & Religionis normam obſeruabimus. Conſuetudo autem & mos populi Dei, magnam illa quidem vim habent, *& inſtituta maiorum* (ait Auguſtinus) *pro lege tenenda ſunt*, ſed in ijs demum rebus vt idem Doctor prouidentiſſimè adiecit, *quæ nec contra fidem ſunt, nec contra bonos mores.* Hæc itaque ingurgitandi his diebus conſuetudo, quum & pietati aduerſetur, & ab omni ratione aliena ſit, & contra bonos mores apertiſſimè militet, deflenda magis & arguenda, quàm in exemplum trahenda eſt.

Matth. 7.

Epiſt. 119.

Sed ad rem nunc ipſam veniamus, & hanc præpoſteram conſuetudinem & rationi & pietati aduerſari, luculenter demonſtremus.

Ne autem quis me hic iniquoirē exiſtimet, nimiſque importunum & rigidum cenſorem, videte quid hoc triduo infirmioribus tribui

poſſe tutò exiſtimem. Non omnem penitus hilaritatem interdictam velim. Nec cum Aerianis aut Manichæis aut etiam Euſtathianis præpoſtera & intempeſtiua ieiunia, *tanquam quæ continentiæ conuenire iudicentur*, vllo modo approbauerim, vt videlicet, cęteris manducantibus alij abſtineant, ac manducantes aut iudicent, aut ſpernant. Verum vt paulò hilarius ſolito fideles ſe mutuò excipiant, vt conuiuentur liberalius, vt recreentur iucundius, infirmitati hominum tribuendum & condonandum, putauerim. Qui luſibus quoque & iocis hoc triduum dicauerit, ſi moderatè & honeſtè id fiat; ſine luxu, ſine turpitudine; me certè reprehenſorem, non habebit. Quid eſt ergo quod reprehendimus? Sanè quod ſemper reprehendi debet, quod nunquam licet; nunc autem maiore reprehenſione eſt dignũ, & nunc minus licet. Crapulam, ebrietatem, in cibo potuque, alijſque rebus omnibus luxũ reprehendimus, & hoc potiſſimum tempore, maximè reprehendendũ putamus. Hic enim eſt error, quo plerique hodie laborant. Crapulam, inquiunt, & ebrietatem à culpa non liberamus. Sed his diebus, hoc bacchanalium tempore, eam venia dignam exiſtimamus. Ego contrà aſſero. hoc potiſſimum tempore eam & rationi & pietati, maximè aduerſari: & ſemper quidem culpam eſſe, hoc autem tempore, grauiſſimi criminis loco cenſeri. Paradoxum hoc (inquis) & ne veriſimile quidem

Cōc Gāgr. Can. 18.

quod

quod dicis. At vanus ſim, niſi veriſſimum hoc eſſe, omninoque ita ſe rem habere, multis & grauiſſimis argumentis, demonſtrauero. Huc ades ergo, quiſquis minus peccari putas, ſi crapulæ his diebus & ebrietati indulgeas. Luxus in cap te ieiuni crimẽ maximum.

Primùm facit hæc tua præcedens crapula & ebrietas, vt ſubſequẽs mox ieiunium, triſte ſit tibi, ingratum & odioſum. Memor enim heſternarum dapum, & illa iucunditate allectus, inuitus hodie & dolens ieiunas; Nec cuiquam gratum eſſe ieiunium poteſt, quem gula oblectat. Vt enim continentia etiam laudata grauis eſt libidini dedi o, ita ieiunia voracibus moleſtiſſima ſunt. Quis enim Neroni pudicitiam, aut Sardanapalo temperantiam, facilè perſuaſiſſet? At ingratum & triſtè ieiunium nullum eſt. *Hilarem datorem diligit Deus.* Hypocritę ieiunium triſte eſt, fidelis autem, lętum & alacre. Filij noui Teſtamenti ſumus. Non timore, ſed amore ducimur. Vt ergo libenter ieiunes, ne præcedat crapula aut ebrietas. Pulchrè Baſilius. *Hos ieiunij dies, tanquam veteres nutricios lubentes & bilares excipiamus, per quos Eccleſia nos ad pietatem educat.* Proinde ieiunaturus, noli triſtis eſſe Iudęorum exemplo, ſed iuxta doctrinam Euangelicam, teipſum hilarem & alacrem præbe: neque lugeas ventris inediam, ſed animæ potius gratulare ſpiritualibus epulis, fruenti. Fit autem vt qui libenter epulatur, lugeat ventris inediam, doleat præſens ieiunium, præteritas exoptet dapes.

1. Ieiunium reddit triſte & ingratum.

2. Cor. 9.

Homil. 2. de laudib. ieiunij.

Matth. 6.

2. Ieiunium reddit difficile.

Porrò facit præcedens crapula, vt difficile & laborioſum fit ieiunium. Quemadmodum enim nemo repente fit turpiſſimus, ita nec ſanctiſſimus: nec ab vno extremo in aliud, niſi per media tranſitur. Onuſtus iam vino ac cibo, ineptus planè ad ieiunium factus es. Verū enim ieiunium, orationem, caſtitatem, cęteraſque virtutes, adiunctas habet. De his verò ne meditari quidem potes, crapula diſtentus. Libidinem magis & ea quæ carnis ſunt cogitas. *In vino enim eſt luxuria*, ait Apoſtolus. Cras ergo ieiunaturus, orationibus ac lachrymis peccata diluturus, hodie te crapula diſtendis? hodie vino venas accendis? *Vinum & adoleſcentia* (ait Hieronymus) *duplex incendium eſt. Quid oleum flammæ adijcimus? Quid ardenti corpuſculo, fomenta ignium ſubminiſtramus?* Facis ergo difficilius quod per ſe ſatis difficile innata carnis corruptio, fecit. *Ieiunium & precatio* (ait Baſilius) *non intrabunt in animam temulentia marcidam.* Sic & Auguſtinus. *Mens repleta torpeſcit, & irrigata nimis corporis noſtri terra, ſpinas libidinum germinabit.* Quanta ergo dementia eſt vt cras & perendie dimicaturus, hodie te mutiles, vulneres, prorſuſque ad dimicandum, ineptum reddas? Qui in domandis equis ad certamen & agonem paratis ſint peritiſſimi, quum inſtar certaminis dies eos inedia pręparant. Tu contrà ſtudio temetipſum reddis ſaturitate obeſum. Rurſus quæ inſania vt pharmacum cras accepturus, hodie morbum augeas? Planè ſic agunt,

Epheſ. 5.

De cuſtodia virginit. ad Euſtoch.

Vbi ſuprà.

Serm. 56. de temp.

agunt, qui inſtante ieiunio crapula & ebrietate ſe ingurgitant. Pulchrè Chryſoſtomus. *Si medici Pharmaca dare volentes, vt putridum & corruptum humorem expurgent, à corporali hac voluptate abſtinere præcipiunt, temperanterque agere, ne minus pharmaca operentur, neue obſtaculum aliquod futuræ operationi detur; multò magis nobis ſpirituale hoc remedium, id eſt ieiunium ſuſcepturis tenuitate victus noſtram mentem expurgare & leuiorem reddere conuenit, vt ne ebrietate demerſa, difficilem quæ ex ieiunio fit, curationem admittat.* Ne ergo difficilius planeque onus quod ferri non poſſet, ieiunium fiat, vel hoc ſaltem nomine à luxu & crapula, cauebis. Homil 1. in Geneſ.

Quid? quod ſic diſtentus & refertus, ad ieiunium accedens, quod à cibis temperas, non ieiunium, ſed neceſſaria & medicinalis abſtinentia eſt? Vix enim heſternam crapulam edormiſti: Adhuc vinum eructas, & fortaſſe in ipſa Eccleſia, in conſpectu Angelorum, in præſentia Saluatoris tui, vbi ructare turpe eſſet, fruſtis tuis eſculentis vinum redolentibus, & ſinum tuum & totam Eccleſiam homo prophanus impleſti. Tu hoc ieiunium appellitas, quod totus ſatur, plura non ingurgitas? At medicus ſi hoc faceres, te planè deſereret, ac de tua ſalute conclamatum diceret, teque tui homicidam pronunciaret. Virtutem vocas quod neceſſitatis eſt? aut meritum expectas, vbi non volens ſed coactus facis? Pulchrè Hieronymus. *Secularis homo in quadrageſima ven-* 3 Vertit ieiunium in abſtinentiã medicinalẽ. In epiſt. ad Lætam.

 tris

tris ingluuiem decoquit, & in cochlearum morem ſucco victitans ſuo, futuris dapibus ac ſaginæ aqualiculum parat. Hi videlicet, non in ieiunio meritum ſed in abſtinentia ſanitatem quærunt, corporis bono non animi virtute, ſanctitatem metientes. Non eſt ergo ieiunium, quod crapula præceſſit.

4 Omni priuat mercede.

Huc accedit, quod crapulæ & ebrietati ſuccedit ieiunium, vt pœna peccati, non vt præmium virtutis. Nam vt verè ac legitimè ieiunes poſt crapulam (quod tamen tibi difficillimum erit) non id tibi in meritum aut præmium cædet, ſed in iuſtam præcedentis peccati pœnam; non lucrum erit accreſcens, ſed damnum ceſſans. Sic autem præcipit Eccleſia ieiunium, vt diues meritis, glorioſum paſcha & lætum celebres. Tu ſic ieiunias, vt vix præcedentis intemperantiæ debito perſoluto, miſer ac egenus, egrè ad Paſchæ conuiuium admittaris. Monet idcirco ſerio D. Baſilius. *Athleta* (inquit) *antè certamen exercetur. Ieiunator ad ieiunandum temperantia præparatur, ne velut vlciſcens ieiunij dies veniat, & in pœnam vertatur, quod præmij loco propoſitum fuit:* Nempe prius ebrius, quicquid poſtea feceris, in pœnam ſtultiſſimæ ebrietatis ſubſtinebis: virtutis præmium nullum reportabis. Ita perit tibi totus ieiunij tui fructus, & pœnæ non præmij, locum habet.

Homil. 1. de laudib. ieiunij.

5. Ieiunium reddit pharisaicum & gentilitiū.

Quinimo vt planè quod res eſt dicam, non inutile tantum, vanum atque ridiculum, ſed etiam

etiam Phariſaicum & gentilitium facit ieiunium, præcedens illa & affectata ingurgitatio, & gaſtrimargia, Quid enim? tu ne in potu ſimplici, in atro pane ac arido halece, totaque illa ξηροφαγία conſiſtere ieiunium putas, quale Eccleſia Chriſti præcipit, quale Deo gratum eſt? *Non eſt hoc ieiunium quod elegi, ait Dominus, hominem per diem affligere animam ſuam, aut in circulo contorquere caput ſuum.* Sed (vt poſtea latiùs diſputabimus) animo à prauis ac vitioſis affectibus puro, Deo ſeruire, corpus quidem in ſeruitutem redigere, ſed ita, vt animus liberior fiat, puriuſque ac ſincerius Deo vacet. *Verum ieiunium eſt, ab omnibus vitijs eſſe alienum,* ait Baſilius & poſt eum Ambroſius. Tu verò heſterna crapula adhuc diſtentus, vinoque inflatus, nihil minus quam de Deo cogitare potes, ſed cum Gnatonibus illis quorum te ſectatorem, profiteris, animus tibi in patinis erit, tua pocula ſomniabis, & an æquales tibi hauſtus pridie redditi fuerint, id in Eccleſia poſtridie meditaberis. Audi ſi placet Chryſoſt. *Quamprimum* (inquit) *mens vinolentia fuerit obruta, ſtatim & in ipſo initio vtilitas totaque à ieiunio eſt, repellitur. Quid enim inſuauius, quid item turpius, quam vſque ad mediam noctem meracum ſorbere, ſub auroram deinde vinum quaſi recens ingeſtum, adhuc ſpirare.* Audi quoque Baſilium. *Satietas, laſciuiæ initium eſt. Protinus enim vnà cum delicijs, ebrietate & conditis bellarijs, irrumpit omnis forma intemperantiæ.* Homil. I. in Geneſin. Homil. I. de laudib. ieiunij.

 Quomo-

Quomodo ergo ad temperãtiam, modeſtiam, pietatem, te moreſque tuos compones, ita delicijs corruptus & pręoccupatus? Qui longinquam profectionem adornant, componunt ſarcinas, & commeatum parant, omnia neceſſaria conquirunt. Tu contra longam ac ſanctam Quadrageſimam peracturus, omnia diſſipas, profundis, perdis, hoſtem permittis munimenta omnia præoccupare. Imo te illi captiuum tradis, vt quum ieiunij dies venerit, nihil minus quàm ieiunare valeas, vt velis maximè. *Sicut enim fumus abigit apes, ita dona ſpiritualia fugat luxus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras, quæ conuentio Chriſti cum Belial?* Sic nec ieiunio cum luxu vlla affinitas, vlla ſocietas.

2. Cor. 6.

6. Summa rei ab urditas.

Vide obſecro, quam ſit incongruum, quam parum conueniens: & audi pręcor Baſilium illum magnum. *Ne te* (inquit) *ad ieiunij myſterium introducat ebrietas. Non eſt per temulen. iam aditus ad ieiunium, quemadmodùm nec ad iuſtitiam iter eſt per fraudationem, nec ad ſobrietatem per laſciuiam, nec vt ſummatim dicam, per malitiam ad virtutem. Aliud oſtium eſt ad ieiunium. Ebrietas ad laſciuiam inducit, ad ieiunium, frugilitas.* Frugilitate ergo ac moderatione, ad ieiunium viam para, non luxu & ingluuie. Vide autem ſummam rei dementiam. *Nemo pudicam vxorem legitimè ducturus, antè ſcorta & concubinas inducit in ædes. Neque enim coniunx legitima, tale patitur contubernium.* Sed qui de matrimonio cogitat, caſtum ſe ab

Ybi ſuprá.

Idem homil. 2.

ſe ab omni concubitú cuſtodit, & thoro legitimo ſe reſeruat. Sic dum exſpectatur ieiuniũ, cur prius introducis ebrietatem, quæ publicum quoddam ſcortum eſt, quæ impudentiæ eſt mater, quæ riſu diffluit, quæ inſanit, quę ad omnem turpitudinis ſpeciem facilis præceps ac procliuis eſt? Quàm eſt hoc turpe, quam abſonum & abſurdum? Imitare potius (quod monet te Chryſoſtomus) ſapientum & bonorum virorum exempla, *qui caſtam & ingenuam ſponſam ducturi, Thālamis vndique tapetibus ornatis, domoque tota purgata, & ingreſſu omnibus inhoneſtis ancillis interdicto, in cubiculum illam introducunt. Sic omnino purificata priùs mente, valeque delicijs & voracitati dicto, Ieiunium pudicitiæ matrem, omniumque virtutum magiſtram, expanſis & obuijs vlnis ſuſcipito.* Hæc ad ieiunium via eſt, hic ad tale ſacrarium aditus, hę ad futurum iuſtũ certamen, velitationes. Quod ſi inebriari & bacchari libet, à ieiunantium numero arcebit te Baſilius, *In viro,* inquit, *te ordine collocabo? inter ebrios an inter ieiunantes? Præterita vinolentia te ſibi aſſerit. Præſens inedia ieiunium clamat. Anceps es & controuerſum temulentiæ veluti mancipium. Nec illa abs te manuum iniectionem abſtinebit, idque optimo iure; quippe quæ manifeſta ſeruitutis argumenta proferat, odorem vini in ſtomacho tuo velut in lagena reſidentem.* Oculi præterea tument rubore ſuffuſi; palleſcũt ora ex indigeſta crapula, Caput vertiginem patitur; omnia tibi circunferri, omnia circumuolui videntur: propter inſomnem

Homil. 1. in Geneſ.

Homil. 2.

noctem, crebrius oſcitas, turpius eructas, vina & fumos turpiſſimè exhalas. Ebrietas enim & crapula, vt ſomnum adferunt vigilanti ſimilem, irrequietum, vagum, ita vigiliam habent ſomnijs adſimilem; totum corpus nutare & tremere, neque pes, neque manus, officium facere. Sic ergo affectus, quomodo inter ieiunos conſiſtere audes? aut qua fronte ieiunium profiteris? Vides opinor, quam iſta non conueniant, quàm turpe, quàm incongruum, mox ieiunaturo, crapulâ ſe prius obruere.

7. Argumẽtum eſt hominis Epicurei. At inquis, valedicturus delicijs, ieiuniumq; longum & ſtrictum obſeruaturus, frui illis liberalius tantiſper potero, ſine graui opinor piaculo. De piaculo mox plura. Sed finge piaculum nullum. Finge id licere, finge vt conſuetudinem, ita iura & leges in hac parte tibi ſuffragari. Demus hoc tibi, quod tamen dari nullo modo debet. At non vides, quam hic te prodas intemperantem, abiectum, ſeruilem, planeque voluptatum & gulæ mancipium? Cutem inquis, tantiſper curabo dum licet. Quum autem ieiunium aduenerit, cum cæteris ieiunabo. Quid hoc eſt obſecro, aliud, quàm ſic ſi dicas? Ego ſanè ſi per Eccleſiam liceret, nunquam ieiunarem, perpetuo ventri ac delicijs indulgerem, manducarem ac biberem ad ſaturitatem vſque: quod rurſum perinde eſt ac ſi diceres; ego non Chriſti ouis, ſed Epicuri de grege porcus eſſe velim. Epicureum planè ſeruile & Iudaícum eſt, non niſi

lege

lege & præcepto coactum, temperantiæ ſtudere. Vilis eſt & abiecti animi, voluptatique ac gulæ dediti, non niſi cogente publico ieiunio, de temperantia cogitare. Itaque vt hic nullum periculum ſubeſſet, aduentante ieiunio, ita ventri & abdomini ſeruire, ſuum tamen arguit Epicureum, Iudæum, Phariſæum, eum deniq; cuius Deus venter eſt. Meus autem Chriſtianus & fidelis non hanc ſibi tam grauem inuri notam patietur, propter tam breuis temporis, & vt ſic dicam, voluptatulæ vſuram. Execratur eos Propheta Amos, qui *bibentes defæcatum vinum & primis vnguentis vncti, tanquam ſtantia hæc arbitrati ſunt, non tanquam fugientia.* Quibus in verbis oſtendit Propheta (ait Chryſoſtomus) *quòd gutturis & labiorum tenus eſt illa fruitio, quæ in cibis ac potibus fit, nec vltra progreditur? Deliciarum enim voluptates nondum rectè aduenerunt, & dicto citius, auolarunt. Venter conciliator eſt peſſimæ fidei, penu incuſtoditum, in quod quum multa repoſueris, noxam quidem retinet, at non ſeruat, depoſita. Quicquid infundis in pertuſum hauris dolium.* Quæ ergo mala dementia, propter vnius aut alterius diei, quid diei dico, imo horæ, breuiſſimam & fugaciſſimam voluptatem, intemperati, ebrij, Helluonis, Phariſæi, Epicurei, notã atque infamiam ſubire? Sed hæc te fortaſſis omnia minus mouerint, Nec intemperantiæ nota, nec præſentis ingurgitationis cũ futuro mox ieiunio, incongrua & turpis coniunctio, nec ipſius ieiunij prop-

Amos 6.

Homil. 1. in Geneſ.

Baſilius homil. 2.

ter præcedentem crapulam minor fructus, maior difficultas, nullum planè præmium aut meritum, hæc inquam te omnia à cupedijs & poculis tuis abarcere fortaſſe & reuocare nequeunt.

8. Legis Authori fucũ & fraudem facit.

At iſtud opinor quod nunc dicam commonere te debet, ſi vllus ſaltem aut humanus ſenſus, aut Dei timor, tuo adhuc pectori inſideat. Quid enim? Non hoc cogitas, non iſtuc intelligis, te tua hac intempeſtiua intemperantia, fucum facere legis Authori? eius gratiam ac fauorem, qui tibi in futuro ieiunio eſt pluſquam neceſſarius, penitus excludere atque repellere? eius denique iram ac indignationem iuſtiſſimam erga teipſum prouocare? O miſerum te ſi hæc te omnia facere intelligis, miſeriorem verò ſi non intelligis. At faxo vt facilè intelligas. Tu verò quum intellexeris, noli quæſo negligere. Fucum & fraudem facis legi, legiſque Authori, tum Deo tum Eccleſiæ, quiſquis cras ieiunaturus, hodie es ebrius. Non enim ideo precepit vel Deus vel Eccleſia ieiunium, vt prius inebriemur. Non ideo iubet cras temperare à licitis, vt hodie illicita committas. Nec denique ideo ad bona & meliora inuitat, vt mala interea ac peſſima facias. Quæ igitur hæc intempeſtiua & præpoſtera inſania? Iubes vt cras ieiunem; hodie inebriabor, quod idem eſt ac ſi diceres; Iubes vt cras ſplendidè veſtitus procedam, hodie me cæno ac luto totum inuoluam. Iubes vt

cras

cras tibi ſingulare aliquod obſequiũ præſtem, hodie te prorſus negabo & execrabor. Iubes vt cras ſolito diligentius te colam & obſeruem; hodie omne officium, omnem curam ac diligentiam prætermittam. Iubes denique vt craſtino die amicum me ac filium oſtendam; hodie me inimicum præbebo & hoſtem capitalem. Quantò magis optaret legiſlator vt nunquam ieiunares, quam vt ſic ad ieiunium accederes? ſemperque potius licita & honeſta faceres, ſemper moderatè comederes, quàm ſemel à licitis abſtinendo, tam illicita propterea fœda ac turpia perpetrare? Nempe ad maius noſtrum bonum, ad illuſtrius meritũ, ad præmij & laudis incrementũ, præcepit hoc ieiunium Eccleſia. Tu contrà materiam hoc facis maioris mali, grauius peccas, & atrocioribus te flagitijs contaminas. Vides ergo opinor & intelligis, te fucum & fraudem facere legi, legiſque Authori, qui ieiunare iuſſus, crapulę te & ebrietati prius immergis.

Iam vero quam tu miſerè omnem à te diuinam opem & gratiam repellis, quę tibi in hoc ieiunio tuo eſt pluſquã neceſſaria? Quid? aut ita deſipis vt abſque ſingulari numinis fauore, tantum tam prolixi ieiunij ſtadium percurrere te poſſe putes, aut ita planè inſanis, vt crapula ac ebrietate diſtentas, vllam à propitio numine gratiam ac fauorem expectes? Pulchrè te docet Baſilius. *Hodiernus* (inquit) *dies veſtibulum eſt ieiunij, quo profectò in veſtibulo* 9. Dei gratiam à ſe repellit. Homil. 2. de ieiunio.

qui

qui prophanatur, indignus eſt qui ad ſancta introeat. Nullus ſeruus cupiens ſuo hero reconciliari, hoſtem illius patronum ac reconciliatorem adhibet. Ebrietas inimica eſt Deo. Ieiunium pœnitentiæ initium eſt. Itaque ſi cupis per confeſsionem reuerti ad Deum, fuge temulentiam, ne magis etiam abs te Deum alienet. Et rurſum in priori homilia. *An ignoras quem es hoſpitio excepturus? Nimirum illum qui dixit. Ego & pater veniemus & apud eum manſionem faciemus. Cur igitur prius recipis temulentiam, ac Domino ingreſſum præcludis? Neſcis verò quod Spiritus S. effugiet fictum, & non habitabit in corpore ſubdito peccatis?* Vide ergo quantum tibi malum creas, in quas te anguſtias & miſerias conijcis, qui propter vnius aut alterius diei leuiſſimam voluptatem, quadraginta dierum perdis ampliſſimos fructus; venientem ad te Chriſtum repellis: Spiritũ S. excludis: Quis inuitato hoſpiti, iamq; aduentanti fores occludat? At tu qui cras ieiunium profiteris & hodie inebriaris, inuitaſti Chriſtum, iamque tuis foribus imminentẽ, tibiq; proximum, ſceleratiſſimè & turpiſſimè tua hac ebrietate & crapula, repellis. Taménue placet tibi tua crapula, placent pocula? nec Chriſtum pro foribus ſtantem, intromittis? O dementiam ſingularem.

Quid? quod non à te repellis tantũ venientem Chriſtum, eiuſque ampliſſimis beneficijs ac donis, in hoc ſacro ieiunio conferẽdis cares ſed & grauiſſimam eius præterea, eandemque iuſtiſſimam indignationẽ ac iram prouocas?

10. Dei irã prouocat.

Nun-

Nunquid enim non audiuiſti, quod *ebrij Regnũ Dei non poſſidebunt*? Quos autẽ regno excludit, eis iuſtiſſimè ſuccenſet. Vide ergo quid agas. Cras aut perendie ieiunabis, maximaque illa quæ à ritè ieiunantibus conferuntur præmia, à Deo expectabis: hodie verò luxu diffluis, & *intempeſtiua tua ac inutili intemperantia* (ait Chryſoſtimus) *Diuinam indignationem prouocas*. Quod perinde eſt ac ſi cras beneficiũ ingens ab amico accepturus, hodie eũ mille iniurijs obruas. Quo quid nõ abſurdius tantũ & ineptius, ſed iniquius etiam & ſceleratius, fieri potuit.

Homil. 1. in Geneſ.

At inquis, in ipſo capite ieiunij me expiabo; & hanc qualemcũque labem factã ex homologeſi mox purgabo; & ſic demũ ad id quod conſequitur ieiunium, me ritè comparabo. Itane verò, quia bonus & miſericors Deus eſt, vt facilè pænitẽti noxam remittat, tu propterea impius eſſe non deſinis, & criminum tuorum cumulum auges? Aut quia, præſentem habes qui inde te extrahat, ideo in foueam cades? Aut cum perfidis Iudæis iterum dices? *manebimus in peccato vt gratia abundet, & faciamus mala vt proueniant bona?* Vnde verò tibi conſtat, aut craſtinum tibi ad pænitentiam ſuperfuturum, aut eo veniente, gratiam tibi ritè ac legitimè pænitendi affuturam? Memineris obſecro quod Auguſtinus dicit. *Verum quidem dicis, quod conuerſioni tuæ Deus indulgentiam promiſit, ſed huic præſumptioni ac dilationi tuæ diem craſtinum non promiſit*: Sed eſto, te expiaueris, & præ-

11. Præſumptio periculoſa.

Rom 3.&6

Enarr. in Pſal 144.

& præter omne meritum tuum, Deo reconciliatus fueris. An pari te loco eſſe exiſtimas, ac illi ſunt qui tali expiamento opus non habuerint? qui ab ebrietate, à crapula, ſe puros cuſtodierint? qui extra ieiunium temperantiæ & ſobrietatis limites non egreſſi fuerint? Toto cælo erras, hoc ſi exiſtimas. Tibi quidem pænitenti non imputatur quod impiè perpetraſti. Pœna ſcelerum à te non repoſcitur. Sed iſtos præmia virtutum manent; Copioſior his gratia affulget. Tu porrò etiam illa labe tua deterſa, non omnes tamen ſordes eluiſti: manent mali relliquiæ, tardior & pigrior ad omne opus bonum, factus es. Illi verò ſumma alacritate ac hilaritate curſum conſummant, admirabili nitore refulgent; Angelis denique ſimiles ſunt, & filij Dei. tu vix ſerui ordinem tenes & hominum loco conſiſtis. Quantò ergo ſatius eſſet ab omni planè crapula ac ebrietate quàm diligentiſſimè, his præſertim diebus cauere, nec indignationem Diuinam, in articulo tam neceſſario, temerè & arroganter prouocare? Facilis enim (ſi verſibus hîc in re ſeria ludere liceat) *deſcenſus Auerni* [*ſed reuocare gradum ſuperaſque aſcendere ad auras*] [*hoc opus hic labor eſt: Pauci quos æquus amauit*] *omnipotens; potuere iſtud. Ne crede periclis*]. [*Neue tua aduerſus temerè des vela procellis.*]

12. Primus ieiunij dies perijt.

Accedit his omnibus malis, etiam iſtud, quòd hæc ita iuxtà præcedens temulentia, vt toti ieiuntio non officiat, ad primum profectò

fectò ieiunij Diem prorſus te inutilem reddit. *Perit tibi prorſus primus ieiunij dies* (ait Baſilius) *ob temulentiæ reliquias in te repoſitas. Quorum autem primitiæ reijciuntur, haud dubium quin in his totum ſit reiiciendum.* Vide ergo ne dum data opera, primitiarum fructum amittis, in veſtibulo impingis, & Caput ieiunij temerè violas, totum etiam quod conſequitur, inutile tibi efficiatur, vbique offendas, & in nulla ieiunij parte officium facias. Certè ſi Ambroſium audis, quem ſi Catholicus es, audire non recuſabis, perhorreſces ſat ſcio, attentiſſimeque præcauebis, vel vnius huius diei iacturam. Sic enim ſcribit. *Qui conſtitutum quadraginta dierum numerũ, vna die manducãdo præterit, non vt vnius diei violator accuſatur, ſed vt totius quadrageſimæ tranſgreſſor, arguitur.* Vide ergo: per heſternam temulentiam, perijt tibi primus ieiunij dies, ait Baſilius: Pereunte vno die totius quadrageſimæ tranſgreſſor factus es, ait Ambroſius. Quid conſequitur, niſi vt heſterna crapula, totius te quadrageſimæ violatorẽ conſtituat, & vna intempeſtiua intemperantia, totum ieiunium violet? Tamenue horum vt vocas Bacchanalium crapulas, ebrietates, exceſſus, culpa vacare, aut venia dignas, aut leuius tolerandas exiſtimabis? Non ſic opinor. Chriſtianus quiſpiam, non ſic fidelis deſipiet.

Homil. 1. de laudib. ieiunij.

Serm. 36.

At fert hunc morem Eccleſia, permittunt Paſtores, conniuent Prælati; Si tanti periculi aut criminis res eſſet cuiuſmodi tu nobis eam

Eccleſia cur non caſtigat.

eſſe

eſſe deſcribis, vigilaret hîc Eccleſię diſciplina, non ceſſaret cenſura. Reſpondeo, & hoc reſponſi, vt diligenter aduertas, oro. Verbis enim non meis, ſed Auguſtini reſpondebo, eiſdem ſanè quibus ille olim Manichæis reſpondendum putauit, ebrietates Chriſtianorum ad ſepulchra martyrum arguentibus. *Aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus: Aliud quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus tolerare compellimur. Alia eſt diſciplina Chriſtianorum, alia eſt luxuria vinolentorũ;* Hæc ille. Sit ergo pars & hæreditas noſtra (Auditores) in diſciplina Chriſtianorum, non in luxuria vinolentorum. Faciamus id quod Eccleſia monet, docet, iubet. Non committamus id quod Eccleſia quum poteſt, emendat; quùm nõ poteſt, tolerat. Nec enim quod illa tolerat, Deus impunitum patitur, qui *tribuit vnicuique ſecundum propria, prout geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum.* Denique vt cum Baſilij verbis concludam, hoc eodem vt videtur tempore ac die, à luxu & temulentia Cappadoces ſuos dehortantis, *vehementer opto & præcor vt & triduum hoc capiti ieiunij ſimile ſit quod ad ſobrietatem attinet, & caput ieiunii huic triduo æquale ſit, quod ad hilaritatem ſpectat.* Vt videlicet nec in iſto triduo intemperantes, nec in illo die triſtes inueniamur, Donante, D. N. Ieſu Chriſto.

Contra Fauſtũ lib. 20. cap. 21.

Homil. 1. de laud. ieiun. in fine.

CON-

CONTRA SIMONIACOS.

Oratio Catechetica Duaci habita.

PEccatorum naturas & momenta cognoſcere (Auditores) etſi vtile atque interdum neceſſarium ſit, parum id mihi tamen nec admodum ex re eſſe ſemper viſum fuit, niſi eorum pariter turpitudo propriaq; indignitas comperta etiam & explorata haberetur. Imò neſcire interdum quibus & quot modis in aliquo vitij genere peccetur, profuerit fortaſſe magis quàm obfuerit, & prudens potius fœlixque contra peccatum cautela quàm damnanda & reprehendenda peccati ignorantia, videri poſſit. Nam ideo qui ætate adhuc & ingenio pueri ſunt, nulla certius cautela à peccatis arcentur, quam vt peccata neſciant. Idcirco monet parentes Sapiens, *vt non oſtendant hilarem faciem ad filias ſuas*, docens eos, nullam laſciuiæ ſpeciem inſpectantibus liberis præſe ferre, & innocentem ætatem peccata quę neſciunt, non docere. Et ſanè apud pios animos & caſta pectora, ipſa peccatorum deſcriptio, commemoratio, explicatio, ſæpe non ſine periculo, ſemper cum aliquo faſtidio, fieri ſolet. Corruptis autem & coinquinatis oblectamento magis quàm documento, huiuſmodi tractatio non raro fit. At verò ſcelerum grauitatam perſequi Eccl. 17.

ſequi, turpitudinem peccatorũ demonſtrare, facti indignitatem, malique enormitatem copiosè aperire; & pios ac bonos egregie confirmat, mirè delectat, fructuosè docet, & improbos maleque affectos, ſalubriter terret, atque ad meliorem mentem ac ſaniora conſilia, fæliciter reuocat. Quare vt in cæteris peccatis hactenus fecimus, quæ cæleſtis hic Decalogus proffigari præcipit, ita in Simonię ſcelere agendum video; tantò ſanè grauius & accuratius, quantò iſtud peccatum cęteris eſt vſitatius, pernicioſius, turpius. Nec enim de tam familiari & manifeſto peccato tacere, nec de tam turpi ſcelere breuiter dicere, nec de tam pernicioſo flagitio, leuiter tractare debui. Niſi fortè in paucorũ peccatis oculatos & lynceos curioſos & acutos eſſe oporteat, in publicis autem flagitijs talpæ & cæci, trunci & muti eſſe velimus: aut modica peccata magnis lateribus arguere, horrenda facinora extremis digitis attingere, boni & cordati Catechiſtæ officium putetur. Ego verò Auditores, ea grauiſſimè perurgenda cenſeo, & rudiori cauterio reſecanda exiſtimo, quę altiores iam radices egerunt, quæ illuſtres magis ſedes occuparunt, & in perſonis nominatiſſimis reſederunt, quę denique maximam cladem afferunt, nobilioreſque ſtrages in Repub. Chriſtiana ediderunt. Tale autem quiddam eſſe vnicum ſimoniæ ſcelus, ignorare non poteſt, qui aliquid in Eccleſię rebus ac negotijs ſcire ſe pro-

ſe profitetur. Eſt enim (vt vno verbo dicam) totius fundi noſtri calamitas vnica quę hodie regnat, *Simonia*. Videamus ergo & conſideremus tantiſper & quanto molimine, quanta ſollicitudine, quàm perpetuo & pertinaci ſtudio, Eccleſia ſemper hoc malum perſecuta fuerit, & quanta ſit huius mali turpitudo, indignitas, abominatio: Hæc enim duo data ſemel Simoniæ definitione, pertracturos nos eſſe ſuperiori conuentu dixeramus.

Ac ſanè dum Eccleſiæ ſtudium hac in re perpendo, dum piæ ac ſollicitæ matris continuos gemitus, ardentiſſima vota, perpetua deſideria, quæ in vocibus illis ſuis per Synodorū decreta, per ſummorū Pontificum reſcripta, per ſanctorum patrum monita, ſatis copioſè & efficaciter expreſſit, animo reuoluo. Vnde hodie hæretici & orthodoxiæ hoſtes calumniandi Eccleſięque detrahendi anſas arripiūt, inde ego ſummæ laudis & admirationis, materiam capio. Nam vt ſcelus ipſum Simoniæ toto ſanè pectore non minus, imò magis quā hæreticus quiſpiam, anathematiſamus ac deteſtamur, deploramus & deflemus; ita Eccleſiæ Catholicæ ſtudium, vigorem, diſciplinam (ſi rectè quæ ab ea conſtituta ſunt inſpiciamus) hac ſanè in parte nemo æquus arbiter deſiderauerit. Quod vt nunc omnibus innoteſcat, ſimulque vt quòd mater noſtra tantopere ſemper inſequuta & deteſtata fuerit, nos etiam eius filij deteſtari diſcamus, age an-

Eccleſiæ ſtudium ad profligandā Simoniam.

tiqua tempora reuoluamus, & matris noſtræ voces audiamus, quas perpetuis penè ſæculis inculcare non deſijt.

Itaque vt a capite incipiamus, quis neſcit, in ipſo Euangelicæ prædicationis initio, hoc ſingulare malum & ortum eſſe, & non ab alio quam ab ipſius Euangelij præcipuo præcone, & Apoſtolicæ turbæ Coryphæo cum ſuo Authore damnatum? Nempe Simon ille Magus (vt Apoſtolica habet Hiſtoria) *videns*
Act. cap. 8. *quia ad manus impoſitionem quæ per Apoſtolos fiebat, Spiritus S. deſcendit, obtulit eis pecuniam, dicens, Date & mihi hanc poteſtatem*, &c. Hanc poteſtatem illi petunt, qui ſacerdotium petunt, aut aliquod in Eccleſia beneficium ambiunt, in quo ſiue per manus impoſitionem, ſiue per aliquod aliud munus & officium Eccleſiaſticum (vt Sacramenta adminiſtrandi, officium diuinum peragendi, horas & preces canonicas recitandi) dona Spiritus S. vel impetrantur, vel impartiuntur. Talem poteſtatem, qui pecunia ambit, Simonis veſtigia præmit & hæreſim amplectitur. Quæ qualis & quam horrenda ſit, ſtatim Apoſtolus efficaciſſimis verbis, & execratione admirabili docet. Ea mox tractabimus, quum de peccati grauitate agetur. Interim illud teneatur, Apoſtolum Petrum huic ſceleri primo ſtatim tempore occurriſſe, illudque verbis grauiſſimis condemnaſſe. Dixit enim: *Pecunia tua ſit tecum in perditionem*, &c.

Neque

Neque verò ſatis hoc erat ſanctiſſimo Apoſtolo, ſemel præſente Authore ita hoc malum repreſſiſſe, ſed porrò, Spiritu quaſi Prophetico, præuidens non ceſſaturum in Eccleſia hoc malum, in conſtitutiones Apoſtolicas, eandem ſententiam redegit. Sic enim inter Apoſtolicos Canones relatum legimus. *Si quis Epiſcopus aut Præſbyter aut Diaconus, per pecunias hac obtinuerit dignitatẽ, deiiciatur & ipſe & ordinator eius, & à communione modis omnibus abſcindatur, ſicut & Simon Magus à me Petro.* Quem Canonem & in generalibus poſtea Concilijs renouatum legimus. Chalcedon. cap. 2. & Niceno 2. Can. 5. Non longè poſt hanc Apoſtolorum ætatẽ, grauiter hanc labem deteſtatus eſt Cyprianus. *Etiam in ſinu ſacerdotum,* inquit, *ambitio dormit, ibi ſub vmbra recubat, in ſecreto thalami, ſe fraudulenter occultat. Simoniaci ſacrilegij forma per omnia officia graduſque diſcurrit: & nihil intentatum, ambitio prætermittit.* Nec tacuit de ſui temporis hac etiam in parte corruptela Nazanzenus. *Religioni,* inquit, *noſtræ ac doctrinæ opprobrium naſcitur, quod ſacerdotia vel miniſteria ambitione potiùs & ad gratiam, quam meritorum iudicio, deferantur. Cuius rei vitium ac labem, etiam ſi impedire ſupra nos eſt, at certè erubeſcere & auerſari, pars aliqua pietatis eſt.* Sed plura mox ex Patribus, quum de rei grauitate diſſerendum erit. Nunc vt Eccleſię perpetuum iudicium ac ſtudium videamus, cætera quæ huc pertinent, perſequamur.

Can. 30.

In Serm. de iciunio & tentat.

In Apologetico.

Concilium Chalced. Cap. 2.

Concilium Chalcedonenſe *Clericos de ſuo*

gradu deponit, laicos & Monachos anathemate ferit, qui vel ordinati vel ad aliquod Eccleſiaſticũ beneficium promoti per pecuniam fuerint, vel etiam qui tales ordinare & promouere, tentauerint. Eodem planè vigore proximo poſt hoc Concilium ſæculo, Gelaſius Pontifex, *eos qui ſacram mercati ſunt precio dignitatem, arcendos ab ordine decernit. Dantem enim*, inquit, *& accipientem damnatio Simonis inuoluit*. Nec aliter de vtroque & vendente & emente Spiritus Sancti gratiam pronunciauit, circa eadem tempora Gennadius Sanctiſſimus & Doctiſſimus Conſtantinopolis Epiſcopus, vt citat Zonaras ex quadam eius Epiſtola, ad can. 30. Apoſtolorum. Pelagius verò eius nominis primus, vix 50. poſt Gelaſium annis ſedens, quũ iam Pontifex inauguraretur, vehementi quodam contra hoc flagitium Zelo percitus, coram omni populo ac clero; *peto*, inquit, *vt petitionem meam confirmetis, vt ſi quis ille eſt qui promouendus eſt in ſancta Eccleſia, neque per aurum, neque per aliquas promiſſiones, proficiat. Hoc enim Simoniacum eſſe omnes ſcitis.* Iam verò D. Gregorius qui ſecundo poſt hunc loco conſedit, ſi quàm frequenter, & quàm vehementer Simoniacæ peſtis malum damnet, recenſere hic vellem, totam in eo ſolo Catecheſem impendere oportebit, ac ne ſic quidem omnia dicere. Sanè ad huius Epiſtolas nos remittit eruditiſſimũ illud Pariſienſe Concilium ſub Ludouico primo, habitum Anno 830. Satis nobis erit illud

Gelaſ inter decreta eius cap 26

Gennadius ex Zonara in ſcholijs.

Pelag. 1 in vita eius.

Gregorius Magnus,

Lib. 1. c. 11

vnum.

vnum ex eo adferre, quod Gelaſio ac Gennadio Concilioque Chalcedonenſi conformiter ſcripſit, *geminatam hic eſſe in vno & eodem delicto contagionem, ementis ſcilicet & vendentis.* Lib. 7. epiſt. 110. Hoc enim & multa alia contra Simoniam ac Simoniacos ſcripſit lib. 7. epiſt. 110. & 113. Item lib. 4. epiſt. 95. & in Euangelia homil. 4. ac 16. Et B. quidem Gregorius, tum apud Hiſpanos, tum apud Gallos, tum & apud ſuos, ita contra hanc peſtem indefeſſo ſtudio laborauit, vt nihil amplius requiri poſſe ad hoc malum reſtinguendum videretur. Præualuit tamen & in ſequentibus ſeculis tam infælici ſucceſſu & incremento, vt iam ad eius curam accedens Eccleſia, etiam de morbi quaſi inſanabilis grauitati, conqueri inciperet. Hiſpan. Concilia. Ideo paucis poſt annis, hac præmiſſa quærela contra Simoniacos decernere voluit Toletanum Concil. 6. Tolet. Cõcil. 6. cap. 4. *Sæpe*, inquit, *pullulantia prauitatis germina licet ſæpiſſimè Patrum iuſta nouerimus ſeueritate damnata, quia tamen crebris conſpiciuntur denuo vigere radicibus, iuſtitiæ acriore vigore radicitus amputare ſancimus.* Moxque præter veteres Canonum cenſuras, *propriorum bonorum amiſſione mulctatur, & Simoniacè ordinatus & qui ſic ordinem dedit.* Eandem adhuc repetit quærelam, paucis poſt annis Toletanum 8. Tolet. 8. cap. 3. *Quod penitus*, inquit, *occumbere debuit, inſultare non deſinit, & res quæ tot exciſa decretis areſcere potuit, ad vicem ſeruæi capitis truncata vireſcit.* Moxque perpetuo anathemate laicos acceptores feriunt, clericos

deponunt. Dans vero in Monaſterium ſub perenni pænitentia relegatur. Nihil his pænis & cenſuris addi poſſe videbatur. Creſcente tamen in dies apud eundem populum hoc malo, in Toletano 11. ſuperioribus pænis *biennii exilium* adijcitur, ſtatuitque vt ad dignitatem Eccleſiaſticam acceſſurus *Sacramenti exactione adſtringatur, quòd pro deferenda ſibi conſecratione honoris, nulli perſonæ cuiuſlibet præmij collationem, vel aliquando dediſſet, vel in futurum daturus eſſet.*

Tolet. 11. cap. 6.

Sed ne ſolos Hiſpanos Paſtores contra hoc ſcelus tam diligenter vigilaſſe putemus, eadē ferè ætate in Græcia Concilijs generalibus, huic malo quàm diligentiſſimè occurſum eſt. In ſexta ſynodo generali ſub Agathone definitum legimus, vt *pro adminiſtratione immaculatæ communionis* (ſic Euchariſtiam vocant) *ſi quis obolos vel quamuis aliam ſpeciem exigât, deponatur.* In Nicæna 2. generali 7. quæ proximo ſæculo ſecuta eſt, adeo inualuiſſe hoc malum videtur, vt quod de adulteris ſuo tempore ſcripſit Auguſtinus, *metuere ſe ne aliquando caſtus erubeſcat inter impudicos*, idem hic de Simoniacis vſu venerit. Cogitur enim Concilium eos damnare (non iam qui Simoniam commiſiſſent, ſed) qui per auri munera fuiſſe ſe in Eccleſia conſtitutos gloriabantur, eoſque qui propter actam ex virtute vitam ſine muneribus ad Eccleſiæ dignitates vocati eſſent, impudente vultu & ore aperto probroſis &

Græcorum Synodus.

Synod. 6. Can. 23.

Nicen. 2. Can. 5.

Lib. de 10. chordis cap. 9.

ſis & contumelioſis verbis vilipendebant. Propterea renouat Canonem Apoſtolicum 30. & Concil. Chalcedonenſis 2. ſuperius allegatos.

Videmus certè malum ſemper creuiſſe, ſed & Eccleſiaſticam diſciplinam nihil imminutam fuiſſe, cernimus. Nam vt ad Gallias nunc ex Oriente ſe deflectat Oratio, ſi Synodos hic omnes & ſanctiſſimorum patrum conuentus ſub Carolo Magno, Ludouico Pio eius filio, Ludouico 2. huius nepote, & Carolo iuniore eius filio, contra Simoniacam labem habitos commemorarem, tempus me planè deficeret. Synodos tantum & loca notabo, vt ex ijs recolat cordatus Catechumenus, quæ ſemper & quanta Eccleſiæ cura fuerit, ad hoc tam peſtilens malum ſemel extirpandum. Sub Carolo ſanè Magno & in Synodo Turonenſi. 3. cap. 15. & in Rhemenſi cap. 21. omnino deponitur, qui per preciū aliquod Eccleſiæ beneficium, adeptus fuit. Sub Ludouico Pio & in Synodo Aquiſgranenſi 2. eruditiſſima illa, & tota ex Patribus collecta, cap. 38. & in Pariſienſi Synodo in libros propter prolixitatē, & multiplicem rerum tractationē diſtincta, lib. 1. cap. 11. Simoniaci grauiſſimis cenſuris, damnantur. Sub eius nepote Ludouico. 2. in Synodo Moguntina, cap. 12. eædem priorum Canonum cenſuræ repetuntur, & aſſiduæ cōtra Simoniacos, excubię aguntur. Iam verò ſub Carolo Iuniore huius filio, in Concilio Mel-

Concilia gallica contra Simon. peſtem.

Meldenſe ſub terribili atteſtatione ſic pronunciatum legimus, *cauendum* (inquit) *& ſummopere præcauendum, ac per virtutem Chriſti ſanguinis interdicendum & Epiſcopis & Regibus & omnibus ſublimioribus poteſtatibus, atque cunctis fautoribus & electoribus, nec non & conſenſoribus; vt nemo per Simoniacam hæreſim regiminis locum obtineat, quacumque functione, promiſſione, callidiuate, ſeu commoditate.*

Cap. 41.

Nec minori in Italia, imò multo maxima; contra hanc peſtem vigilantia laboratum eſt. Ac alij quidem Pontifices, vt Nicolaus ſecundus quique eum præceſſerunt Gelaſius, Pelagius, Gregorius, & alij egregiè ac laudabiliter. Omnium tamen maximè, vehentiſſimè & religioſiſsimè, ſanctiſsimus ille & nunquam ſatis laudatus Pontifex, æterna memoria & laude, vel propter hac vna in re conſtantiam dignus, Gregorius 7. Hildebrandus dictus. Hic maximo omnium ordinum conſenſu atque applauſu Pontifex factus, nihil prius habuit quàm vt ſtatim Imperatorem Henricum 4. in Germania regnantem ſtrictè admoneret, ne in Eccleſiaſticis beneficijs conferēdis, deinceps largitioni & turpi Simoniæ, locum daret. Tergiuerſantem & non parentem Imperatorem conſtantiſſimè & religioſiſsimè vt Chriſti vicarium decuit, excommunicauit, & ad pænitentiam ſubeundam, redire coegit: Ficta illa quidem fuit; ſed maximo Imperatoris malò, qui à proprio poſt filio regno & imperio exutus, quam Patri patrum inobedientiam

Rom. Pont ſtudia indefeſſa.

Platina in Greg. 7. Marianus Scotus Chronol. lib. 3. ætate 6. Naucler. Generat. 37

etiam oſtenderat,eandem à filio iuſtiſſimo Dei iudicio,paſſus eſt. Sed & idem Pontifex adhuc Cardinalis & in Gallia Sedis Apoſtolicæ legatus,Dum in Simoniç labem ſeuerè inquireret,ſacerdotem quendam eius nomine valde infamẽ dum de hoc crimine examinaret, nec vllam ab eo criminis confeſſionem extorqueret, iuſſit clara voce multis pręſentibus,in argumentum innocentię ſuæ pronuntiare verſiculum illum decantatiſſimum, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Qui quum duo poſtrema verba nullo modo pronũtiare poſſet,veluti apertè reum in Spiritum S. & notoriè Simoniacum,beneficijs omnibus priuauit. Tandem propter hoc Simoniæ & concubinatus odium, quæ ſanctiſſimus quidem Pontifex per totam vitam perſequebatur, Imperator verò propugnabat, Roma per nefarium Imperatorem vaſtata, Salerni agere pontifex cogitur,vbi moriens,hęc verba protulit. *Dilexi iuſtitiam & odio habui iniquitatem, propterea morior in exilio.* Digna Pontifice Conſtantia,digna pietas & religio.

Gul. Malſburg lib. 3. hiſt. Angli.

Nauclerus Generat. 37

At verò ne cum hoc Pontifice omnem hac in parte Zelum domus Dei ſimul perijſſe arbitremur,etiam ſecuti Pontifices vigilantiſſimas contra hoc malũ, excubias egerunt. Sopito enim diligentia Hildebrãdi nonnihil hic malo, ſed in quibuſdam adhuc Eccleſijs vigente, proximo ſtatim ſæculo in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro 3. vehementiſsimè

Concil. Lateran. ſub Alex. 3.

mè contra illud itum eſt. Eo enim in loco quod ſolùm Simoniaci prætexere ſolent, Apoſtolica falce ſuccisum eſt. Mali videlicet conſuetudo, quaſique receptus & approbatus mos. Sic enim & hodie audio quoſdam Simoniæ fucos & fraudes hoc pallio obtegere, quòd ordinariam Eccleſiæ viam ſeruent, faciantque quod omnes facere ſolent. Sed audiant iſti grauiſsimi Concilij ſaluberrimam cenſuram. Sic habet. *Putant plures ex hoc ſibi iſta licere, quia legem mortis de longa inualuiſſe conſuetudine arbitrantur, non ſatis (quia cupiditate cæcati ſunt) attendentes quòd tantò grauiora ſint crimina, quantò diutius animam infælicem tenuerint alligatam.* Propterea vt nouo remedio huic malo occurreretur, decernitur *vt vel ſuſpecti tantum Simoniacæ labis, ad purgationem criminis cogantur.* Purgatio quoque qualis & quàm ſtricta eſſe debeat, eodem in Concilio explicatur. Contra idem conſuetudinis malum, ne quod in ceteris EccleſiæDecretis & Canonibus valere interdum ſolet, vt tutos putemus nos eſſe, quia in vſu iam hi Canones non ſunt, hic quoque locum habere exiſtimamus; in alio illo maximo & celeberrimo Lateranenſi Concilio ſub Innocentio 3. expreſſé etiam pronunciatum eſt, nihil id preiudicij adferre poſſe, imo malum per id augeri. *Ad cumulum,* inquit, *damnationis maioris quidam turpitudinem & prauitatem huiuſmodi nituntur defendere per conſuetudinem longo tempore obſeruatam.* Mox-

Contra conſuetudinis prætextum.

Part. 1. c. 7.

Part. 2. c. 15

Part 50. cap. 57.

Concil. Lateran. ſub Innocent. 3. cap. 63.

Moxque grauiſsima cenſura &c. qui receperit & qui dederit cum Giezi & Simone, damnatur. In extrauagante quoque Martini Papæ, *anathematiſ pœna feriuntur omnes, qui certa ſcientia teſtes eſſent Simoniæ, donec reuelarent.* Quid generalibus iſtis & Oecumenicis Concilijs prouinciales Synodos inſeram, quibus contra hanc peſtem diligentiſsimè eſt laboratum, vt in Concilio quodam Alemaniæ Conrardo Cardinali præſidente ſub Honorio tertio, & eodem planè tempore in Concilio Oxonienſi ſub Stephano Archiepiſcopo Cantuar. in quibus exacto ab ordinandis aut in Eccleſiaſticum aliquod beneficium ſeu dignitatem aſſumendis Iuramento, repreſſum eſt nonnihil hoc malum. Eius autem Iuramenti formam videre eſt in Concilio Baſileenſi, ſeſſione duodecima.

Martin. Papa.

Concil. Alemanie & Oxonienſe.

Conc. Baſil.

Nec ad noſtram vſque ætatem ab hac diligentia ceſſatum eſt. Nam & proxima ferè maiorum noſtrorum memoria, in Concilio Conſtantienſi poſt grauiſsimam quærelam, ita eſt pronunciatum, *vt dantes pariter & accipientes ipſo facto, ſententiam excommunicationis incurrerent, etiamſi Pontificali aut Cardinalatus dignitate, præfulgeant.* In eandem ſententiam inerunt noſtra iam ætate Tridentini Patres Seſſ. 21. in decreto Reformat. cap. 1. & ſeſſ. 24. cap. 14.

Conc. Conſtant. Seſſ. 43.

Videtis Auditores, piam Matris Eccleſiæ ſedulitatem, ſicut gallinæ quæ congregat pullos ſuos; videtis perpetuas & grauiſsimas Patrum

Concil. Tridentinũ

trum ac maiorum noſtrorũ cenſuras. Quem iſta vehementer non permoueant, fruſtrà ille ſe Eccleſię filiũ vendicat, fruſtrà ſe Catholicũ dicit, fruſtrà Chriſtiano nomine gloriatur. Quod ſcelus omni Patrum ætate, & in ſingulis Chriſtiani orbis partibus, tot cenſuris, Decretis, Concilijs, damnatum & profligatum eſt, qui adhuc aut amplectendum aut diſsimulandum putat, cum illis patribus & cum illis ſanctiſsimis maioribus noſtris, partem ſe habere poſſe nullo modo exiſtimat: Quòd ſi cum illis minimè, certè nec cum Deo ſortem habebit. Recolamus

Ioan. 8. Luc. 10. 1 Ioan. 4. grauiſsima Saluatoris verba. *Qui ex Deo eſt verba Dei audit. Vos propterea non auditis, quia ex Deo non eſtis*: & rurſum: *qui vos audit me audit*, &c. Et Apoſtolus eius. *Qui nouit Deum audit nos: qui non eſt ex Deo non audit nos. In hoc cognoſcimus Spiritum veritatis & ſpiritum erroris.*

Simoniæ labes quãta & quàm horrenda.

Sed rationes nunc & cauſas videamus, quare iſtud flagitium tam ſit deteſtandũ & horrendum, & quare tot Canonibus tantoque ſtudio ei occurſum eſt à maioribus noſtris. Primum Apoſtoli Petri verba attendamus. *Pecunia* (inquit) *tua ſit tecum in perditionem, quoniã*

Act. 8. *donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis, eſſe te video.* Multa ex his verbis colligi poſſunt ad grauitatem huius ſceleris declarandam. Primum quòd tanta & inſolita ſeueritate peccatum arguit.

Quod

Quod in ipſa ſua origine Apoſtolica, deteſtatione damnatum eſt, cur non timetur? ait Gregorius. Loquitur ille cui ſingulariter Chriſtus claues dedit ligandi & ſoluendi. Deinde ſingulari energia non caret, quod non authorẽ tantum peccati damnet, ſed & *ipſam pecuniam.* Hinc enim rectè collegerunt Patres, ſpeciale hoc eſſe Simonię priuilegiũ, quod & dantem & accipientem, pariter inuoluat. Tertiò cauſam grauitatis & magnitudinis peccati exprimit, dicens, *quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Hęc enim eſt Simonis & Simoniacorum omnium ſingularis inſania, & verè hæreſis, quod ſanctiſsima Dei dona pecunijs viliſſimis ſubijciunt, & emi poſſe putant, ſicuti cæteras res prophanas & viles. *Hic erat proprius Simonis error* (ait Auguſtinus) *putans hoc eſſe hominum, voluit eſſe & ſuum; quod hominum putauit, emere voluit.* Vnde & Zonaras; *Nihil ſceleratius eo, qui Diuinam gratiam ceu venalem ſibi comparat. Nihil eo facinoroſius, qui eam vendit velut enim ſeruum quid emitur chariſma ſpiritus.* Grauiter ſanè ſanctiſſimus & doctiſſimus ille Patriarcha Taraſius in Epiſtola Synodica ad Papam Adrianum. *Tolerabilior*, inquit, *eſt Macedonius, magiſque tolerandi ſunt reliqui pneumatomachi quàm iſti Simoniaci.* Illi enim Spiritum Sanctum creaturam quidem eſſe dicunt nefariè, & Dei Patris ſeruum faciunt. Iſti verò conſceleratiſſimi ſibi ipſis ſeruum eum faciunt. Qui enim quippiam vendit, vti Dominus hoc vendit;

Lib. 7. epiſt. 110.

Simoniæ priuilegiũ.

Simoniæ propria hęreſis.

Homil. 23. ex homil. 50.

Ad can. 30. Apoſtol.

Taraſius.

Simoniac' eo deterior qui Spir. S. Dei ſeruum facit.

vendit: & qui emit, Dominus vult eſſe eius quod emit. Quid ſcelere hoc ſceleratius? Perpendant hoc noſtri Simoniaci. Nam illi hæc planè omnia humana putant & prophana. Ideo emunt & vendunt, Sacerdotij ordinem, Paſtoratus, Canonicatus, Decanatus officium ac munus. v dignitates ambiunt, vt beneficia conquirunt, non quibus Deo & Eccleſiæ ſeruiant, ſed quibus commodè & ſplendidè viuant. O rem deteſtandam.

Act. 8. Sed pergamus cum Apoſtolo, *Quia quod verè eſt donū Dei* (ſiue tu ita indices ſiue non) *putas pecunia poſſe poſſideri, ſit illa tecum in perditionem. Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto.* Pœnæ grauitas, magnitudinem peccati oſtendit. Non es de Chriſti gregis numero qui hoc facis. Quomodo ergo tu clerice, aut qua fronte dicis: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei?* quomodo de clero, De ſorte Domini te eſſe venditas, qui Simoniacè huc aſpirans & Eccleſiaſtica beneficia conquirens, non iam amplius habes partem & ſortem in ſermone Apoſtolico, hoc eſt, in Euangelica prędicatione? Propter hæc Apoſtoli verba *ipſo facto excommunicari* voluit Simoniacos, Alexander 3. in Concil. Lateranenſi. Sequitur porro. *In felle amaritudinis & in obligatione iniquitatis te eſſe video.* Quid hæc amariſſima verba notare putamus? *fel amarum* eſt ambitio & auaritia, quæ veluti fel totam ſpiritualem in anima dulcedinem, extinguunt. *Iniquitatis obligatio* prauis

his

his cupiditatibus vinctum & conſtrictũ eſſe 1. Tim. 6.
ſignificat. Hinc Apoſtolus. *Qui volunt diuites fieri* (in quorum corde regnat auaritia) *incidunt in tentationes & laqueos diaboli & inſerunt ſe doloribus multis.* Ideo vocatur ab Abacuc Propheta, Abacuc 2.
denſum lutum. Væ qui multiplicat non ſua, & aggrauat contra ſe denſum lutũ. Denſum videlicet, vnde ſe expedire & extricare nequeat. Hæc eſt huius iniquitatis, obligatio.

Sed aliunde iam eius grauitatem conſideremus. Aliàs notauimus ex Auguſtino aliiſque Patribus, in locum idolorum ſucceſſiſſe hereſes: & proximum Diaboli telum quo humanum genus perderet, fuiſſe hæreſim, quum idola amplius non præualerent. Sed in Simoniaca hæreſi ſingulare hoc eſt. Sic enim legimus in Apoſtolicis Conſtitutionibus de hoc facto Simonis. *Voluit* (inquit) *Simon, vt quemadmodum Adam guſtato ligno, promiſſa immortalitate priuatus fuit, ſic nos accepta pecunia deliniti, à Dei munere excluderemur, quo per commutationem pecuniæ, ei traderemus ineſtimabilem Dei gratiam.* Conſideremus ergo in Simone ſerpentem antiquum. Prima hæc hereſis, fuit Diaboli fraude introducta: Latiſſimè in Eccleſia ſerpſit: Vehementiſsimè contra eam pugnatum eſt: pertinaciſſimè etiam adhuc hodie obtinet. Qua demũ vi, niſi antiquo ſerpente ſemper ſatagente & nunquam dormiente? Hoc Cyprianus apertiſsimè docet. *Non dubitet quiſquam diaboli hæc eſſe negocia, & nundinatores eius quicumque hæc exercent*

Simonia ſecundum diaboli telum.

Conſtitut. Apoſt. lib. 6 cap. 7.

In Serm. de ieiunio.

Q

tent commercia: nec quicquam huiuſmodi ab eo niſi præmiſſa apoſtaſia donari. Inuerecundè tentator ambitioſos aggreditur: & conditione pernicioſa præmiſſa talia pollicetur, &c. Sic & Gregorius in hoc ſcelere patrando Diabolum *ſingulariter ſurrepere, & ſpecie pietatis inſecta, homines ſupplantare*, diligenter notauit. Itaque horrendum flagitium hoc eſſe debet, quod quaſi in originalis peccati locum, quo humanum genus omne primò euerſum eſt, ſucceſſit, vt per illud Eccleſia Chriſti euerteretur: primò in Eccleſiam per diabolum introductũ, & in ea hactenus pertinaciſſimè ac pernicioſiſſimè, graſſatum.

Lib. 7. epiſt. 110.

Quod ſi alicuius peccati grauitas ex pernicie quæ id conſequitur, æſtimari debeat, quid hoc peccato grauius eſſe poſsit, non video. Sola enim hæc Simoniaca rerum ſacrarum nundinatio, & auaritiam, ſuperbiam, libidinem in clero; & ignorantiam ſalutis contemptum, deſidiam in populo peperit, vnde Gregorius. *Perit reuerentia, adimitur Diſciplina, quia qui culpas debuit emendare, committit, & nefaria ambitione honorabilis ſacerdotij, ducitur in deprauatione cenſura. Nam quis denuo veneretur quod venditur, aut quis non vile eſſe putet, quod emitur?* Hinc & Alexander 3. in Concil. Lateranenſi. *Non ſatis vtiliter auaritia in populo redarguitur, ſi ab his qui in clero conſtitui videntur, modis omnibus non cauetur.* Quomodo enim (vt Apoſtolus clamat) docet non furandum, qui furatur? Nempe vt pulchrè de hac re ſcripſit Baſilius, homil. 2. de ieiunio

Libro 7. Epiſt. 113.

Part. 2. cap. 10.

Rom. 2.

iunio & libro de Sancta virginitate, pag. 533. *quorum reprobum eſt principium, vniuerſum quoque reyciendum eſt.* Nec mali corui poteſt eſſe bonũ ouum. Porro non aliunde inidonei miniſtri Eccleſiam magis onerant quam honorant. Hinc Gregorius. *Quid per hoc aliud agitur, niſi vt nulla de actu probatio, nulla ſollicitudo de moribus, nulla de vita ſit diſcuſſio, ſed ille ſolummodo dignus, qui dare prætium ſuffecerit, æſtimetur?* hinc fungos & ſtipites potius quam homines in faſtigijs Eccleſiarum conſidere, alicubi cernimus. Lib. 7. epiſt. 110.

Iam verò vt alijs ita & ſibi, peſtifera eſt & noxia Simonia. Nihil enim agit Simoniacus. Sacerdotem ſe eſſe putat, Paſtorem, Canonicum, & non eſt. Explicat hoc egregiè Gregorius: Nam ita ſe rem habere, ex Synodicis iam copijs productis, liquidò conſtare arbitror. Loco citato. *Quid* (inquit) *aliud eſt columbas vendere, niſi prætium de manus impoſitione accipere & Spiritum Sanctum venundare? Quorum ſacerdotium ante oculos Dei cadere, cathedrarum vtique euerſione patenter ſignatum eſt.* Itaque ſe eſſe putant quod non ſunt, & in perpetua rapina viuunt.

Quod ſi huic nobili malo typos, & ſtemmata maiorum requirimus, nec illa deerunt planè prçclara, enim & Ierobitæ nuncupari poſſunt; ſi ſatis ad gloriam non eſt Simoniacos vocari, Giezi, enim pro curatione lepræ, munera accipienda putauit, vnde & *lepra Naaman adhæſit ei & ſemini eius in æternum*: vt quantum 4 Reg. 5. crimen (quod lepræ nomine ſcriptura notat)

 Simo-

Simoniacis ſemper adhæreat, hoc typo notaret. Ideo pęna & damnatione Giezi, eos damnat Concilium Lateranenſe ſub Alexádro 3. & iterum ſub Innocentio 3. cap. 63. Et hoc quidem ad accipientes pertinet: Ierobitæ autem ſunt dantes. Ieroboam enim, *quicumque volebat, implebat manum ſuam & fiebat ſacerdos excelſorum*. Hos anteceſſores & maiores habent Simoniaci. Niſi fortè & Iudam aſciſcere velint, qui, vt illi Spiritum Sanctum, ita Chriſtũ vendidit. Quo enim non perrumpit auaritia? Quid non mortalia pectora cogit, auri ſacra fames, & habendi ſæua libido?

Part. 1. c. 7

3. Reg. 13.

DE BONI SACERDOTIS OFFICIO QVATENVS AD SACRIFICANDVM DEO ORDINATVR.

Oratio Catachetica Duaci habita.

Sapienter & Diuinè à Sapiente ſcriptum eſt (Auditores) *In multa ſapientia multa eſt indignatio & qui addit ſcientiam addit & dolorem*. Cui conſonum illud eſt, quò in Euãgello dicitur *cui plus creditur, plus exigetur ab eo*, quod etiã alia expreſſit Scriptura, quum diceret, *potentes potenter tormenta patientur*, Et in rebus omnibus vt ſcripſit Gregorius, *quum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum*. Quod quidem ſi in politicis ac ciuilibus negotijs ac rebus, locum habet, tum verò maximè

Eccle. 1.

Matth. 25.

Sap. 6.

Homil. 9. ſuper Euangelia.

ximè in Diuinis hoc obtinet, *Vnicuique enim da-
tur manifeſtatio Spiritus* (ait Apoſtolus) *ad vtilita-* 1.Cor.12.
tem aliorum ſane. Idcirco ab ijs qui talenta ac-
ceperant à Domino, alij decem, alij quinque, Luc.19.
alij duo, alij vnum, ſtricta & accurata exigi-
tur ratio, & *Inutilis quidem ſeruus, eiicitur in tene-
bras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium.* Ei
autem qui de acceptis talentis alia ſuperlu-
cratus fuerit, dicitur. *Euge ſerue bone & fidelis,
quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſti-
tuam, intra in gaudium Domini tui.* Docent hæc
omnia & quidem terribiliter docent magni-
tudine acceptæ à Deo poteſtatis, eius potiſſi-
mum quæ ſpiritualis eſt, quæ ſacerdotalis eſt,
quę diuina eſt, & hominibus cũ Chriſto (Deo
benedicto in ſæcula) cõmunis; oneris quoq;,
laboris & officij magnitudinẽ reſpondere de-
bere; vt quantò ſit poteſtas amplior, excelſior
& Diuinior, tantò ſuſcipi debeat cura maior,
labor impenſior, ſtudiũ & opus elaboratius.
Mouit ſanè huius rei tantæ iuſta æſtimatio &
conſideratio, D. Auguſtinum ſummum & ce-
leberrimum Eccleſiæ Catholicæ Doctorem,
vt ad Preſbyterij munus iam ferè quadrage-
narius raptus, ad Valerium Epiſcopum qui
eum inuitum ac reluctantem, crebriſque la-
chrymis hoc munus depræcantem ordinaue-
rat, his verbis ſcriberet. *Ante omnia peto, vt cogi-* Epiſt.148.
*tet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, &
maximè hoc tempore, facilius & lætius, & hominibus
acceptabilius, Epiſcopi, aut Preſbyteri, aut Diaconi of-*

ficio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur : ſed nihil apud Deum miſerius, triſtius, damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita, maximè hoc tempore, difficilius, laborioſius, periculoſius, Epiſcopi aut Preſbyteri aut Diaconi officio, ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet. Hæc ille ea de ſuo tum tempore locutus, quæ & noſtro hodie ad amuſſim quadrant; his præſertim in locis, in hoc Belgio, vbi hæreſes hodie graſſantes fama tantùm adhuc peruenerunt, & circumlatrantes licet vndique, Eccleſiæ tamen faciem & externas has acies nondum perturbarunt, ſed aduentantes quidem fælicibus auſpicijs, repulſę ſunt: Quid enim hîc certè vbi penes Catholicos rerum gubernacula ſunt, vbi maiorum noſtrorum pijs & ampliſsimis eleemoſynis, ſacerdotali ordini optimè & abundè proſpectum eſt, Epiſcopi aut ſacerdotis officio facilius aut lętius, ſi perfunctoriè negligenter & leuiter; quid gratius & hominibus acceptabilius, ſi adulatoriè, ſi populariter, ſi diſsimulanter, res agatur? Quid verò hac huius ordinis negligentia & ſimulatione apud Deum miſerius, triſtius, damnabilius? Rurſum quid in hac vita, maximè hoc tempore, his hodie graſſantibus hæreſibus, non quidem foris tantum & vndique circumlatrantibus, ſed etiam intra nos ipſos, in vicis ac pagis paſsim obmurmurantibus, & peſtilentiſsima illa Zizania ſua clanculum ſeminare non ceſſantibus; in hac etiam totius vitæ ac morum

corru-

corruptela; in tanta tum cleri tum populi penè iam probata & laudata iniquitate; difficilius, laborioſius, periculoſius, Epiſcopi & ſacerdotis officio, ſi tamen eo modo id peragatur, quo peragi tantùm munus debeat, quo hæc ætas, hæc tempora deſiderant? hoc tamen labore, hac cura, hoc officio, pro eo vt par eſt peracto, quid Reipub. Chriſtianæ vtilius, quid laude dignius, quid apud Deum beatius? idq; hoc iam tempore, hac ætate noſtra? Etenim quo nunc hodie propter hæreticorum inquietudinem perturbatur magis Eccleſia, quo propter ſeu populi leuitatem ac credulitatem, ſeu ipſius cleri torporem & ignauiam, iacet magis ſacerdotalis dignitas, ordo contemnitur, poteſtas vel vilipenditur vel ignoratur, eo profectò & de Eccleſia preclarius & apud Deum magis merentur, qui nihil his præſentibus malis territi, nihil hos aduerſos ſeculi flatus morati, ſacerdotalem tamen functionem intrepidè ſuſcipiunt, & ſuſceptam probè ac ſtrenuè, adminiſtrant. Si enim aliquando aut alicubi vnquam neceſſarium, laudabile & Deo gratum, erat boni ſacerdotis munus, hoc ſanè tempore & his in locis eſt illud maximè neceſſarium, imprimis laudabile, & Deo longe gratiſsimum. Operæpretium itaque me facturum exiſtimaui Auditores, ſi in hoc Catechiſmi huius publici loco conſtitutus, declarata iam multiplici & ampliſsima ſacerdotis poteſtate, de ipſo huius exercendæ poteſtatis

modo accuratè diſſererem, quem & qualem ſacerdotem eſſe oporteat, curioſius paulò inquirerem ac definirem: Denique quod iam diu cogito & molior, veri & legitimi Sacerdotis ipſiſsimam vt potero effigiem, quaſique ideam ob oculos omnium veſtros ponerem. Neque verò ſum neſcius rem arduam, quęque ſummum quempiam tum Oratorem tum Theologum deſideret, vt pro dignitate ſubiecti res tāta doceatur, me conari. Sed agemus (vt huius inſtituti ratio poſtulat) catecheticè, breuiter, & vt poterimus, maximè perſpicuè; magis monendo, hortando & explicando; quam aut ſubtiliter aut ſublimiter, vel diſputando vel perorando. Non quidem vt talem à me hîc ſacerdotem expectetis, qualem ſuum deſcribit vel Oratorem ſummū Cicero ad Brutū, vel Poetam Flaccus in arte poetica, vel Principem & Imperatorē bellicum Xenophon in Cyro; hæc enim optantur potius quàm habentur, & finguntur magis quàm ſunt: ſed talem ego & ſic affectum ſacerdotem deſcribam, qualem à nobis Sacra ſcriptura flagitat, qualem SS. Patres deſcribunt, quales denique & plurimos olim fuiſſe ſcimus, & hodie planè non deeſſe arbitramur. Sic ergo rem accipite, & diligenter quæſo, quod facitis, attendite.

Qualis ſacerdos eſſe debeat, ex eius poteſtate apparebit. Communis eſt omnibus ſacerdotibus ſacrificandi poteſtas pro viuis & defun-

defunctis,& ſacerdotū noui teſtamenti quatenus huiuſmodi hæc ſumma dignitas eſt, vt in altera Catecheſi demonſtratum, dedimus. Huius poteſtatis vſus quanta & quam varia deſiderat. Primùm, ratione ſubiecti, & rei oblatæ, deinde, ratione finis propter quem offertur: poſtremo etiam ratione principij & Authoris huius ſacrificij, propter perſonam quam gerit ſacerdos, quamq; imitatur. Quum enim (vt notauit Auguſtinus) quatuor conſiderentur in omni ſacrificio; *cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur,* vnaquæque hic conſideratio, maximam vim habet. Sed vt primum illud omittamus, quod non ſoli ſacrificio, ſed virtutibus adeo omnibus & actioni cuiuis piæ ac laudabili competit. (Quicquid enim rectè fit propter Deum fit, & ad Deū tendit;) reliqua tria ſpectemus, quæ vt ſoli ſacrificio ſunt propria, ita in hoc noſtro ſingulari ſacrificio, potiſſimum eminēt & illuſtria ſunt. Etenim ſi perſonam reſpicias offerentis, Chriſtus eſt, vt in alia Catecheſi ex Patribus oſtenſū eſt, [a] Cypriano, [b] Auguſtino, [c] Chryſoſtomo. Qualis iam is eſſe debet, qui Chriſti perſonam gerit? Huic arguit Apoſtolus. *In omnibus exhibemus nos metipſos ſicut Dei miniſtros, nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum.* Arguit huic Cyprianus. *Ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui quod Chriſtus fecit, imitatur.* Videamus ergo quid Chriſtus fecerit, quomodo ad hoc ſacrificium compa-

De Trinit. lib.4 c.24.

1 Ratio à perſona offerentus.

a Lib 2. Epiſt. 3.

b De Ciui. Dei lib. 10. cap. 20.

c Hom. 60. ad pop. Antioch.

2. Cor 6.

Lib 2. epi. 3

Matth. 26. ratus acceſſerit, *Deſiderio* (inquit) *deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcũ.* Quod de hoc ſacrificio intelligi *SS. Patres exponunt. Tali deſiderio affici ſacerdos debet, nimirũ vt ſeipſum offerat Deo, ſicut Chriſtus ſe obtulit Patri. Hinc Gregorius Nazanzen. de ſeipſo. *Quũ* (inquit) *ſcirem quod nemo magno illo vel Deo vel ſacrificio, vel Põtifice dignus eſſet, qui non prius ſemetipſum Deo ſacrificium vinum & ſanctum obtulit, & vt rationalem cultum Deoq; acceptum exhibuit, & ſacrificium laudis & ſpiritũ contritũ immolauit, quomodo auſus fuiſſem externum illi ſacrificium offerre, quod magnorum eſt myſteriorũ ἀντίτυπον, aut quomodo mihi ſacerdotis ſpeciem & nomen vendicaſſem, priuſquam operibus ſanctis manus meas conſecraſſem?* Sic affectus eſſe debet, qui ad hoc tam ſublime miniſterium aſpirat. Hîc enim ſacerdos mediatorẽ quendam agit in terris, ſicut Chriſtus apud Patrem in cælis.

*Chryſoſt. Hieron. & Euthym. in com. in Matth. 26. Tertul. lib. 4. con. Marcionem. In Apologetico.

Ibidem. Sic idem Gregorius. *Priuſquam mens ſufficienter repurgetur, ſicque Deo vicina reddatur vt ſuprà alios longè extollatur, vel animarum gubernacula, vel mediationem inter Deum & homines in ſe ſuſcipere. (Etenim hoc demum eſt eſſe ſacerdotem) tutum non eſſe agnoſco.* Quin & alijs verbis hoc idem vrget. *Quis perinde atque è luto quodam hodierno die finget eum qui veritatis curam gerat, Angelis aſſiſtat, * cum Archangelis Deum glorificet, & ſacrificia ſurſum ad cæleſte altare deſtinet, ac cum Chriſto ſacerdotiũ peragat, figmentum Dei refingat, imaginẽ reſtauret, & (vt quod maius eſt dicam) Deus exiſtat & mortales Deificet? Noui cuiusſimus miniſtri, & quo loco poſiti, & quo dirigamur.*

Ibidem.

* Laudant Angeli &c. Cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas, deprecamur.

mus. Beatiſſimus quoque Dyoniſius, ratione perſonæ quam hic ſacerdos gerit; vehementiſſimè in improbos ſacerdotes inuehitur. *Qui audet* (inquit) *ſceleſtas blaſphemias ſuas* (*neque enim preces dixerim*) *ſacris aris inferre, eaſq; ſuper ſigna, illa diuina ad Chriſti ſimilitudinem dicere, non eſt iſte ſacerdos non eſt. ſed infeſtus, atrox, doloſus, illuſor ſui, & lupus in Dominicum gregem, ouina pelle armatus.* Epiſt. ad Demophil. Accedit his Chryſoſtomus. *Nō mortalis quiſpiā, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, ſed ipſe Paracletus ordinem huiuſmodi diſpoſuit, qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus author fuit, vt Angelorum miniſterium animo cōciperent. Iccirco neceſſe eſt ſacerdotem ſic eſſe purum, vt ſi in ipſis cælis collocatus, inter cæleſtes illas virtutes, medius ſtaret.* Lib 3. de Sacerdotio Nā & cū illis ſuas voces ad altare coniungit. Hoc itaque iterum atque iterum à ſacerdotibus conſiderandū eſt, ſe non quoſuis hic miniſtros agere, ſed ipſam perſonā Chriſti gerere. Hinc enim ſi præter decorem agat ſacerdos, in Chriſtum redundat. Hoc vero quā immane ſit flagitium, vt ſciās vide mihi vetera. Quare veteres ſacerdotes abiecit Deus? *Dominatores eorum iniquè agunt, & iugiter tota die nomen meum blaſphematur. Propter hoc ſciet populus meus, nomen meum in die illo.* Eſai 52. Nempe in die vindictæ. Quare adulterantem Dauidem etiam remiſſo peccato, punit Deus? *Veruntamē* (inquit Nathan) *quia blaſphemare feciſti inimicos nomen meum, propter verbum hoc filius qui natus eſt tibi, morte morietur.* 1. Reg. 12. Quare Moyſem murmurantem nō

intro-

intromittit Deus in terram promiſſionis? *Quia*
Num, 20. *non credidiſtis mihi* (ait Deus) *vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, propter hoc non inducetis congregationem hanc in terram quam dedi eis.* At horũ nullus ad hoc tale ac tantum miniſterium eſt vocatus; Illi enim vmbræ deſeruiebant; tu hic ipſiſſimam habes veritatem, vtrumque in alijs imaginem rerum tantum exerceas. In hoc ſacrificio ipſa eſt veritas. Neque hic laruata aut hiſtrionica perſona (o ſacerdos) eſſe debes, vt ad altare tanquam ad theatrum accedas, mimico ibi & externo tantum geſtu (vt in Comedia) perſonam Chriſti acturus, moxque quaſi depoſita perſona, ad ſcelera rediturus priſtina.

2. A rei oblatæ dignitate. Lib. 3. de ſacerdotio. Quòd ſi hic quid offeratur reſpicias, quanta hic etiam pluſquàm Angelica ſanctitas requiritur? Præclarè Chryſoſtomus. *Terribilia atque horrifica fuiſſe ferunt quæ gratiæ tempus præceſſerunt, quod genus fuere tintinnabula, mala punica, lapides pectori ſacerdotis, itemq; alij humeris eiuſdem ſuperpoſiti, mitra, ſtrophium, veſtis ad pedes vſque demiſſa, lamina aurea, ſancta ſanctorum, ingens intus quies atque ſilentium. At verò ſi quis ea quæ gratiæ tempus adnexit examinet, terribilia atque horrifica quæ dixi, indicabit eſſe admodũ leuia; ac quòd de lege à Paulo dictum eſt, hic denuo verum eſſe comperiet, quandoquidem ne glorificatũ quidem fuit, quod glorificatum eſt in hac parte, propter eminentem gloriam. Nam dum conſpicis Dominum immolatum, ſacerdotem ſacrificio incumbentem ac preces fundentem, &c. etiam ne te inter mortales verſari*

atque

atque in terra conſiſtere, cenſes? Mox etiam Heliæ ſacerdotem confert imò præfert, dicens: *Adeſt ſacerdos, non ignem geſtans ſed Spiritum S. is preces diu turnas fundit, non vt flamma cælitus delapſa ſacra ap- poſita abſumat, ſed vt gratia in ſacrificium influens per illud omnium animos, inflammet.* Ideo alibi hoc à Malachia *purum ſacrificium* dicit nuncupari: *quia hoc ſacrificium cum illo Moſaico collatum, ſolum dici debeat purum.* Iam verò quanta illic ſanctitas deſiderabatur? *Mundamini qui fertis vaſa Domini,* ait Propheta. At hic non vaſa Domini, ſed ipſum Dominũ portant ſacerdotes. Huic enim à Cyrillo Hieroſolymitano χριςοφοροι dicuntur. Huic ſcripſit Auguſtinus, *Chriſtũ ſe ipſum ſuis manibus tuliſſe*, ſuper illud Pſalmi, *& ferebatur in manibus ſuis.* Propterea D. Chryſoſtomus, *Quos radios ſolares non deberet excedere manus illa, quæ hanc carnem pertractat?* Etenim vt alibi idem Doctor ſcribit. *Si didiceris diligenter qui ſit propoſitus, & quis, cui ſe ipſum exhibet, nullius alterius indigebis ratione: ſed hoc tibi ad omnem ſobrietatem ſufficiet, niſi ſis omnium ignauiſſimus.* Sanè ſe planè fide excidiſſe ſacerdotes illi oſtendunt, qui rem auguſtiſſimam ita ſordidè & ſceleratè pertractant. *Cum fide enim accedere, non eſt vt propoſitum corpus tantummodo recipias, verum multo magis, vt mundo corde tangas, vt ſic adeas, quemadmodum ipſum Chriſtum.* Docet [a] Baſilius & poſt eum [b] Cyrillus Alexandrinus fidem ſacrificij veritati adhibitam mirabiliter & incredibiliter ſacrificantis excitare charitatem.

Orat. 4. in Iudæos.

Eſai. 52.

Catech. myſtag. 4.

In Pſal. 33 Conc. 1.

Homil. 83 in Matth.

Hom. 28 in 1. Cor. 11

Chryſoſt. homil. 24 in 1. Cor.

a In reg. breuior. ad interro. 172

b Lib. 4. cap. 17 in Ioan.

Vnde

Vnde mihi dubium non eſt eos ſacerdotes fide carere, & perſecutionis hæreticæ tempore ad hæreſes tranſituros, qui perfunctoriè hoc ſacro funguntur munere. Hanc tanto ſacrificio debitam reuerentiam docuit Saluator, quum ante huius ampliſſimæ poteſtatis traditionem, *Diſcipulorum pedes lauaret*; quem etiam ritum hodie ſacrificaturi ſacerdotes obſeruant, dum apud altare manus lauant. Docet hoc clarè Dionyſius Areopagita. *Aſtans coram ſignis ſanctiſſimis: Pontifex manus lauat cum honeſtiſſimo ſacerdotum ordine: quod quidem iuxta Saluatoris eloquium is qui lotus eſt, nulla alia niſi tantum ſummitatum extremitatumue ſuarum, lotione indigeat.* Et paulo poſt. *Eos enim qui ad ſacramenta cæleſtia conficienda procedunt, ea oportet eſſe munditia, vt ipſas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant, ſicque ad reuerenda myſteria (quantum fas eſt) ſimilitudine puritatis accedere.* Docet hoc præterea illa accuratiſſima Catechumenorum, Euergumenorum & pænitentium etiam, à conſpiciendis myſterijs antiquitus excluſio. Quam rem ſic ibidem explicat idem Dyoniſius, vt quum rationem daret cur ij quos diximus excludantur, ſubijciatque multò magis homines impios prohibendos, addat. *Si enim id verum eſt, quod qui ſe Deo omnino deuouit, videlicet qui digniſſimè Diuinis participandis admittitur, qui quantum fas eſt homini, ad ſummam prouectus eſt Diuinæ imitationis effigiem, is neque ea quæ carnis ſunt geret, niſi inquantum vrgebit neceſſitas naturæ, idque veluti*

Eccleſ. hierar. cap. 3. par. 3.

Ibidem.

veluti ex latere ac per tranſitum faciet, templumque Diuini Spiritus erit profectò qui eiuſmodi eſt, nunquam aduerſis imaginibus terroribuſque vexabitur, ſed ridebit potius, accedenteſque profligabit ac perſequetur, agetque magis quàm patietur. Idem alibi. Epiſt. 8. ad Demophilum. *Si ſacerdotum ſanctus ordo is eſt qui illuminat, procul dubio ille à ſacerdotali ordine & virtute omnino prolapſus eſt, qui illuminans non eſt, multoque ſanè magis qui neque illuminatus eſt.*

At fateor, inquies, rei quidem dignitatem eam eſſe, nulla vt eſſe ſanctitas tanta poſſit, quæ ei pro eo vt par eſt, reſpondeat. Sed quis demum mortalium eſt qui hoc præſtare valeat? Eſto ſanè, ita carnem exuere nequeas, vt non adhuc ſuas in te partes illa agat. Non fueris vel Carpus, vel Epiphanius, quorum hic nunquam perfecit oblationem niſi vidiſſet viſionem, ille nunquam celebrare cæpit, niſi priùs habita aliqua ſacra viſione, vt in huius vita legis, & de illo ſcribit Dyoniſius Areopagita Epiſtola 8. ad Demophilum: Saltem quid in omnibus ijs qui Chriſti Spiritum habent flagitat Apoſtolus, præſtare debes. Nempe *vt mente ſeruias legi Dei, licet carne legi peccati.* Rom. 7. & 8 *Vt non regnum peccati in mortali corpore tuo, &c. Vt hoc mundo vtaris, tanquam non vtaris.* 1. Cor. 7. Nunc verò nemo magis carnales, quàm qui altari deſeruiunt. Huius rei abuſus quantus eſſet, quàm apud Deum grauis, olim miraculo declarare Deus voluit, dum (vt Apoſtolus 1. Cor. 10. äit) *propter hoc infirmi eſſent multi & dormirent*

multi.

multi. Quod etiam Dei iudicium in ſequentibus ſæculis demonſtratum fuit. Nam & preſbyterum quendam in mortali peccato celebrantem à dæmone correptum meminit Gregorius in Dialogis, & Diaconum quendam celebranti S. Epiphanio aſtantem, quod nocte præcedenti cum vxore dormierat, lepra in fronte percuſſum, ſcribitur in Epiphanij vita. Huc pertinet exemplum Ozæ qui temerè tangendo arcam, *percuſſus eſt ſuper temeritate ſua*. Huic etiam qui vmbræ deſeruiebant dum vice ſua fungerentur, ab vxorum conſortio, abſtinebant. Hinc ſacerdotum etiam celibatus à Spiritu Sancto in Eccleſia inſtitutus eſt. Propter, inquam, ſacrificij dignitatem. Colligit hoc ex Apoſtolica doctrina Origenes. Dicit Apoſtolus, *nolite fraudare inuicem niſi* (1. Cor. 7.) *fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi. Vnde* (Hom. 23. in Numeros.) *videtur mihi quòd illius eſt ſolius offerre iuge ſacrificium, qui iugi & perpetuæ ſe vouerit caſtitati.* Idem docet D. Hieronymus. (Contra Iouin. lib. 1.) *Si laicus & quicumque fidelis orare non poteſt, niſi coniugali careat officio, ſacerdoti cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper eſt orandum, ſemper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege qui pro populo hoſtias offerebãt, non ſolum in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur ab vxoribus ad tempus ſeparati, & vinum & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem prouocare.* Idem planè diſputat D. Ambroſius in 1. Timo. 4. & poſt eum Innocentius primus ad (Epiſt. 3, c. 1.) Exuperium. *Quibus orandi & ſacrificandi iuge*

officium

officium eſt, ſemper debent à fœminarum conſortio abſtinere. Rurſum propter vitæ ſanctitatem ratione ſacrificij debitam, conceſſum eſt (vt ſcripſit Apoſtolus) *vt qui altario deſeruiunt, viuant de altari. Sic & Dominus ordinauit, vt de Euangelio viuant qui miniſtrant Euangelio*, idque adeò ſanè, vt quum Apoſtolus diſertè iubeat, *vt qui non vult operari non manducet*, id tamen ad eos *qui altari deſeruiunt*, ne ipſos quidem Monachos vllo modo pertineat. Sic enim qui ocium Monachorum ex propoſito confutabat, ſcribit hac de re D. Auguſtinus. *Fratres noſtri ſi Euangeliſtæ ſunt, ſi miniſtri altaris ſunt, ſi diſpenſatores ſacramentorum, iſtam ſibi non arrogant, ſed planè vindicant non laborandi poteſtatem.* Hoc ita olim obtinuit, hoc inquam vt ex altario viuentes, ſoli altari deſeruirent (vnde clericos Sportulantes vocauit antiquitas) *vt ne hæreditates clerici caperent, lege Principum etiam Chriſtianorum & Catholicorum prohiberetur*, vt ſcribit Hieronymus & *eum qui rerum ſuarum curatorem clericum teſtamento reliquerat, à participatione precum excluderet*, Cyprianus.

1. Cor. 9

2. Theſſal. 3

Lib. de opere Monachorum cap. 21.

Ad Nepotianum.

Libro 1. epiſt. 9.

Quòd ſi iam ad ipſum ſacrificandi finem ſpectemus, qui eſt totius mundi ſalus, qualem demum putamus hunc eſſe oportere, qui pro omnibus mediator exiſtit? Sic enim multi doctiſſimi Patres loquuntur, tametſi B. Auguſtinus propter Donatiſtas, qui in baptiſantis ſanctitate vim Baptiſmi ponebant, cum loquendi modum refugiat. Sic imprimis Chryſoſtomus. Eam (inquit) *qui pro ciuitate tota, quid dico*

3. A parte finis.

Chryſoſt. libro 6. de ſacerdotio.

ciuitate, imò verò pro vniuerſo terrarum orbe legatus intercedit, Deprecatorque eſt apud Deum, vt hominum omnium non viuentium modo, ſed & mortuorum peccatis propitius fiat, qualem quæſo eſſe oportet? Equidem neque Moyſis, neque Heliæ fiduciam fore vnquam ſatis putauerim ad ſupplicationem huiuſmodi peragendam, quandoquidem quaſi mundus illi vniuerſus concreditus, atque adeò omnium ſit pater, ſic ad Deum ipſe accedit, deprecans quicquid vbique bellorum eſt, extingui, turbas ſolui, atque in horum locum pacem ac fælicem rerum ſtatum, ſuccedere. Porro illum ipſum oportet tantò omnibus in rebus iis præſtare pro quibus intercedit, quantò par eſt vt ſubditos præfectus, excellat. Et paulò poſt. *Luminis inſtar vniuerſum orbem illuſtrantis,*

Sacerdotes mediatores inter Deû & homines *ſacerdotis animum ſplendeſcere, oportet.* Hinc etiam alibi idem Chryſoſtomus, *medium* vocat *Sacerdotem inter Deum & humanam naturam: illinc venientia beneficia ad nos deferentem, & noſtras petitiones illuc perferentem, Dominumque iratum vtrique naturæ reconciliantem, & nos qui offendimus ex illius quaſi manibus, eripientem.* Denique & alio in loco dicit. *Præſunt ob eam rem Sacerdotes, vt populi orationes quæ infirmiores per ſe ſunt validiores illas complexæ, ſimul in cælum ferantur.* Nempe hoc eſt, quod ſcribit Hieronymus, *Sacerdotem in noui teſtamẽti ſacrificio ſequeſtrum eſſe Dei & hominum.* Hoc eſt quod ſcribit Auguſtinus, *in hoc ſacrificij tempore, Antiſtites velut aduocatos, ſuſceptos ſuos miſericordiſſimæ offerre poteſtati.* Hinc etiam (vt ante audiuimus) præcipuum eſſe Sacerdotis officium ait Gregorius Nazanzenus, *vt mediationem inter Deum*

De verbis Eſaiæ Homil. 5.

Homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura.

In Malach. cap. 1.

Epiſt. 59.

In apologetico.

Deum & homines ſuſcipiat. Cui alius etiam ſubſcribens Gregorius, *quid aliud* (inquit) *Antiſtes ad Dominum niſi pro delictis populi interceſſor, eligitur?* Hinc etiam ſcripſit Cyprianus, *ſacerdotibus maior labor incumbit, in aſſerenda, propitianda, procuranda Dei maieſtate.* Epiſt. 18. Libro 1. epiſt. 3.

Neque enim etſi ſacrificium ipſum maximam apud Deum vim habeat, ex ipſo (vt loquuntur ſcholaſtici) opere operato, tamẽ operantis ſacerdotis, aut nulla, aut exigua, hic pars eſſe cenſenda eſt. Sacrificium enim Miſſę, ſeu actio tota ſacrificalis, non rem tantum oblatam dicit, non ipſum præciſè Corpus & ſanguinem Chriſti, ſed hęc quatenus certo & ſolenni ritu Deo offeruntur, itemque ad certum vſum ac finem offeruntur. Ac ſacrificij quidem huius Diuiniſſimi ratio nec à ritibus & ceremonijs adiunctis, nec ab ipſius ſacrificantis blanda aliqua ac deuota ſupplicatione, ſed à ſola elementorum conſecratione, quà hoſtia conficitur, Deoque ſiſtitur, vim ac naturam ſuam accipit. Atqui vſum eius ac finem quum reſpicimus, vt hac confecta oblataque Deo hoſtia, aliquid à Deo impetremus, hîc verò ſacrificantis actio, pietas, deuotio, blanda & ſupplex obſecratio, plurimum valent. Quamuis itaq; res ſacrificata & per hoc Deo oblata infinitæ ſit virtutis, non tamen cuiuſuis ſacerdotis ſacrificalis actio, paris etiam & infinitæ ſemper virtutis erit. Sed certus eſt applicationis gradus operi ſacerdotis annexus,

ſicuti & deuotioni quoque ipſorum pariter offerentium; id eſt, ad oblationem illam à ſacerdote factam, pijs votis ac deſiderijs concurrentium. Quemadmodum enim, etſi Sacramentum ipſum infinitæ virtutis ſit, tamen nõ niſi dignius ſumentibus magis prodeſt; & quemadmodum ſacrificium Chriſti in cruce ſufficientiſſimum fuit ex ſe vt omnium peccata deleret, efficax tamen non eſt niſi per ſacramenta, & per hoc maximè ſacrificium; Denique quemadmodum vt fiat omninò ſacrificium operantis ſacerdotis intentio neceſſaria eſt; ita planè, vt ad certos vſus ac fines magis profit ſacrificium, vt magis ſit efficax, deuotio ſacerdotis plurimum facit. Eſt enim hoc ſacrificium non commemoratio tantùm, ſed & applicatio paſſionis Chriſti, per miniſterium ſacerdotis. Ideo ſic ſcripſit Gregorius.

Homil. 37. in Euangel. *Quoties Chriſto hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram, paſſionem illius reparamus.* Et alibi. *Penſemus*, inquit, *quale pro nobis ſit*

Dialog. lib. 4. cap. 58. *hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſſionem vnigeniti filij ſemper imitatur.* Chriſti autem ſacrificium non ex ſola rei oblatæ dignitate; ſed propter perſonam offerentem, Deo erat gratiſſimum, qui

Hebr. 9. *emittens praeces cum clamore valido, exauditus eſt pro reuerentia ſua.* Ideo qui per hoc ſacrificium beneficia à Deo conſecuti ſunt, non ſine multis & magnis precibus, id ſunt conſecuti. Narrans Auguſtinus domum cuiuſdam viri tribunitij à malignis ſpiritibus liberatam,

ratam, per ſacerdotis cuiuſdam ſui oblatum ſacrificium, ſic ſcribit. *Perrexit vnus ex noſtris. Obtulit ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit, vt ceſſaret illa vexatio.* Et hæc demum cauſa eſt, quod deuotionem & ſanctitatem in offerente SS. Patres imprimis deſiderant. Non quidem quòd ad ſacrificij huius intrinſecam rationem illa ſpectet, ſed quòd ad vſum atque finem eius magnam vim habeat. Gregorius his verbis. *Qui paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis* (id eſt nobis vtilis atque propicia) *hoſtia erit Deo, quum nos ipſos hoſtiam fecerimus.* Sic & Chryſoſtomus. *Quum ille & Spiritum S. inuocauerit, ſacrificiumque illud horrore ac reuerentia pleniſſimum perfecerit, communi omnium Domino manibus aſſiduè pertractato, quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? quantam ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Quales enim manus illas adminiſtrantes eſſe oporteat, qualem linguam, quæ verba illa effundat, qua denique re non puriorem eſſe conueniat animam, quæ tantùm illum tamque dignum ſpiritum ceperit?* Quod autem docuit, hoc & fecit. Acceptis enim accuſatoriis cuiuſdam Epiſcopi libellis, aduerſus alium coepiſcopum & vehementer eum vrgente accuſatore, cum tempus inſtaret celebrandi Diuini ſacrificij, alios quidem iubet Diuina dona offerre, ipſe autem abſtinet; non iudicans eſſe ſanctum, quum aures incubuerint, in talium rerum cogitatio-

De Ciuit. Dei lib. 22. cap. 8.

Dialog. lib. 4. cap. 59.

Lib. 6. de ſacerdotio.

Simeon Metaphraſtes in vita eius.

nem,aſſiſtere ſanctificatis. Hæc SS. Patrum tum religio,tum doctrina,fuit.

Grauiter & frequenter Sacra ſcriptura hāc ſacerdotum pluſquam ſacrilegam impietatē, qua ad Sacroſancta non ſanctè accedunt, execratur. *Ad vos o ſacerdotes* (clamat Mala-
Malach 1. chias) *qui deſpicitis nomen meum & dixiſtis, in quo deſpeximus nomen tuum? Offertis ſuper altare meum, panem pollutum, & dicitis,in quo polluimus te? In eo quod dicitis,menſa Domini deſpecta eſt.Si offeratis cæcum ad immolandum,nonne malum eſt? & ſi offeratis claudum & languidum, nonne malum eſt? Offer illud Duci tuo ſi placuerit ei,aut ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.Corripit ſermo Diuinus* (ait
In coment. ibidem. in hæc verba Hieronymus) *Epiſcopos & Presbyteros atque Diaconos negligentes.* Et paulò poſt. *Polluimus panem,id eſt,Corpus Chriſti, quando indigni accedimus ad altare, & opera peccatorum deſpiciunt menſam Dei.* Nec execratur tantum ſcriptura, ſed & adijcit, huiuſmodi ſacerdotum benedictiones,in maledictiones eſſe vertendas. *Ad vos ó ſacerdotes, ſi nolueritis audire vt detis gloriam nomini meo, mittam vos in egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris.* Hoc enim de Sacerdotibus noſtris intelligi etiam debere,docēt poſt B.Cyprianum,S.Hieronymus.Ille lib.1. epiſto.3.hic in Commentarijs in eundem locum. Ex quibus ſanè intelligimus,non ipſi tantum ſacerdoti noxiam eſſe hanc circa ſacrificij cultum negligentiam, ſed ad ipſum quoque populum eam redundare. Populus quidem ſuæ

devotio

deuotionis fructum non amittit, ſed ſpirituali preterea lucro, quod ex deuotione offerentis accedere debuit, priuatur. Qua in re ob luculentam iniuriam populo factam, iterum peccat ſacerdos. Olim poſtquã Leuitę pacificas hoſtias diſtribuiſſent vniuerſæ plebi, *ſibi & ſacerdotibus poſtea parauerunt*; nam in oblatione Holocauſtomatum & adipum vſque ad noctem, ſacerdotes fuerunt occupati. Vnde Leuitæ ſibi & ſacerdotibus filijs Aaron parauerunt nouiſſimis. Quantò magis noui teſtamenti ſacerdotes, plebi proſpicere debebant. Debet enim *noſtra iuſtitia, illam ſcribarum & phariſæorum ſuperare*. Et data eſt hæc *manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*, aliorum ſcilicet. *Nos enim* (ait Auguſtinus) *quos in Eccleſia ſua Præpoſitos conſtituit Chriſtus, duo quædam habemus; Vnum, quòd Chriſtiani ſumus, alterum, quod præpoſiti ſumus. Illud quod Chriſtiani ſumus, propter nos eſt, quod autem præpoſiti ſumus, propter vos eſt, & vtilitatem veſtram.* Hoc eſt quod Apoſtolus iubet *præpoſitis obedire, quia ipſi peruigilant pro animabus rationem reddituri*; ſanè non doctrinæ tantùm vſu, ſed & Orationis fructu. Ex hac ergo fructus deperditi iniuria populo facta, grauiter Rei ſunt coram Deo, ſacerdotes. Atque hæc ſunt tum pauca, tum paucis delineata potiùs & adumbrata, quàm pro eorum dignitate ac grauitate expreſſa rerum capita, quibus quale & quantum Sacerdotis, officium ſit, ex ea tantum parte, qua ſacrificandi munus in Eccleſiã

2. Paralip. cap. 35.
Matth. 7.
1. Cor. 12.
Libro de Paſtoribus cap. 1.
Hebr. 13.

Chriſti profitetur & exercet, intelligere & aduertere Sacerdos omnis Chriſtianus, poteſt ac debet.

DE BONI SACERDOTIS OFFICIO QVATENVS SACRAMENTOrum diſpenſator eſt, alijſque docendis præeſt.

Oratio Catechetica Duaci habita.

Luc. 16. QVon Redemptor noſter in Euangelio dicit (Auditores) *Filios huius ſæculi prudentiores eſſe in generatione ſua, quā ſint filij lucis*, id neſcio quo modo in rebus adeo omnibus tam politicis ac ciuilibus quā ſacris & diuinis hodie obtinet, vt quum non aliam ob cauſam in hunc mundum venerit filius Dei, quàm *vt diſſoluat opera diaboli* (vt D. 1. Ioan. 3. Ioannes ſcripſit) & ipſemet Chriſtus dicat, *Vidi Satanam cadentem de cælo ſicut fulgur*, videa- Luc 10. tur tamen etiam in ſacratiſſimarum rerum functione, in muneribus & officijs diuinis, in perſonis Diuino miniſterio conſecratis, plus valere Satan quam Chriſtus, fortior eſſe diabolus quam Deus: In alijs autem & officijs & perſonis quæ quidem in ciuili politia verſantur, nihil ſanè quod ad ſeculi prudentiam attinet deſiderari, obſeruari in omnibus illud τὸ πρέπον & decorum, prudenter vniuerſa & ex arte adminiſtrari. Etenim nec trunco ac ſtipiti

piti magiſtratum publicum aut præturam ciuitatis, vel populus vel Princeps committit, nec niſi in Iure conſultiſſimos atque prudentiſſimos pariter & æquiſſimos viros pro tribunali ſedere, aut cauſis iudicandis præeſſe videas: nec imperitum aut inexpertum Medicum aduocabit vnquam eger vt ſanetur, nec denique (nam ire per ſingula longum eſt & nihil attinet) vel nauigationis impatiens mercaturam exercere, vel ocioſus, & delicatus agrum colere, vel ad ſtudia & literas natus miles fieri, & inter tela & arma verſari vnquã volet, ac ne quidem vocatus & impulſus perſuadebitur. Adeo circa res omnes prudentes ſunt filij huius ſæculi in generatione ſua, vt nihil inuita Minerua faciant, & preclarè illud retineant, quod dici ſolet. *Non ex quolibet ligno fit Mercurius.* In ſolis autem ſacris & Diuinis functionibus, ac ſi quo quidque ſacratius & Deo vicinius eſt, eo deſpicabilius haberi debeat, ita nos ingerimus; ita non tam ab alijs quibus oportebat impoſitas ſuſcipimus, quàm etiam ſępius negatas arripimus, vt verum illud hodie ſit, quod de ſuo tempore ſcripſit Nazanzenus. *Illotis (quod dicatur) manibus ac mentibus profanis, ſacratiſsimis ſeſe rebus ingerunt, gradumque ſibi vendicant, haud ſecus, quam ſi hunc ordinem non virtutis exemplar, ſed occaſionem & materiam quæſtus, nec miniſterium legitimum, ſed Principatum quendam in quem inquirere non liceat, eſſe putent.* Vtinam hæc hodie, vera non eſſent. Vtinam plærique

In Apologetico.

rique noſtrum qui ad ordinem ſacerdotalem aſpiramus, aut eum iam adepti ſumus, non id magis ſpectaremus, vt commodè & honorificè viuamus, vt priuilegijs & immunitatibus gaudeamus, vt in ocio ac tranquillitate agamus; quàm vt legitimè miniſtremus, vt opere & ſermone alios ædificemus, vt oremus, obſecremus, poſtulemus, verique pro tota fideliũ plebe interceſſores, ac (quod noſtri muneris proprium eſſe dixit poſt * Nazanzenum, Chryſoſtomus) Mediatores quidam eſſemus. Minus profectò hæc hodie eſſet oratio noſtra neceſſaria; nec tam ingrata rerum commemoratione pios Auditorum animos onerandos putarem. Nunc autem facit horum temporum nimis indigna & deplorata rerum facies, vt in eo quod cæpimus pergentes, ſacerdotis adhuc munus atque officium, cuius in poſtrema catecheſi primas tantum lineas duximus, plenius deſcribamus: & ſi quidem fieri id à nobis poteſt, exactam tandem eius effigiem in medium proferamus. Qua ſanè in re ſi nihil profecerimus, ſi vtcumque nobis vociferantibus, *non mutabit Aethiops pellem ſuam, nec diſcent benefacere, qui malefacere cæperunt*, ſaltem officio noſtro ſatisfecerimus, atque eos quibus libet alieno periculo cautos eſſe, & aliena (vt dicitur) frui inſania, plurimũ iuuerimus. Illud quoque conſequemur, vt cognoſcant pij omnes (quod quidem vniuerſis bonis perſuaſiſſimum eſſe vellem) improbos hos & indignos

*Vide orat. præced.

Iere.13.

dignos Eccleſiæ miniſtros nullo modo ab Eccleſia probari, licet interdum propter maius malum vitandum tolerantur; nullo modo bonis & doctis viris placere, licet huiuſmodi maculis cogantur conniuere. *Etenim*(vt ſcripſit Nazanzenus) *etſi malorumború progreſſum ſiſtere vires noſtras ſuperat, attamen odio illa proſequi & de illis erubeſcere, non minima pietatis pars eſt.* Itaque portenta hæc hominum (neque enim homines dixerim) qui partim totius rei Theologicæ ac ſacrarum literarum ignari, partim in omne nefas ac ſcelus diſſolui, ſacerdotalem ordinem ambiunt & arripiunt, odio quidem habemus, ſed perfecto: nec ordinem, nec perſonas, ſed ipſa hominum peccata & flagitia deteſtantes; erubeſcimus quoque de illis, ſed ita vt magis doleamus, quàm inſultemus. Denique ſunt hę repræhenſiones diſſoluti & ignaui cleri, quas docendo aut monendo facimus, non morſus ſerpentini ſed gemitus columbini; nec hoſtilis exagitatio, ſed correptio fraterna ac diſciplina his temporibus neceſſaria. Pergamus itaque & quem ac qualem ſacerdotem eſſe oporteat, vt data ſibi poteſtate legitimè vti queat, magis adhuc & magis diſpiciamus. Vos autem diligenter quæſo, quod & facitis, animiſque libentibus, attendite.

In Apologetico.

Qualis eſſe debeat qui altari ſeruit, in poſtrema catecheſi diximus. Nempe hoc nomine & ad hoc munus, ſingularem vitæ ſanctitatem requiri. Sed quid? An alia quæ adminiſtrat

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ſtrat ſacerdos vulgaria ſunt, vt in cætera quidō functione, quis qualiſue is ſit qui miniſtrat, minimè interſit? Eſt quidē ita quod in ſacramētorū adminiſtratione quę altera pars ſacerdotalis poteſtatis eſt, ad vim ſacramenti nihil attineat; bonus ne an malus miniſter ſit, nec à miniſtrorū aut virtute aut vitio ſacramentorū vis pendeat: ipſorum tamen ſacerdotum plurimū per omnem modum intereſt. Quod iam in vniuerſum primò videamus. In quolibet ſacramento, qui miniſtrat debet ab omni ſcelere immunis eſſe, debet Spiritum ſanctum vt dare alteri, ita & habere ipſe. Declarat hoc
Contra Parmen. lib. 2. cap. 11. dilucidè alicubi D. Auguſtinus. *Spiritus Sanctus in Eccleſiæ præpoſito vel miniſtro ſic ineſt, vt ſi fictus nō eſt, operetur per eum Spiritus Sanctus, & ad eius mercedem in ſalutem ſempiternam & ad aliorum regenerationem vel ædificationem qui per eum ſiue conſecrantur, ſiue euangelizantur. Si autem fictus eſt, quoniam veriſſimè ſcriptum eſt, Spiritus Sanctus effugiet fictum, deeſt*
Sap. 1. *quidem ſaluti eius, vt auferat ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, miniſterium tamen eius non deſerit, quo per eum ſalutem operetur aliorum.* Expreſſit hoc
1. Cor. 9. Apoſtolus quum diceret, *Si volens hoc facio, mercedem habeo, ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt*, id eſt, illis prodeſt quibus hoc diſpenſo, nō mihi qui fictus ſum, qui inuitus ago. Quid eſt autem inuitum facere? & quid volentem? vt hinc ſciamus qualis debeat eſſe ſacramentorū miniſter, & quid non debeat eſſe. Vtrumq; eodē in loco explicat pulchrè S. Auguſtinus.

Qui

Qui facit propter commoda gaudiaque carnalia, quæ ſi aliter habere poſſet, illud officium deſereret, ipſe vtique fictus eſt, ideoque inuitus facit: eius tamen prodeſt erga quos facit, ſe autem à mercede ſalutis alienat. Sic Petrus. *Non turpis lucri gratia, ſed voluntariè. Quia* 1.Petr. 5.
verò non erat talis Apoſtolus, ſed talis potius vt volens faceret, id eſt gratuitam gratiam pietate caſti cordis erogaret, & mercedem ſuam & ſalutem aliorum per eum Spiritus Sanctus operatus eſt. Debet ergo ſacerdos gratiam hanc gratuitam, & gratis datam poteſtatē, ſola pietate caſti cordis erogare. Non propter huius vitę commoda, *non ex contentione & inuidia* (vt de quibuſdam conquæritur Apoſtolus) *ſed propter bonam voluntatem, Chriſtum* Philipp. 1.
prædicare: & (quantum in ſe eſt) *gratis Euangeliū ponere*, vbi Euangelij nomine, omne Euange- 1.Cor. 9.
licum miniſterium complectitur Apoſtolus. Hinc vocatur legitimus miniſter Dei in Euāgelio, *ſeruus bonus & fidelis*, non fidelis tantū, vt vere adminiſtret, ſed etiam vt bonus ſit, Luc. 19.
multū que lucri ex acceptis talentis reportet. Hinc ſcripſit Ieremias. *Maledictus qui facit opus* Ierem. 48.
Domini fraudulenter, vel vt leguut 70. & græci Patres, ἀμελῶς negligenter. Neque enim ſola mercede caret qui in peccato adminiſtrat, ſed etiam pænam ſacrilegij incurrit: Vnde Augu- Vbi ſupra
ſtinus. *Omnia Sacramenta quum obſunt indignè tra-* cap. 10.
ctantibus, per eos tamen proſunt dignè ſumentibus. Debet ergo Sacramentorum miniſter, vt ei hoc miniſterium proſit, *ſola pietate caſti cordis erogare*, id eſt, ſolo Dei amore. Debet ſanctè & religioſe

religioſè affectus eſſe; id eſt, non eſſe in peccato mortali; ne à ficto fugiat Spiritus Sanctus. Debet etiam *non negligenter*, id eſt, reuetenter ad hoc munus accedere. Atque hæc quidem omnium Sacramentorum adminiſtrationi, neceſſaria ſunt.

Quod ſi iam ad ſingula libet deſcendere, in Baptiſmi miniſterio, quo nos regenerant ſacerdotes, quanta illos par eſt eſſe ſanctitate? Cenſentur hoc nomine Patres noſtri, Sacerdotes, idque multo tum verius tum excellentius, quam qui nos ex carne generant parentes: *Reuereamur* (ait Chryſoſtomus) *diem illum, quo illuminati à ſacerdotibus ſumus. Patrem qui habet, etiamſi mille patiatur incommoda, tamen omnia patris ob reuerentiam contegit. Longè hoc magis, in patre ſpirituali faciendum eſt.* Vide eundem hoc latius diſputantem lib. 3. de ſacerdotio. *Abſit* (inquit Hieronymus) *vt de ijs aliquid ſiniſtrum loquar, per quos Chriſtiani ſumus.* Si ergo propter hoc miniſterium, tantus illis honos debetur, viciſſim ſpectare ſacerdotes debent, ne quicquam hoc honore indignum, perpetrent. Prohibet ſcriptura, *ne Patres hilarem faciem oſtendant coram liberis.* Quantò magis ſacerdos à morum leuitate, à commercijs & compotationibus vulgarium hominum, penitus abhorrere debebat? & illud Pauli meminiſſe, *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Sed nolumus his leuioribus immorari, quanquam ſanè nihil leue eſt, quod in Chriſti nomine ac

Homil. 2. in 2. ad Timo.

In epiſt. ad Heliodorū.

Eccle. 7.

Philip. 4.

ne ac perſona, geratur.

Ad Sacramentum penitentiæ veniamus. Hic bone Deus qui vir & quantus, Miniſter eſſe debet? Primum enim vt ſummam illam & plus quàm Regiam poteſtatem exerceat, quæ eſt in remittendis peccatis, quanta vitæ ſanctitas huic poteſtati reſpondere debebat? *Rex aliquis*(ait Chryſoſtomus) *ſi cuipiam ex ſubditis ſuis hunc honorem detulerit, vt poteſtatem habeat, quoſcumque dignos cenſeat, in carcerem conijciendi, eoſdem rurſus laxandi, beatus ille & admirandus omnium iudicio fuerit. Hic verò tantus ac talis ſi ſordidus & pannis obſitus procederet, aut etiam temulentus ac delirus quiſpiam eſſet, Regis quidem propter Imperium, ei iubenti pareretur à bonis ſubditis: interea tamen, & ipſe Princeps in huiuſmodi miniſtro plurimũ dehoneſtaretur, & miniſter ipſe peſſimè de ſuo Principe mereretur.* Lib. 3. de ſacerdotio. Planè enim ſummum dedecus eſt, vt qui ſumma poteſtate vtuntur, pro eius poteſtatis dignitate, non agant. Hic autem quia cæleſtis, quia ſpiritualis poteſtas eſt, ideo decore omni & ſplendore ſpirituali reſplendere ac relucere oportet, ea poteſtate præditos.

Hic itaque & hoc iam loco tractemus, qualis ſacerdos vel hoc ſolo nomine eſſe debeat, quod alijs præſit, partim quidem hac ſumma poteſtate fungendo, partim etiam dicendo, & viam veritatis alijs demonſtrando. De quo * poſtea. Primùm itaque ſacerdotis qui alijs præſunt, nulli ſceleri affines eſſe debent. * Orat. Catechet. ſeq. Itaque primo hoc loco Apoſtolus ponit.

Oporo

1.Timo. 3. *Oportet*, inquit, *Epiſcopum irrepræhenſibilem eſſe*: Epiſcopi nomine quoſuis Eccleſiæ præpoſitos intelligit, vt poſt Hieronymũ in caput 1. ad Titum, docet Chryſoſtomus in hunc locum. Neque enim olim nomine, iſta diſtinguebantur, licet re. Irrepræhenſibilis autem ἀνεπίληπτος eſt, qui crimine vacat, non culpa ſcelere & flagitio, non vulgari & leui peccato, ſine quo hæc vita non ducitur. Ratio autem in ipſo Apoſtolico verbo comprehenditur, ne videlicet, incidat in repræhenſionem aliorum, atque ita ſcandalo, peſſimoque exemplo, ſit alijs. Hoc ſæpiſſimè ſcriptura; hoc & Sancti Patres diligenter notarunt. *Dominatores eorum iniquè agunt, propter hoc blaſphematur nomen meum inter gentes.* Et Chriſtus Apoſtolis. *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit, ad quid valebit vltra, niſi vt proiiciatur foras & conculcetur ab hominibus.* Ideo Principum peccata grauius puniuntur. Dauidi remiſſo adulterio & homicidio, *verumtamen*, inquit Nathan, *quia blaſphemare feciſti inimicos nomen meum propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur.* Moyſi quoque & Aaron dicitur. *Quia non ſanctificaſtis me coram Iſrael, propter hoc nõ inducetis congregationem hanc,* &c. *Neque enim* (vt pulchrè ſcribit Nazanzenus) *tam facilè vel peſtis graſſatur in aerem vicinum, vel incluibilem tincturam pannus recipit quàm procliue eſt vt ſubditorum animos, præpoſiti malitia repleat.* Et hoc Propheta Aggæus inſinuaſſe videtur. *Si tetigerit pollutus in anima carnem ſanctificatam,* &c.

Sacerdotis quatenus alijs præeſt officia.

1. Crimine carere.

Eſai. 52.

Matth. 5.

1. Reg. 12.

Numer. 20.

In Apologetico.

Agge 2.

contaminabitur. Etenim bonum humanæ naturæ difficile acquiſitu, eſt quaſi ignis ex humida materia eliciendus. Idcirco quum ne optimi quidem præpoſiti niſi difficulter ad pietatem ſubditos trahant, quid fiet quum mali retrahunt? Nempe hoc eſt quod Saluator dicit, *iugum importabile alienis humeris eos imponere*: Fit enim vt graue & importabile videatur, quaſique factu impoſſibile, quum eos hæc negligere videant, qui tantopere ea eſſe facienda, clamitent. Sic Theophilactus in hunc locum. Quid, quod vna ſcabioſa ouis citius vniuerſum gregem infecerit, quam centum ſanæ, vnicam malè habentem, ſanauerint? Quantò magis paſtor ipſe tabe putrida infectus, omnes ſuo exemplo corruperit? Et damnatur ille ab Apoſtolo, *per quem infirma conſcientia fratris percutitur.* Rurſum, *modicum abſynthij amaritudinem ſuam melli celerrime indit; mel verò dulcedinem ſuam abſynthio, etiam duplicatum non facilè ingerit. Modicus quoque calculus ſubtractus, totum fluuium in decliuia diſtrahit, quum è contra vix illum robuſtiſſimum munimentum ſiſtat.* Adeò in rebus omnibus citius quid faciliuſque deſtruitur, quàm erigitur. Multò autem hoc magis in corrupta hac hominum natura accidit, vt modicam malitiam vbertim quis in ſe citius recipiat, quam copioſam virtutem, paulatim imbibat. Hinc væ illis Saluator alioqui manſuetiſſimus, intonat, *per quem ſcandala.* Quod ſi in quouis de plebe locum habet, multo ve-

Matth. 23.

1. Cor. 8.

Nazanzenus in Apologetico.

Matth 18.

tò vehementius in Eccleſiæ præpoſitis. Nam & ſcandalum latius ſerpit vt pote in conſpicuo poſitum, & ingratitudo maior committitur. De ſcandalo iam dictum eſt; cui illud addi poteſt quod ratio ſuadet. *Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe crimen habet, quantò maior qui peccat, habetur.* Quare *ſacerdotis peccata, licet parua, alijs tamen magna videntur, tum quia magis conſpicua ſunt, tum quia facilè plebs ſacerdotem accuſat, ſit autem ſic vt tardi ad virtutem negligentiores fiant: induſtrij quodammodo deſperent.* Hæc Chryſoſtomus.

Lib. 3. de ſacerdotio.

Nunc de ingratitudine dicemus. Hanc vehementer exprobarat Iſraelitis Deus, quum eos deſtructurus eſſet. Multis enim enumeratis beneficijs, addit. *Et ſuſcitaui de filijs veſtris in Prophetas, & de iuuenibus veſtris Nazareos, qui mihi ſancti eſſent: Nunquid non ita eſt filij Iſrael?* Et rurſum ſequenti capite. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ. Iccirco viſitabo ſuper vos omnes inſquitates veſtras.* Et ne hæ comminationes tantum ad terrorem viderentur, ante Prophetas, in lege decreuit, vt *pro peccato ſacerdotis vitulus offerretur*, qui idem pro totius populi peccato, offerebatur. Nam pro Principis alicuius è populo peccato Hircus, pro cuiuſuis de vulgo, capra offerebatur. *Oſtendere volens* (ait Chryſoſtomus) *hominum peccata longè maiori ſupplicio expiari, dum à ſacerdotibus, quã dum à priuatis fiunt, mandat vt tantundẽ pro ſacerdotibus, quantum pro vniuerſo populo, ſacrificium offeratur.*

Amos 2.

Amos 3.

Leuit. 4.

Lib. 6. de ſacerdotio.

offeratur. Illuſtre autem diuinæ irę exemplum erga peccantes ſacerdotes, eſt in Heli & filij eius. Quum enim per peccata illorum, vt ait ſcriptura, *Detraherent homines ſacrificio Domini*, primum per Samuelem eos terret Dominus, dicens, *loquens locutus ſum, vt domus tua & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo, nunc autem abſit hoc à me, ſed quicumque honorauerit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Poſtmodum verò vno & eodem die, *occiſi ſunt Ophni & Phinees filij, mortuus eſt Heli pater cum nuru, & capta eſt arca Domini à Philiſteis, cæſis Iſraelitorum, 30000.* Pariter per omnes Prophetas, ſacerdotibus comminatur Deus, quæ *quia ſcripta ſunt in correptionem noſtram*, commemorare non pigebit. *Audite ſacerdotes* (ait Oſeas) *quia vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & ſicut rete expanſum ſuper Thabor*, ad hoc videlicet conſtructum, vt animæ hominum capiantur. *Propterea ſuper vos effundam quaſi aquam iram meam*, Similiter & Michæas. *Principes* (inquit) *eius in muneribus iudicabant, & ſacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant, & ſuper Dominum requieſcebant, dicentes. Nunquid non Dominus in medio noſtrum?* Quod hodie auari & ſordidi ſacerdotes faciunt, putantes ſe veluti in tuto eſſe, eo quòd Dei miniſtri ſunt, ideoque ſe à ſalute excidere non poſſe, aut à Deo non deſerendos eſſe. Acrius adhuc Malachias. *Ad vos o ſacerdotes. Si nolueritis audire, vt detis gloriam nomini meo, mittam vos in egeſta-*

1.Reg.2.
1.Reg 4.
1.Cor, 10.
Oſe. 5.
Mich 3.
Malach. 2.

egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris. Quis
Zachar. 2. 3. & 5. verò *Zachariæ falcem* non perhorreſcat, *& funiculum illum menſorum, quo metitur Hieruſalem*, aut *volumen illud volans & expanſum*, quę eſt maledictio egrediens ſuper faciem terræ, *propter peccata ſacerdotum & Principum* Iudá? quorum ruinam poſtea deplorans, ait. *Vlula abies, quia cecidit cedrus, quia magnifici tui vaſtati ſunt. Vox vlulatus Paſtorum, quia vaſtata eſt magnificentia eorum.*
Zachar. 11.
Ierem. 1. Denique illam Ieremiæ *virgam vigilantem & illam ſuccenſam* quis non formidet, quæ & celerem & vehementem Dei iram denuntiat, ad diſperdenda Regna & ad diſſipanda Principum & potentum ſuperba facta? Hoc poſtremo illud eſt, quod grauiſſimè ſcripſit Apoſtolus Petrus. *Iudicium incipiet à domo Dei.* Tantæ
1. Petr. 4. videlicet molis eſt, vt irrepræhenſibilis ſit, & ab omni ſcelere immunis, qui præpoſitus alijs
In Orat. quum preſbyter eſſet eſt. *Etenim* (vt eleganter ſcripſit B. Chryſoſtomus) *quemadmodum in texendis coronis non ſatis eſt flores ipſos eſſe puros & viuidos, niſi pura ſit & manus contexens, ita ſanè in ſacris officijs obeundis, non ſatis eſt verba eſſe pura & veritatis plena, verumetiam & animum ea proferentem, purum quoque eſſe conuenit.* Hinc blaſphemias non præces vocat Dionyſius mali ſacerdotis Orationes, vt ſuprà accepimus. Poſtremò, quid à familiæ ſuæ præpoſito Deus exigat, & vt ab illo impietatis pęnas ſumpturus ſit, diſertè declarat in Euangelio Saluator, vbi de vniuerſo iudicio diſputaſſet, ſigillatim de ſolis præpoſitis diſſerens.

Quis

Quis (inquit) *eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuus ſuper familiam ſuam, vt det illi cibum in tempore?* Cuius officium & mercedem ampliſſimam quum explicaſſet, ſubijcit. *Si autem dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo, Moram facit Dominus meus venire, & cæperit percutere conſeruos ſuos, manducet autem & bibat cum ebrioſis, veniet Dominus ſerui illius, in die qua non ſperat & hora qua ignarat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis.* Itaque maximè à vita reprehenſibili & ſcandalizante deterrere hoc ſacerdotem debet; cui etiam illud adiunge, quod meritò ſe exhorruiſſe ſcribit Nazanzenus. *Me quoque* (ait) *Phariſæi exprobrati & Scribæ redarguti terrent, quibus quum nos virtute multo ſuperiores eſſe oporteat* (præcipiente Domino ac dicente, *Niſi iuſtitia veſtra*, &c.) *non ſine dedecore per maliciam peiores eſſe videmur.* Sic autem illi reprehenſi ſunt, vt & *ſerpentes & genimina viperarum ac cæci Duces* appellati ſint, *culicem colantes, & camelum deglutientes*, *tum ſepulchra foris dealbata, intus ſordida*, *ac paropſides aſpectu mundæ, quod autem continetur, putet.* Adeo irreprehenſibilis eſſe debet, qui Præpoſitus Eccleſiæ eſt. Matth. 23.

In Apologetico.

Neque verò hoc ad eius officium ſatis eſt, quin & præterea omni virtutum genere ſplendere ac alijs prælucere eum oportet, ad quod quàm ſæpiſſimè hortatur Scriptura. Saluator imprimis apertiſſimè. *Vos eſtis lux mundi. Nemo accendit lucernam & ponit ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Matth. 5.

Sic

Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, vt glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. Hæc ergo prima cauſa eſt; Honor Dei cuius miniſtri ſacerdotes ſunt. Sic Apo-
2.Cor.6. ſtolus Paulus. *In omnibus exhibeamus nosmetipſos, ſicut Dei miniſtros memini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum.* Et rurſum.
2.Timo.4. *Nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſæcularibus; vt ei placeat, cui ſe probauit.* Hæc vt dignè Deo agant. Rurſum propter populi neceſſariam ædificationem, virtutę prælucere debent. Sic
1.Timo.4. Paulus ad Timotheum. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.*
Tit.2. Itidem ad Titum. *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Exemplo enim alios trahere, proprium Paſtoris Chriſtiani eſt. Sic enim voluntariè non coactè paſcuntur, & ad virtutis
1.Pet.5. normam pertrahuntur. Expreſſit hoc Apoſtolus Petrus. *Paſcite* (inquit) *qui in vobis eſt gregem, non coactè ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia ſed voluntariè, neque vt Dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo.* Tunc enim Tyrannice quaſi ad bonum trahuntur, quando ſolo Paſtoris imperio, non item exemplo
In orat. quũ à patre in collegum aſſumptus eſſet. ducuntur. *Nihil autem eſt vtilius aut ſecurius* (ait Nazanzenus) *quam quum volentes præſunt volentibus; & noſtram non tam præſidentium quam inſtitutionem, nihil magis cuſtodit quàm voluntarium. Volentium enim & non coactorum, ſlutis eſt myſterium.*

Neque

Neque verò vulgaris hic aut quęuis vitæ ſanctitas ſufficere exiſtimanda eſt. Sed ea planè eſſe ſanctitate ſacerdotem oportet, quæ vulgus ſuperet, & quoſuis etiam ſibi ſubditos, excellat. Hinc Nazanzenus. *Præpoſitum non ſolum malos typos animo expellere, ſed & meliores imprimere conuenit, ſic vt magis virtute quàm dignitate, ſubditos excellat.* Etenim vt pulchrè & veriſſimè ſcripſit D. Hieronymus: *vehementer Eccleſiam Chriſti deſtruit, meliores laicos eſſe quàm clericos.* Sic enim illud Apoſtoli intelligit; *Nemo te contemnat,* vt ſenſus ſit: *Nemo eorum qui in Eccleſijs ſunt te ſegniter agente ſic viuat, vt ſe putet eſſe meliorem. Qualis enim erit ædificatio diſcipuli, ſi ſe intelligat magiſtro eſſe maiorem?* Hinc videlicet contemptus hodie natus eſt ordinis Eccleſiaſtici.

In Apologetico.

In comment. ad Tit. 2.

Imò adhuc altius ſacerdotem aſpirare conuenit, vt non ſolum reliquo populo melior, ſed vt in omni virtutum genere planè excellat, ſummoque in apice vt honoris ita & virtutis, collocetur. Hinc Nazanzenus. *Nec magni ducere debemus, ſi plebem excellimus, ſed pro detrimento habere, ſi dignitati noſtræ non reſpondemus. Denique ſi quid rectè geſſerimus, non proximorum illud, ſiue mali ſint, ſiue virtute excellentes, ſed mandati comparatione æſtimare, neque exiguis ponderibus virtutem appendere, debitam ter maximo illi, à quo ſunt omnia & in quem deſinunt omnia. Nec enim eadem quibuſuis conueniunt, quemadmodum nec eadem eſt omnibus ætas, nec perſonarum forma,*

In Apologetico.

nec animantium natura, nec ſtellarum claritas, &c. Hinc vt plurimum ex Monaſtica vita ad ſacerdotium rapi olim ſolebant. Sic Baſilius, Chryſoſtomus, Nazanzenus, Auguſtinus, Gregorius Magnus, alijque innumeri. Ad hunc ſanè modum perfecti ſacerdotis & præpoſiti formam exhibens Apoſtolus, de ſeipſo dixit. *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe vnum autem (quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum) ad deſtinatum perſequor.* Sic quidem in genere, qualis eſſe ſacerdos debeat, & is qui alijs præpoſitus eſt, quòd ad vitæ modum attinet: Nam de ſcientia adhuc ei neceſſaria, & intellectus dotibus, nihil dictum eſt. Sed meritò iam quæritur, quænam ſint hæ potiſſimum virtutes, quæ in Eccleſiæ Præpoſito vigere ac relucere debent. At hæc quia longiorem diſputationem requirunt, in proximam Catecheſim reijciemus, vbi etiam de ſcientia ac prudentia præpoſito Eccleſiæ neceſſaria, diſputabitur, ſimulque fauente Deo, Sacerdotem hunc noſtrum abſoluemus.

Philipp. 3.

DE

DE BONI SACERDOTIS VOCATIONE DEBITA, VIRTVTIBVS propriis, totaque perfectione.

Oratio Catechetica Duaci habita.

DE boni Paſtoris ac legitimi Sacerdotis officio (Auditores) ea tandē hodie dicturus, quæ ad eum propriè ſpectent atque pertineant, ſingulas & in ſpecie virtutes illas oratione complexurus, quæ neceſſariò Sacerdotem aut Eccleſiæ præpoſitum omnibus ſuis numeris abſolutū reddant, ampliſſimum profectò dicendi campum ingreſſurus, id ante omnia omnibus perſuaſum velim, rem quidem ipſam, etſi in ſe difficillima, etſi maximorum laborum plena, etſi plurimarum peneque omnium virtutum, ſummæ etiam ſcientiæ atque prudentiæ opus ſit, tamen huiuſmodi eſſe, quæ & præſtari non adeo difficulter poſſit, & à quamplurimis præſtita ſit, & operis ſui præterea tum ampliſſimos in hac vita fructus adferat, tum copioſam in altera vita, mercedē reportet. Et rei quidem ipſius quanta ſit difficultas, quam multiplex labor, accuratè mox & copioſè docebimus. Eam tamen præſtari non adeo difficulter poſſe, modo ita comparatus quis accedat, ſicut oportet & mox dicemus, vel hinc liquidò apparet, quod iſtiuſmodi quidem functio, ſicut humana poteſtas non eſt nec ab homine ac-

cepta, Vnde Sacerdotes à Deo in Eccleſia or-
Li. 1. Epi. 3. & lib. 4. epiſt 9. dinari & cõſeruari ſcripſit Cyprianus, ita non humanis viribus ſed diuino plane auxilio & numine, peragitur. *Dei autẽ opera ſũt perfecta,* &
Deuter. 32 Ioan. 3. Matth. 3. Act. 19. Rom 14. Actor. 13. *Spiritus vbi vult ſpirat: quique ex lapidibus iſtis filios Abrahæ facere poteſt,* ille ad miniſteriũ ſuũ legitimè vocatos, id eſt, *quos ipſe poſuit in Eccleſia regere plebẽ ſuã,* potens eſt ſtatuere, vt ſtẽt & nocadant: vt *faciant opus ad quod aſſumpſit eos* Deus,
Philip. 4. Denique vt confidenter dicant, *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Rę autem ipſa præſtitum hoc quidquid eſt muneris fuiſſe, teſtes nobis ſunt, vt Apoſtolos ac Apoſtolis proximos taceam, tanta optimorum Paſtorum ac ſacerdotum turba, quorum & ſanctiſſimè actam vitam in hiſtorijs legimus, & præclara ſtudia etiam hodie in Eccleſia cernimus. Cuius ſanè rei argumentum (vt cætera prætermittam) vel illud vnum eſt, quod difficillimis iſtis hæreſum temporibus (quæ ſanè hæreſes ideo in-
1. Cor. 1. ualuerunt (Apoſtolo prædicante) *vt manifeſti eſſent qui probati ſunt in nobis*) non defuerunt qui etiam vſque ad ſanguinis effuſionem gregi ſuo aç muneri commiſſo, adhęreant. Ille enim
Ioan. 10. *bonus Paſtor eſt, qui animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.* Quales quum hodie plurimos fuiſſe accepimus, plurimos verè bonos Paſtores extitiſſe & qui hæc omnia quæ mox dicemus, copioſè præſtiterint, non dubitamus.

Quantus ſit autem huius tanti laboris ac muneris fructus, vel illud vnum ſatis oſten-

dit,

dit, quòd Dei miniſtri ſunt huiuſmodi, *quod legatione pro Chriſto funguntur*; quod ſicut *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, ita Deus ſit nunc in Paſtoribus mundum reconcilians ſibi, *poſuit enim in eis verbum reconciliationis*; quòd qui hæc faciunt & *ſeipſos ſaluos faciunt & eos etiam qui ipſos audiunt*, vt ad Timotheum ſuum ſcripſit Apoſtolus, quod ſint *lux mundi, ſal terræ*. Dati denique *ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Quo quidem laboris fructu, quid amplius, quid excellenti,us optari poteſt? Quod ſi iam præmij magnitudinem ſpectes, quis eam iuſtè ſatis æſtimare queat? *Euge* (inquit) *ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudiũ Domini tui*: quod nõ commune omnibus præmium & gaudium eſt, ſed gaudium Domini noſtri, gaudium Chriſti, excellentis eius gaudij quod Chriſtus, vt homo & ſummus Paſtor accepit, participatio. Imo quot paſtor animas ſtudio ſuo & induſtria ab orco liberauerit, tot ille & tam varias à Deo coronas, accipiet. Vt ad Philippenſes prædicatione ſua ad Chriſtũ conuerſos, Apoſtolus ait, *Gaudium meum & corona mea*: & de huiuſmodi prædixit Daniel. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*. Non debent itaque fideles & amantes Dei viros vel ab hoc munere ſuſcipiendo deterrere,

2. Cor. 5.
1. Timo. 4.
Matth. 5
Epheſ. 4.
Matth. 24.
Philip. 4.
Dan. 12.

terrere,

terrere, vel ab eius iam ſuſcepti alacri & ſtrenua adminiſtratione fugare, ac trepidationem operi inducere, quæ iam de huius rei partibus atque officijs, diſputaturi ſumus. Sed ideo hæc à nobis, nec tamen à nobis, ſed à S. Scripturis & Sanctis Patribus (quorum nos tantum verba referimus) dicta exiſtiment, vt truncos, ac ſtipites, vt ignauum fucos pecus ab Eccleſiæ præſepibus, & gregis Dominici caulis abarceamus: vt impuros quoque & nefarios homines quàm immani ſe ſacrilegio obſtringant, quàm incredibili non tam temeritate quàm inſania & ſe & alios perditũ eant, ſeriò admoneamus; vel (quia huiuſmodi nos non audiunt) ne quis præſentium ſimili ſe inſaniæ ac temeritati, exponere audeat, eorum potiùs, exemplo & rei magnitudine edoctus, ſibi fæliciter caueat. Agite ergo; Paſtorem iam noſtrum & ſacerdotem ſuis coloribus, exprimamus.

Ambitio & auarítia præcauẽda. Futurus Eccleſiæ præpoſitus & animarum paſtor, id ante omnia tanquam certam perniciem cauere debet, ne honorem ipſum aut prælaturam vllo modo ambiat, ne lucrum aut emolumentum expetat: ac ne vocatus quidem opus ipſum niſi maxima habita conſideratione, deſideret. Solet enim, iſtud paſtoris officium & difficile ac periculoſum ſibi, & alijs pernicioſum reddere, quod non recto fine, non debita intentione, ad id accedant.

1. Primũ enim qui ſiue honoris ſiue lucri cauſa

acceſſit,

acceſſit, libertatem agendi amittit, dura ferre 2.
non volet (quia mercenarius eſt) & à Deo nõ 3.
iuuatur. Pulchrè quod primo loco diximus, deſcribit Chryſoſtomus. *Sacerdotis animum honoris illius deſiderio vndique vacare oportet, Nam ſi ad eum Principatum adipeſcendum vehementi animi affectu rapiatur, eo adepto impotentiorem ſanè ambitionis ſuæ flammam accendet, ac vt adeptum ſibi honorem ſtabiliat, Nulli non peccato ſeruiet, ſeu adulandum, ſeu ſeruile quid atque indignum ſuſtinendum, ſeu res etiam magno pecuniæ ſumptu, tentanda. Itaque penitus ex animo huiuſmodi deſiderium abijciendum, vt liber animus, omnium rerum liberè agendarum, poteſtatem habeat. Contra enim quem nulla cupiditas huc trahit, is certè ab eo ſolio deturbari non formidet. Porrò autem qui id non formidat, hic cum ea libertate quá Chriſtianas mentes docet, omnia exequi poterit. Dura enim & acerba atque adeo multis referta incommodis, illorum eſt ſeruitus, qui honoris huiuſmode caſum reformidant; ob quem ſæpenumero fit, vt & hominum & Dei optimi maximi, offenſionem ſubire cogantur. Debet ergo futurus paſtor ita animatus eſſe, vt & conſecrari & ſummoueri iuxtà paratus ſit.* Hæc Chryſoſtomus. Quod autem huiuſmodi dura ferre nequeat, & nolit, clarè Saluator in Euangelio docet. Huiuſmodi enim, qui ſpe lucri & emolumenti accedit, mercenarius eſt, *Mercenarius vbi lupum venientem videt*, id eſt, vbi oues in aliquo periculo conſtitutas *autem* aduertit, *fugit, quia Mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus.* id eſt, non propter oues, ſed propter ſeipſum

Lib. 9. de Sacerdotio.

Ioan. 10.

præcla-

prælaturam accepit. De talibus dictum eſt,
Ezech.34. *Væ Paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemetipſos*. Et ite-
Philip.2. rum per Apoſtolum. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti*. Quod hominum genus deſcribens Auguſtinus, ait. *Quiſquis ita præpoſitus*
Lib. de Paſtori cap.1. *eſt, vt in eo quòd præpoſitus ſit gaudeat, & honorem ſuum quærat, & commoda ſua ſola reſpiciat, ſe paſcit, non oues*. Hoc verò vtrumque quod Mercenarij quærunt, explicat Ezechiel, dicens. *Lac comedebatis & lanis operiebamini: gregem autem meum non paſcebatis*. Qui lac præbet, victum præbet,
Auguſt. vbi ſuprà ca.3. qui lanam, honorem. *Hæc ſunt duo quæ à populis quærunt, qui ſemetipſos paſcunt, non oues; commodum ſupplendæ neceſſitatis, & fauorem honoris & laudis*. Hæc qui vel ſola, vel potiſſimum reſpicit, ſi videt lupum venientem fugit, quia non pertinet ad eum de ouibus, ſed de ſe; non oues curat aut paſcit, ſed ſe.

Rurſum huiuſmodi à Deo nō iuuatur. Etenim nullo modo à Deo vocatus, ſed ſemetipſum ingerens, qua tandem fronte à Deo auxilium ſperabit? Exprobrat huiuſmodi Deus.
Ieremi.23. *Ipſi currebant & ego non mittebam eos, non loquebar ad eos & ipſi prophetabant*. Quid ergo futurum eis dicit Deus? *Si ſtetiſſent in Conſilio meo, auertiſſem eos vtique à via ſua mala & à cogitationibus ſuis peſſimis*. Nunc autem fit hic, quod ad Rom.1. de gentibus Apoſtolus ſcripſit. *Tradidit eos in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt*. Vnde & per Prophetā Deus ita proſequitur. *Ecce* (inquit) *ego cibabo eos abſynthio & potabo eos*

felle,

felle,& rurſum. *Propterea tollam vos & derelinquam vos. & dabo vobis in opprobium ſempiternum.* Is autem ad externam vocationem quod attinet legitimè vocatur, qui ab ijs qui præſides Eccleſiæ ſunt, ad hoc munus expetitur.

Iam verò ne legitimè vocatus quidem, ſine magna ſui ipſius & rei quam aggreditur conſideratione, hoc officium acceptabit, qui en eo legitimè verſari vult. Primum enim, operis magnitudinem expendat. Eſt quidem ita, vt *qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſideret*, ſed ita, ſi verè *opus* ipſum (vt Apoſtolus loquitur) non operi adiunctos honores & emolumenta reſpiciat. Eſt autem hoc opus, operum omnium operoſiſſimum. Scripſit Nazanzenus. *Mihi reuera ars artium, & ſcientia ſcientiarum videtur hominem regere, omnium animantium verſutiſſimum, ſimul atque moribus diuerſiſſimum*, & iterum paulò poſt. *Omnia illa verbis perſequi & exacte conſiderare, quæ ad humani animi regimen ſpectant, ſic vt vel in ſumma, hæc cura comprahendatur, prorſus eſt impoſſibile, etiam ſi quis maximam curam & prudentiam impendat.* Cuius ſententiæ ſubſcribit Chryſoſtomus. *Difficultates eas omnes recenſere velle, quas Epiſcopum tolerare oportet, prorſus nihil aliud fuerit, quam maris altitudinem emetiri.* Accedit ad hos D. Auguſtinus, qui vt nuper accepimus, *Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi officio nihil eſſe* ſcribat, *difficilius, laborioſius, periculoſius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet.* Idem planè ſenſit & Gregorius Magnus: Cuius hæc

ſunt

1.Tim 3.

In Apologetico.

Lib.6. de ſacerdotio.

Epiſt.148.

Curæ paſtor. par. 1. cap. 1.

ſunt verba. *Ars eſt artium, regimen animarum.* Deinde & ſeipſum quoque iterum, atque iterũ conſideret, ſitne huic muneri etſi vocatus, idoneus. Neque enim ſatis eſt ab Epiſcopo ad hoc munus inuitari, aut ab ijs qui conferendi hoc onus, poteſtatẽ habent. Sæpe enim aut gratia ducuntur, aut errore ſeducuntur, vt minus idoneos, vocent. Qua de re Apoſtolus ſollicitè Timothæum monet. *Nemini cito manus impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis.* Vterq; grauiter peccat. Vnde Chryſoſtomus. *Sicuti electis non ſatis eſt dicere, voluntarius non acceſſi, ſic nec eos qui elegerint, ſubleuare quicquam poterit, ſi dixerint, ſe eum ignoraſſe quem elegere.* Et alibi. *Quare dixit Apoſtolus, cito? Quia non ex prima ſtatim probatione, nec ſecunda, nec tertia, ſed vbi conſideratio diuturna præceßit, exactißimaque diſcußio, tunc imponito manus.* Sic Paulus vocatur, ſed prius excæcatus, ſic Eſaias, ſed purgatus: De quo lege Chryſoſtomum homilia 4. de laudibus Pauli.

1. Timo. 5.

Lib. 4. de ſacerdotio.

In cõment. in 1. Timo. 5.

Vocatus legitimè quid facere debeat.

Quid ergo vocatus ad Eccleſiæ miniſteriũ facere debet? Adhibebit hic magnam prudentiam & humilitatem. Prudentiam, vt ſeipſum quam diligentiſſimè circumſpiciat: quid valeant humeri, quid ferre recuſent. Caueat ne illis vitijs laboret, quibus carere debet; polleat ne illis virtutibus & ea rerum ſcientia, quæ ad id munus pro eo vt par eſt, peragendum neceſſariæ ſunt. Nam quod ad vitia attinet, *Diſſimulare ſe ipſe non poteſt* (ait Chryſoſtomus) *qui moribus ijs fuerit, quum in luce hominũque cœtu verſatur.*

Libro 6. de ſacerdotio.

Verum

[...]non quoquo ſe ille vertat, ſtatim proditur. Et quod in alijs rebus dici ſolet, hic maximè obtineat. *Magiſtratus probat virum. Quemadmodum enim fit,* (ait ibidem Chryſoſtomus) *vt metallicas materias ignis probet, ita & clericalis ordo aſſumptus, tanquam exorta quædam probatio, homines quales ſint, demonſtrat. Ac ſi quis eſt vel iracundus, vel puſillanimis, vel gloriæ appetens, vel auarus, vel alio quouis animi morbo obſeſſus, id omne detegit, ac latentes ſtatim morbos, denudat. Nec denudat ſolum, ſed etiam aſperiores reddit & impotentiores. Nam vt corporis vulnera ſi atteris, curatu difficiliora reddis, ſic natura comparatum videmus, vt animi morbi ſi irrites, exaſpereſque, magis ac magis rebellent, atque incrudeſcant, Dominorumque ſuorum peccata, augeant.* Contrà vt abſente quod amas, amor reſtinguitur, ita *creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.* Atque hæc de vitijs.

Virtutibus autem ſi non polleat, ne expectet, vt eas poſtea acquirat. Neque enim id tempus diſcendi, ſed docendi, eſt. Ideo Ieſus, *cœpit facere & docere.* Quæ eſt ergo prudentia hic adhibenda? Optimum hic ſuggerit conſilium Gregorius Magnus. *Mentis* (inquit) *oculus ad opera tranſacta reuocetur: ac penſet quiſque quid ſubiectus egerit, & repente cognoſcet, ſi prælatus bona agere quæ propoſuerat, poſſit. Nequaquam valet in culmine humilitatem diſcere, qui in imis poſitus, non deſijt ſuperbire. Nequaquam vincere auaritiam poteſt, quum multis prouidere debeat, cui ſufficere propria, nec ſoli potuerunt.* Ideo nimirum tales Apoſtolus aſſumi vult,

Act. 1.

Curæ paſtor. par 1. cap. 9.

1. Tim. 4.

vult,*qui domui ſuæ bene præfuerint, qui bonum teſtimonium foris habuerint, qui filios & domeſticos rectè*
Vbi ſuprà
inſtituerint. *Ex anteacta ergo vita*(ait Gregorius) *ſe vnuſquiſque inueniat, ne in appetitu culminis imago ſe cogitationis illudat. Sæpè enim ſibi de ſe mens ipſa mentitur.* Hæc eſt ergo prudentia ſummo iudicio, ſumma cautela adhibenda. *Nemo enim nouit*
1.Cor.2.
quid ſit in homine, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt. Itaque hac ſanè in re nullum planè peritiorem Iudicem aut arbitrum adhibere quiſquam poteſt, quàm vt ipſe ſui ſit Iudex, integer tamen & incorruptus, ne ſibi blandiatur: quod ex eo deprahendere poteſt, *ſi* (quod
Libro 6 de ſacerdotio
Chryſoſtomus monuit) *& ordinari & ſubmoueri iuxtà paratus ſit*: ſi non locum appetat, ſi indifferenter ſe habeat.

Huic autem prudentiæ adhiberi debet humilitas, vt vocanti per miniſtros ſuos, Deo
Curæ Paſtor. par. 1 cap. 6.
pareat. *Neque enim verè humilis eſt*(ait Gregorius Magnus) *qui ſuperni nutus arbitrio quòd debeat præeſſe, intelligit, & tamen præeſſe, contemnit.* Sic Moyſes etſi ſibi metuens tergiuerſabatur primò,
Exod 4.
dicens, *Mitte Domine quem miſſures es*; poſtea tamen præcipiente Domino, & dicente: *Ego ero in ore tuo & docebo te quæ loquaris, humiliter* tandem acquieuit. Hieremias licet primò detrectaret ac iuuentutem ſuam deprecaretur, di-
Ierem 1.
cens. *A.A.A. Domine neſcio loqui*; dicente Domino, *ego tecum ſum, & dedi verba mea in ore tuo,* &c. acquieuit. Eſt etiam & altera humilitas, qua primò detrectatur hoc munus, vt in

Moyſe

Moyſe & Hieremia vidimus, vt etiã de Saule legimus, *qui latuit domi abſconditus*, quum in Regem inaugurandus eſſet, ſed iſta, illa altera ſic temperari debet vt diximus. Denique talis eſſe & humilitas & prudẽtia debet, vt (quemadmodum Gregorius ſcripſit) *virtutibus quidem pollens coactus magis quàm ſpontaneus, ad regimen veniat, virtutibus autem vacuus, ne coactus quidem.* 1. Reg. 10. Curæ paſtor. par. 1 cap. 9.

Neque verò qui ſic vocatus & inſtructus accedit, ſecurus ſtatim eſſe debet. Moyſes detrectat vt vidimus. Tamen quia ad aquam contradictionis peccauit, à terra promiſſionis excluditur. Saul miræ fuit humilitatis. *Nunquid* (inquit) *non filius Iemini ego ſum, & cognatio mea nouiſſima inter omnes familias Beniamin*, & rurſum, *abſconditus domi latuit*. & teſtimonium ei perhibet ſcriptura, *quia paruulus erat in oculis ſuis*, tamẽ quia Deo non obtemperat, in cæde Amalechitarum, *reiecit eum Dominus ne regnaret ſuper Iſrael.* Sic Dauid cum eſſet paruulus in oculis ſuis & Paſtor ouium ad Regni faſtigium ſublimatur, ſed propter adulterii & homicidij peccata, de amittendo regno, periclitatur. Heli legitimè vocatus abſque ambitione, propter ſcelera filiorum percutitur. Quæ ſanè omnia eo valent, vt nos doceant, quod (quemadmodum ſcribit Chryſoſtomus) *nulla peccatorum excuſatio relicta ſit, non ſolum ijs qui rapiunt, ſed ne ijs quidem, qui alieno ſtudio huc euehuntur.* Sic ergo affectus eſſe debet, qui ad hoc miniſterium Numer 20. 1. Reg. 9. 1. Reg 10. 1. Reg. 11. 1. Reg. 15. Libro 4. de ſacerdotio.

niſteriũ accedit, vt ab omni ambitione & cu-
1. piditate alienus, rei primum difficultate ac
2. etiam dignitate perpenſa, ſui quoque ipſius
3. diligentiſſima habita conſideratione. Deinde
4. nec vocatus reluctetur, nec niſi vocatus ac
5. penè impulſus accedat, poſtquam autem accеſſerit, nequaquam manus remittat, ſed laborem ſibi ac ſudorem perpetuaſque veluti excubias atque vigilias, proponat. Quę autem illa ſint, quibus inſudere & incumbere debeat, quibus etiam rebus inſtructus accedere, nunc tandem (fauente Deo) accuratè & copiosè dicemus. Id verò eo ordine, vt primum quæ ipſi Sacerdoti neceſſaria ſunt, vt expeditè, laudabiliter, & ſuo cum fructu, paſcat: Deinde quæ ad populi ipſius regimen neceſſariò requiruntut, breuiter explicemus.

Paſtoris propriæ & neceſſariæ virtutes. Prima ac præcipua virtus futuri Paſtoris, eſt charitas Dei. Quam vt ante omnia neceſſariam Chriſtus doceret, ſic Petrum alloquitur. *Petre amas me? & diligis me plus his? Paſce agnos meos, & paſce oues meas.* (Ioan. 21.) *Quum enim de Eccleſiæ præfectura* (ait Chryſoſtomus) *quum de credenda animarum cura agitur; illi ſolum in medium prodeant, qui longè omnibus præſtant: quique ita charitate reliquos excellant, quantum corporis magnitudine Saul reliquum populũ ſuperauit, quũ in Regem crearetur,* (Lib. 2. de ſacerdotio.) quod huius ſanè rei typus erat. Facit enim Dei amor vt omnes difficultates & certamina, paſtor ſuperet. *Quemadmodũ enim* (ait idem Chryſoſtomus) (Serm. de prouidẽtia Dei.) *famuli ac miniſtri medicorum, quo erga Dominos*

nos ſuos beneuolentia maiore afficiuntur, eo pluribus verbis in ſolandis ægris vtuntur, eo ſollicitius & curioſius circa ægrum ſatagunt, ſic in animarũ cura miniſtri Dei, ſacerdotes & Paſtores quo acrius Deum diligunt. Nam vt appoſite ſcripſit Gregorius Nazanzenus, *Medicinæ quam Chriſtus attulit, miniſtri & cooperarij ſumus, quotquot alijs præponimur.* Quare debet paſtor ſicut Chriſti perſonam gerit, ita Chriſti viſcera induere, vt ſit, *cibus eius*, id eſt, ſola voluptas eius, *facere voluntatem eius, qui miſit eum.* In Apolog. Ioan.4.

Altera etiam quæ proximi charitas eſt, adhuc feruentior adeſſe debet. Cuius rei illuſtre exemplum eſt Apoſtolus, ad cuius etiam rei imitationem alios Paſtores prouocat. *Fratres,* inquit, *eſtote imitatores mei ſicut ego Chriſti*, & alibi. *Imitatores Dei eſtote*, & qua in re? ſubijcit. *Ambulate in charitate.* Et videte Pauli charitatem. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcãdalizatur & ego non vror? Nullus enim* (ait Chryſoſtomus) *ſic ſua defleuit peccata, ſicut Paulus aliena.* Ideo *optat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis in carne.* Ex quo hoc manifeſtum eſt (ait Chryſoſtomus) *quod non ſaluari illos acerbius æſtuabat, quam ſeipſum perire.* Et rurſum, *cupiens diſſolui & eſſe cum Chriſto, permanere tamen in carne propter diſcipulos* ſuos, quia illis magis neceſſarium, eligit. Nam antea quidem dicens, *coarctor è duobus*, ſubijcit tamen quaſi vincente ſuorum charitate, *hoc confidens ſcio, quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium fidei.* Sic erga 1.Cor.11. Ephef.5. 2.Cor 11. Homil. 2. de laudib. Pauli. Rom.9. Philip.1.

oues affectus eſſe paſtor debet: non ſolum vt animam ſuam ponat pro ouibus ſuis, ſed vt etiam Chriſto tantiſper carere velit. Adeo non ſolum tanquam ſe, ſed etiam quodammodo pluſquam ſe, amare ſuas oues paſtor debet.

Huic duplici charitati accedere debet, imo ex ea gignitur fortitudo animi, vt omnia perferat, qualſcumq; obuias difficultates ſuperet atque contemnat. Sic enim *Paulus deſpiciebat* Chryſoſt. hom. 2 de laudibus Pauli. *vniuerſa quæ cernimus, vt ſolet herba putrefacta contemni. Tyrannos & populi furorem velut quoſdam culices, mortem ac omne cruciatus genus, tanquam ludum puerorum, neglexit.* Talem planè paſtorem eſſe oportet. *Neque enim vel attingere quiſquam debet* Hom. 6. de laudibus Pauli. *præclari huius muneris functionem, niſi paratus ſit millies animam ſuam in mortem tradere atque diſcrimina.* Dicit enim Saluator. *Qui vult venire poſt me*, meo docendi ac paſcendi munere fungi, *abneget ſe*= Luc. 9. *metipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me. Qui ergo talis animo non eſt, multos etiam alios ſuo perdit exemplo, magiſque ei vtile eſt, ſi quiſcat ſibique vacet, quàm vt in medium prodeat. Non itaque nauium gubernatorem, non ad beſtias dimicantem, non ludo gladiatorio deſtinatum, non alium quempiam omnino ſic ad diſcrimina & mortes paratam oportet habere animam, vt eum qui prædicandi officium ſuſcipit.* Vnde alibi Libro. 5. de ſacerdotio. Chryſoſtomus, *vt liberis vel inſoleſcentibus & cædentibus non admodum laboramus, vel arridentibus non ſuperbimus, ſic paſtorem neque vulgaribus ſubditorum laudibus intumeſcere, nec probris animũ deſpondere*

dere oportet. Eſt autem hæc fortitudo multis ſane de cauſis neceſſaria, Primum, vt aduerſa omnia quæ foris adueniunt, ferre æquanimiter poſſit; de quo iam diximus. Deinde, vt ad domeſtica mala non excandeſcat. *Etenim* (vt ſcripſit Chryſoſtomus) *contumelias, incommoda, verbum aſperum, ſcommata etiam vel illata, vel retorta, quærelas quoque tum à Principibus, tum à ſubditis natas, non multorum eſt ferre poſſe, ſed vnius tantum & alterius. Ac videre ſanè eſt eos qui alijs animi virtutibus plurimum poſſunt, ad hæc ipſa tanta animi vertigine laborare, vt vel inaniſſimis belluis facilius exaſperentur. Huiuſmodi autem ingenio præditi homines, à præpoſituræ Eccleſiaſticæ cancellis, à ſacerdotij clauſtris, procul arcendi ſunt.* Nam vt alibi idem ſcribit. *Nihil prorſus oportet omittere, vt prauas de te opiniones deleas: Sin omnia quum præſtiterimus noluerint à calumnia ceſſare, contemnere licebit.* Itaque impatientiæ morbo qui laborat, nunquam ſe in has tempeſtates & procellas paſtorales coniiciat. Huic ſolitudo & priuata vita eſt maximè neceſſaria. Tertiò, eſt neceſſaria fortitudo, ne ex animi timiditate à iuſto Zelo & increpatione, abſtineat. Hos repræhendit grauiter Propheta. *Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec poſuiſtis vos murum pro domo Iſrael.* Hos vocat Eſaias *canes mutos non volentes latrare*, & alibi monet, *Clama ne ceſſes, exalta quaſi tuba vocem tuam.* Ideo Apoſtolus talē deſcribit paſtorē, *qui potens ſit eos qui contradicunt, arguere.* Sic Ieremiam poſuit Deus, *in ciuitatem munitam, in columnam ferream, & in murum æreum*

Libro 3. de ſacerdotio.

Libro 5. de ſacerdotio.

Ezech. 13.

Eſai. 56.

Eſai. 40.

Titum 1.

Ieremi. 1.

ſuper omnem terram. Talis columna ferrea erat erga Theodoſium magnum & maximum Tyrannum, Ambroſius; erga Eudoxiam & Gainam Tyrannum, Chryſoſtomus; erga Attilam illum, Dei flagellum, Leo magnus: erga Valentem, Baſilius, erga Henricum 2, Anglorum Regem, Thomas Archiep. Cantuarieſis.

Ad animi fortitudinem adiungi debet, vel potius pars eius eſt, Diuitiarum contemptus: 1.Timo. 6. qua de re ſic Apoſtolus nos docuit. *Habentes* Philip.4. *victum & veſtitum his contenti ſimus*, & iterum. *Scio* 2.Cor.6. *abundare, ſcio & penuriam pati. Nihil habentes &* 2.Tim.2. *omnia poſſidentes. Nemo militans Deo, implicat ſe ne-* 1.Timo.6 *gociis ſæcularibus. Qui autem volunt diuites fieri* (ait idem Apoſtolus) *inſerunt ſe doloribus multis, &* Prouerb. 1. *incidunt in laqueum Diaboli.* Et eleganter ſapiens. *Semitæ omnis auari animas poſſidentium rapiunt*, & Math. 6. expreſſius Saluator. *Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ.* Quomodo ergo qui Dei ſe miniſtrum profitetur, Mammonę ſeruit? Stare hæc inſana appetitio cum huius miniſterij profeſſione, non poteſt. Preterea, multum hoſpitalis & liberalis ſacerdos & paſtor eſſe debet. 1.Timo.4. Vult Apoſtolus *Epiſcopum eſſe hoſpitalem, non cupidum, benignum.* Sunt enim bona, pauper in Eccleſiæ bona, & horum ille diſpenſator, non Dominus eſt. Itaque male impendens, reſtituere tenetur: quæ quidem omnia alterius loci eſt probare. Nihil poſtremò ſordidus auaro ſacerdote. Vnde eleganter & veriſſima Hieronymus. *Ignominia*

nia eſt omnium ſacerdotum, propriis ſtudere diuitiis. Hi propriè paſcunt ſemetipſos, quos propterea execratur Spiritus Sanctus. Turpis eſt & inhumana res in omnibus auaritia; ſed in ſacerdote deteſtanda & abominanda, & ipſa adeo fundi noſtri calamitas, totius hodiernæ corruptelæ & apoſtaſiæ in Eccleſia, fons atque origo eſt. Videntur illud ethnicum reuocare, ἔξω βȣλιμον, ἔσω πγȣλον καὶ υγιειαν. quum ſacerdotes idololatræ, virgis paupertatem & famẽ ex ædibus eijcerent. Ad Nepotianum.

Sunt hæc quidem ſacerdoti neceſſaria, vt ſibi ac ſaluti ſuæ fructuoſius, vt laudabilius & Deo gratius, vt facilius & expeditius, munus ſuum exequatur. At verò ad populi ipſius regimen magis adhuc neceſſaria ſunt, quæ iam dicemus. Nempe conſilij ſeu animi prudentia, & rerum ſacrarum eximia ſcientia. Quod ad prudentiam attinet, ea hic tanta deſideratur, vt nec in multorum populorũ Principe, nec in numeroſiſsimi exercitus Duce, nec in Pilotis aut Naucleris claſſis copioſiſsimę, maior requiratur. Etenim vt aptè ſcripſit Nazanzenus, *quemadmodũ ſi quis beſtiarum multarũ ſpecierũ & multiformẽ ex multis beſtiis, maioribus & minoribus, manſuetis & ferocibus, compoſitã manſuefacere ac gubernare conetur, negociũ erit incredibile naturæ ſic diuerſæ & contrariæ curam in ſe ſuſcipere, eo quod non eiſdem vocibus, educationibus, ſibilis, aut aliis eiuſmodi educandi modis, ſingula animantia gaudent; ſed alia aliis delectantur & ducuntur, ſecundum cuiuſque naturam* In Apologetico.

turam & conſuetudinem, ad hunc modum cum ex multis & variis tam moribus quam liguis (vt quot ſunt capita tot ſint ſenſus) *velut animal quoddam diſpar cōmune hoc Eccleſiæ corpus* (eſt enim populus bellua multorum capitum) *compoſitum exiſtat, prorſus neceſſe eſt vt qui illi præeſt ſimplex ac idem ſit, ſecundum rectitudinem quæ ineſt omnibus, & rurſus multiplex admodum & varius, iuxta cuiuſque propietatem, & alloquio erga omnes commodus & aptus.*

Tale quiddam Noe accidit in Arca, vbi omnia animantium genera concludebantur, ab eo in officio retinenda, idque Anno integro & amplius. *Cuius rei nomine, eum ex omnibus mortalibus grauiſſimas erumnas pertuliſſe*, ſcribit Chryſoſtomus. Hæc vna res tantæ prudentiæ, tantæ artis eſt, vt verè hoc nomine miniſteriū iſtud *ars artiū* à Patribus vocetur. Vt poſſit videlicet Sacerdos, docendo, monendo, increpando, hortando, omnibus prodeſſe, neminem lædere: omnia ad ædificationē, nihil ad deſtructionem, facere. Hinc etiam inter cæteras dotes, *prudentem* vult eſſe Epiſcopū, Apoſtolus. Hinc etiā ſcripſit Chryſoſtomus de Apoſtolo Paulo. *Erat varius ſemper ac multiplex, non vtique diſſimulatione mutabilis, ſed faciens omnia quæ prædicationum ſalutiſque neceſſitas, poſcebat.* Sic de ſe dicebat. *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, non vtique* (ait Gregorius) *amittendo fidem, ſed oſtendendo pietatem, vt in ſe perſonam fidelium tansfigurans, ex ſemetipſo diſceret, qualiter alijs miſereri debeat.* Sic iterum dicit. *Factus ſum omnibus omnia, vt omnes lucrifacerem.*

De prouidentia Dei Serm. 2.
1. Timo. 4.
Hom. 5. de laudibus Pauli.
1. Cor. 9.
Curæ paſtor. par. 2. cap. 5.
1. Cor. 9.
Epiſt. 29.

facerem. Non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu, ait Auguſtinus. Raræ eſt hoc prudentiæ ita ſe omnibus prudenter, & agendo & docendo accommodare, vt omnes ædificet, neminem deſtruat, Deum non offendat. Qualis hęc prudentia ſit, nimis hic prolixum eſt, accuratius demonſtrare. Breuiter tamen notabo, non quidem vt in tradenda arte dici ſolet (nulla enim præcepta ponemus, ſed huius in paſtore prudentiæ formā & ſpeciem adumbrabimus) nec quibus res ea comparetur, exponemus, ſed qualis nobis eſſe videatur: idque vt eam nobis Sancti Patres ex Diuinis Scripturis deſcribunt. Videlicet Gregorius Nazanzenus in Apologetico, Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio. Gregorius Magnus curæ Paſtoralis parte 2. & 3. Auguſtinus lib. de paſtoribus. Nempe non omnibus idem cibus conuenit. *Aliis opus eſt lacte, alii ſolido cibo paſcendi ſunt.* Hebr. 5. 1. Cor. 5. Et ille prudens cenſetur paterfamilias, *qui ſcit dare cibum in tempore,* Matth. 24. & alius Euangeliſta addit, non ſolum in tempore, ſed & *tritici menſuram.* Luc. 12. Itaque nec omnibus eadem, nec quouis tempore idem, nec ſingulis in eadem menſura, aut dicenda ſunt, aut agendum eſt, aut verbum Dei adminiſtrandum eſt; Ne (quod cauendum monet Propheta) quod infirmum eſt non conſolidet, quod ægrotum non ſanet, Ezech 34. quod confractum non alliget, & quod abiectum non reducat. De quibus ſingulis legendus eſt Auguſtinus. Libro de paſtoribus cap. 5. 6. 7. Videte igitur quam mul-

tiplex

tiplex & varia ſit iſta quæ in paſtore eſſe debet, varietas. Perſonarũ, temporum, ac locorum; habenda eſt ratio. Quam quidem varietatem, vide exactè deſcriptam apud Gregorium Magnum, parte tertia Curæ paſtoralis. Hanc autem ex parte etiam Apoſtolus docuit.
1. Timo. 4. Alibi enim dicit. *Increpa illos in omni patientia & doctrina*, & ſuperius, *cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati.* Alibi verò. *Increpa illos durè, vt ſint ſani in fide.* Quæ ſanè non ſunt contraria, ſed vt notauit Theodoretus, ijs qui nondum crediderunt, placidè ac leuiter tradenda eſt doctrina: eos autẽ qui ſe credere profitentur, & tamen fidei repugnãt (quales ſunt heretici) medicamentis paulo aſperioribus, medicari conuenit. Rurſum infirmitati auditorum accommodanda oratio aſt; cuius rei exemplum habes Actorum 2. & Actor. 17. vbi Chriſtum Ieſum *virum* vocant Petrus & Paulus, apud adhuc incredulos diſputantes; Aliter verò ad Roma. & Corinthios, iam Chriſtianos idem Paulus; vbi Chriſtum vocat *Deum benedictum in ſæcula.* Nam vt ad eoſdem Cor. ſcribit, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Atque hæc quidam in docendo.

1. Timo. 2. Tit. 1. In commentar. ibidem. Rom 9. 1. Cor. 2.

Iam verò in ipſa communi conuerſatione, quàm tẽperatus eſſe & quaſi mixtus ex varijs ijſque pugnantibus debet. *Et grauem illum* (ait Chryſoſtomus) *ſed minimè faſtuoſũ, & terrificũ ſed humanũ*; & viſenda maieſtate *Principẽ, ſed omnibus tamen appellandis comem, eundemq́; integrũ, officioſum*

Lib. 3. de ſacerdotio

ſum ac humilem, ſed minimè ſeruilem:acrem quoque ac vehementem,eſſe conuenit; ſed tamen & manſuetum. Sic affectus erat ipſe Chryſoſtomus,qui in aula Principum grauis,terrificus,acris ac vehe- mens erat:Domi inter familiares,apud viduas & pauperes, vir manſuetiſſimus, & vt de eo ſcribitur,*eloquia eius dulciora ſuper mel & fauum.* (In vita S. Porphyrij Gazę.Epiſ. apud Suriũ.) Iam verò vt & ipſe aliorum errata depræhendat,& à proprijs caueat, quãta cautione opus eſt? *Multa opus eſt paſtori prudentia* (ait Chryſoſtomus) *& ſexcentis vt ita dicã oculis,vt rectè vndiq; humani animi habitum,circumſpicere poſſit.* (Lib.2.de ſacerdotio) Et rurſũ. *Multa arte opus eſt,vt qui laborant Chriſtiani vltro ſibi perſuadeant,ſacerdotum curationi ſeſe ſubmittere,oportere. Neque enim hic vi aut imperio, agere licet. Nec ſi liceret,id expediret quidem,quum non coactos,ſed volentes,coronet Deus.* (Lib.2.de ſacerdotio) Et hic quidẽ multiplici prudentia opus eſt,vt pro perſonarum & criminũ qualitate, vel redarguat Paſtor & puniat,vel diſſimulet & parcat. Interdũ enim *canes in Eccleſia propter pacẽ Eccleſiæ,tolerandi ſunt,interdũ canibus ſanctũ(vbi pax Eccleſiæ tuta eſt)non dandũ.* (Auguſt. de fide & operibus cap.5) Rurſum,*Seueritas exercenda eſt in peccata paucorũ. Monendum,docendũ,& ex Scripturis comminandũ,in multitudine peccantium.* (Aug.epi.64) Neque enim (vt pulchrè ſcripſit Gregorius Nazanzenus) *ſicut virtuti accedit & malitiæ, vt illa ſit optima & vtiliſſima, hæc ſemper noxia, ita & noſtræ accidit medicinæ, vt vnum aliquid & idem ſemper & iiſdem vel ſaluberrimum vel pernicioſiſſimum, ſit.* (In Apologetico.) Hinc Saluator dixit Apoſtolis. *Habete ſal in vobis, & pacem habete* (Mar.9.)

inter

Greg.par. 2 cap.4. curæ paſtor. *inter vos*, vt videlicet *ſic ſapienter loquatur paſtor, vt eloquio ſapientiæ, vnitatem audientũ non confundat*; Denique (vt finem faciam) quanta ſit huius varietatis, quæ ineſſe paſtori debet, varietas, docet pulchrè Gregorius Magnus. Primum par.3.c.2. magni ſtudij ac laboris eſt, *vt exhortandis ſingulis ſeruiatur ad ſingula: & vnicuique propria quæ conueniunt, diſpenſate.* Nam plærumque *herbæ quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt, & leuis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat. Et medicamentum quod hunc morbum minuit, alteri vires auget.* Adeo pro Ibidem in prologo part. 3. qualitate ſingulorum formari debet ſermo Doctorum. At longè laborioſius eſt, *Auditores* Part.2.c.2. *innumeros, ac diuerſis paſſionibus laborantes, vno eodemque tempore, voce vnius & communis exhortationis admonere: vt more gladii bicipitis, tumores cogitationũ carnalium ex diuerſo latere incidat: & paleſtrarũ more in omnes ſe partes feriendi vertat.* Omnium tamen adhuc difficillimũ eſt, quando vni contrarijs vitijs ſeruienti, prędicare compellitur. *Quandoque enim latæ complexionis homo, repentina* Part.3.c.3. *triſtitia obruitur, vbi ſic amouenda repentina triſtitia, vt non augeatur leuitas conſueta.*

Ad hæc autem tot & tam varia quid paſtori remedij, quid conſilij? Quod idem ſuggerit Gregorius, & nos vltimo loco à paſtore exi- Part.2.c.11 gimus S. Scripturarum lectio & cognitio. *Omne hoc à rectore rite agitur* (ait ille) *ſi Diuino ſpiritu afflatus, ſtudioſè quotidie ſacri eloquii præcepta meditetur. Omnis enim morbus animæ, habet in ſcripturis medicamentum ſuum.* Et D. Ambroſius. *Sicut* Auguſtinus enarr. in Pſal. 36. In præfat. in pſal. 37.

terram

terram iſtam ſalubres herbas & arborum ſuccos ferre præcepit Deus, quibus carnis vulnera curarentur, ſic præceptis ſalutaribus repleuit Diuinarũ ſeriem ſcripturarũ, quibus infirmitas animæ ſanaretur. Ideo monet Timotheum ſuum Apoſtolus. *Dum venio attende lectioni.* Et Epiſcopum eſſe vult *amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens, ſit exhortari in doctrina ſana.* Hinc quoque Spiritus S. in linguarum ſpecie deſcendit, vt vis verbi notetur. Hinc etiam ſuum Nepotianum monet Hieronymus: *Diuinas Scripturas ſæpius lege, imo nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur. Diſce quod doceas. Paratus ſemptr ad ſatiſfactionem omni poſcenti te rationem. De ea quæ in te eſt ſpe & fide.* Contra enim, *qui ignorat, ignorabitur.* Et *labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius.* Talis eſſe ſacerdos & paſtor debet, qui rectè hoc munere fungi velit.

1.Timo.4.

Titum 1.

Epiſt. ad Nepotianum.

1.Cor.14.

Malach.2.

DE PRÆPARATIONE AD SACRAM SYNAXIN DEBITA.

Oratio Catechetica Duaci habita.

NEc me (Auditores) veritati huius Diuiniſſimi Sacramẽti explicandæ & confirmandæ tam diu & per tam varias Catecheſes immoratum fuiſſe, nec vos opinor tam prolixam diſputationem penè cum tædio excepiſſe pigebit, ſi poſt tam diutinam ac moleſtam cum veritatis hoſtibus

ſtibus conflictationem, quaſi poſt atrocis belli, cruentam victoriam, ſuauiſſimo tandem huius Sacramenti fructu, vt læta quædam ac beata pace gaudere, fruique liceat. Quemadmodum enim nec arat agricola, nec ædificat Architectus, nec nauigat Mercator, vel quod aratrum delectet, vel vt in ædificando ſemper perſiſtat, vel quod nauigatio & mare voluptatem afferant, ſed agricola vt metat, Architectus vt inhabitet, Mercator vt diteſcat, laboribus ſe interim non illibenter macerat, curis affligat, periculis obiectat; ita ſanè veritati Catholicæ diligenter cognoſcendæ firmiterque contra omnem falſitatem hæreticam retinendæ laborioſè inſudat pius Catechumenus, & tyro Chriſtianus, non quod iſta accurata rerum ſpeculatio (quam meritò vocat Sapiens *afflictionem ſpiritus*, dicitque; *Qui addit ſcientiam, addit dolorem*) aut fructus ſit quem carpere debeat, aut finis in quo acquieſcere velit; ſed vt veritate cognita, actione, & vſu fructum percipiat, & in finem illum tendat; quo ſolo beati ſumus. Hinc pulchrè & ſapienter ſcripſit Auguſtinus; *ſic adhibendam eſſe ſcientiam tanquam machinam quandam, per quam ſtructura charitatis aſſurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum ſcientia, deſtruetur.* Itaque in erigenda veritatis machina, tum demum prudenter laboramus, ſi pietatis ſtructura inde tandem aſſurgat. Quum hactenus ergo ſtabiliendæ veritati, quaſi erigendæ cuidam Machinæ (cui reliqua

Eccl. 1.

Epiſt. 119. cap. 21.

liqua tota ſtructura innititur) incubuerimus, omnemque curam impenderimus, ne ille totus labor nobis pereat, multò nunc alacrius multoque conſtantius pietatis ſtructurę & ædificationi vt Apoſtolus apertiſſimè vocat, incumbere debemus, & in ijs laborare quę propriè ad ædificationem, id eſt, ad pietatis vſum faciant, ſicut ſuos Corinthios monet Apoſtolus, *Omnia* (inquit) *ad ædificationem, ſiue linguæ, ſiue prophetiæ*, &c. Quis ergo ſit huius diuiniſſimi Sacramenti fructus iucundiſsimus, 1. Cor. 14.
& hunc fructum percipiendi quis modus, quę via & ratio vera atque legitima (quia hoc propriè ad ædificationē & ad pietatis ſtructuram facit) & à nobis diligentiſsimè nunc differendum eſt, & vos Auditores, diligenter quod facitis, attendere par eſt. Primum autem de modo & via, poſtea de fructu & vſu in quo finis eſt, diſputabimus. Sic enim & iucundior & facilior finis erit conſideratio, quum viam prius eo perueniendi, tenuerimus.

Agamus itaque de modo & via, qua ad hoc tantum Sacramentum dignè & vtiliter accedendum ſit. Sunt autem in modo & via per- 1.
cipiendi huius Sacramenti quædam planè neceſſaria, ita vt ſine his, ad iudicium & perniciem, non ad ſalutem, ſumatur: Alia ſunt, 2.
quæ ad ampliorem gratiam conſequendam faciunt, eoq; nomine à Patribus vehementer hîc requiruntur. Quędam denique propter 3.
Sacramenti ipſius dignitatem & amplitudi-

V nem.

nem ſic à Patribus hic cõmendantur, vt pene neceſſaria videantur, magis tamẽ ex congruo & conuenienti exoptantur, quam vt res ex officio debita ſingulis hoc Sacramentum percepturis, imponitur. Eſt hæc autem diſtinctio diligenter notanda, tum ne ea quæ neceſſaria ſunt temerè prætermittamus, atque ita præſumptione periculoſa non diiudicemus Corpus Domini, tum ne illa quę perfectiora ſunt, ita hic neceſſaria exiſtimemus, vt quum ad ea nos non pertingere videamus, deſperabundi propterea, à re nobis vtiliſſima præpoſterà quadã timiditate, aut etiam potius negligentia & oſcitantia, abſtineamus.

Ad præparationem debitam neceſſaria. Neceſſaria primò hæc ſunt, vt abſque crimine, vt fide firma ſolidaque, vt charitate ſincera, vt reuerentia quadam debita, accedat, qui cum fructu & ad ſalutem, non ad perniciem & iudicium, hoc Sacramentũ vult percipere. Ad hæc quatuor capita, referri ea omnia poſſunt, quæ à Scriptura & Patribus neceſſariò exiguntur, vt dignè quis, id eſt, non indignè, accedat. Quis enim demũ ſimpliciter dignè acceſſerit? De prima illa conditione, vt abſque crimine letali ſit qui huc accedit, Apoſtolus diſertè præmonuit, dicens.
1. Cor. 11. *Probet ſeipſum omnis homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Hanc enim probationem, intelligunt Patres, videre vt omni crimine vacemus.

mus. Sic Gregorius Magnus. *Quid eſt hoc loco ſe probare, niſi euacuata peccatorum nequitia ſe probatum, ad Dominicam menſam & purum præbere?* Sic & Auguſtinus. *Mutet vitam, qui vult accipere vitam; nam ſi non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam, & magis ex ipſa corrumpitur, quàm ſanatur.*

Lib. 2 cap. 1 in libro 1. Regum.

Serm. 1. de tempore.

Exemplo quoque à veteri lege petito, ſic diſputat Baſilius. *Ego Dominus. Dic illis in generationibus ſuis, Quiſquis hominum ad ſancta quæcunque filij Iſrael Domino ſanctificant, in immunditia ſua conſtitutus accedit, exterminabitur anima illius de populo. Ego Dominus. Si tales ac tantæ minæ aduerſum eos poſitæ ſunt, qui temerè ad ſacra accedunt, quæ ab hominibus ſanctificantur, quid dicendum eſt de eo, qui in tantum ac tale myſterium temerarius eſt? Quantò enim maius aliquid is eſt templo, tantò grauius & terribilius eſt in animæ impuritate conſtitutum corpus Chriſti temerè contingere, quàm ſit accedere ad arietes vel tauros, dicente Apoſtolo ac repetente: qui edit & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Sic Heſychius preſbyter. *Qualem probationem dicit? vt in corde mundo atque conſcientia & pænitentiam eorum quæ olim deliquit, intendenti participetur ſanctis.* Propter hanc præparationem, vt ſine crimine eſſet qui accederet, clamatur in Græcorum liturgijs, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. *Sancta, Sanctis.*

De baptiſmo libro 2 cap. 3.

In Leuit. cap. 26.

De voce autem illa quâ excludebantur indigni, ſic Dionyſius. *Si diuiniorum veneranda illa altiſſimaque celebratio, eos quoque qui in pænitentia ſunt, quanquam ſui fuerint aliquando participes, reſ-*

Eccleſ. hierarch. cap. 3 part. 1.

puit (Arcet enim eos puriſſima illa & ſincera per omnia vox τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις longè profectò magis prophana & impura illorum turba erit, qui paſſibiliter iactandos ſe fœdis voluptatibus præſtant, & ab aſpectu omni & communione Sacramentorum, aliena. Sic & de eadem voce Chryſoſtomus. *Sicut in grege vbi multæ quidem ſunt oues ſanæ, multæ verò lepra ſqualidæ, opus eſt has à valentibus arcere, itidem & in Eccleſia, quoniam hæ quidem oues ſanæ ſunt, hæ verò morbidæ, per hanc vocem Diaconus excitat, & has ab illis diuidit, paſſim circuiens per illum clamorem nimis horrendum, & omnes vocans ſanctos & trahens.* Docuit hęc ceremonia, quantam puritatem hæc præparatio poſtulet. Propter hanc præparationem debitam exhomologeſim quoque & confeſſionem peccatorum præmittendam, Patres docuerunt. Vnde Cyprianus. *Ante expiata delicta, antè exhomologeſim factam criminis, antè purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis, putant pacem eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant.* Hinc & D. Auguſtinus docens qualis pænitentia ſubeunda ſit, pro ijs criminibus de quibus Apoſtolus dicit, *qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt,* inter cætera dicit. *Ab ipſa mente talis ſententia proferatur, vt ſe indignum homo iudicet participatione Corporis & Sanguinis Christi: vt qui ſeparari à Regno cælorum timet per vltimam ſententiam ſummi Iudicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cæleſtis panis interim ſeparetur. Si enim nos ipſos iudicauerimus, à Domino non iudicabimur.* Huius rei illu-

Homil. 61. ad pop. Antioch.

Serm. 5. de lapſis.

Gal. 5.

Homil. 50. ex homilijs 50. cap. 9.

1. Cor. 11.

illuſtria habemus exempla; & de Philippo Imperatore Chriſtiano, quem Fabianus Romanus Pontifex ad huius Sacramenti communionem in Paſchate non prius admittere voluit, quàm (vt ſcribit Euſebius) *ſe confeſſus fuiſſet, & inter eos qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur aſtricti, locumque pœnitentiam agentibus præſtitutum occupabant, ſe ſua ſponte collocauiſſet*: & item de Theodoſio Magno, quem poſt cædem Theſſalonicenſium niſi crimine prius expiato ne templum quidem ingredi paſſus eſt Ambroſius. Hinc ſanctiſſimè definiuit Conciliũ Trident. his verbis. *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione, ad S. Eucharistiam accedere debeat.* Antiquiſſimus huius rei teſtis eſſe poteſt B. Chryſoſtomus, in hæc verba ſcribens. *Tempus confeſſionis æquè & lotis baptiſmate & illotis, incumbit. Illis quidem, vt poſt potentia criminum vulnera pænitentia interueniente curentur, his verò, vt ablatis in baptiſmo maculis, ad Dominicam menſam, munda iam conſcientia accedant.* Propter huius præparationis neceſſitatem, comparantur Iudæ, Iudæiſque, Chriſtum crucifigentibus, qui ſine ea accedunt. Ideo Baſilius. *Mundemus, nos* (inquit) *ab omni inquinamento, atque ita ad ſancta accedamus, vt iudicium eorum qui Dominũ occiderunt, effugiamus.* Sic Chryſoſtomus. *Si qui Regiam purpuram coinquinant, haud ſecus quam qui ſcindunt, puniantur, quid mirum ſi qui immunda*

Hiſtor. Eccleſ. lib. 6. cap. 27.

Sozom. lib. 7. cap. 24.

Seſſ. 13. cap. 7.

Homil. 10. in Matth.

Libro 2. de baptiſmo cap. 3.

Hom. 45. in Ioannem.

conſcientia Chriſti corpus accipiunt, idem ſupplicium ſubeunt, quod qui eum clauis cruci affixerunt? Vide quam formidandã pœnam his minetur Paulus. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt?* Quod in hoc myſterio ab indignè accedentibus, non ex conſequenti modo & indirectè, ſed reipſa & propriiſſimè fit. Sic & Theodoretus. *Reus erit Corporis & Sanguinis, hoc ſignificat: quod quemadmodum tradidit ipſum Iudas, ipſi autem inſultarunt, & eum probris & conuitiis affecerunt Iudæi, ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui ſanctiſſimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum os immittunt.* Tantundem quoque & Cyprianus aſſerit. *Teſtante Apoſtolo ac dicente, non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini communicare & menſæ dæmoniorum, ac rurſum; quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini indignè, reus erit &c. Spretis his omnibus atque contemptis, vis infertur corpori eius & ſanguini, & plus modo in Dominum manibus & ore delinquunt, quam cum Dominum negauerunt.* Tam videlicet eſt neceſſaria hæc debita præparatio, vt planè abſque ea futura ſit hæc res ſaluberrima, certa nobis & grauiſsima pernicies. Inde & Apoſtolus. *Quæ communicatio luci ad tenebras, aut quæ participatio Chriſti cum Belial?* Deteſtandi ergo hæretici, qui hic ſolam fidem neceſſariam dicunt, & fidu-

Hebr. 12.

In cõment. in 1. Cor. 11

Serm. 5. de lapſis.

2. Cor. 11.

çiam

ciam quandam meritorum Chriſti: vitæ autē puritatem à SS. Patribus iuxta Scripturas traditam, adeo ad hoc Sacramentum percipiendum neceſſariā negant, vt eam cuiuis homini impoſſibilem planè eſſe blaſphement. Quum enim diuina præcepta & credere nos iubeant, & à criminibus abſtinere, & (vt fatetur diſertè Beza) *non minus ſit impoſſibile credere quàm legem præſtare, illud quidem* (ait Beza) *datur per Spiritus efficaciam cum prædicatione coniunctam, quia fides eſt ex auditu, &c. iſtud verò nunquam datur, quia vult patefieri iuſtitiam ſuam Deus, in tribuenda indignis miſericordia.* Atqui contra hanc Epicuream impietatem, clamat Apoſtolus, eos qui indignè ad hoc Sacramentum accedunt, non miſericordiam, ſed iudicium à Deo accipere, ideoque probare ſeipſos diligenter iubentur, ne indignè accedant. Et quis non videt Dei iuſtitiam, non in miſericordia indignis tribuenda, ſed in iuſta vindicta indignis rependenda, patefieri? Quis neſcit miſericordiam indignis tribui, ignoſcendo, iuſtitiam verò, puniendo? Sed abſurdi hæretici impias ſuas abſurditates nō niſi verbis abſurdiſſimis, mutuoque pugnantibus, proferre poſſunt. In Annot. ad 2. Cor. 3 verſus 3.

Iam verò non abſque peccato tantum & ſine crimine eſſe oportet, ſed & certis virtutibus neceſſariò præditus, qui non indignè vult accedere, eſſe debet. Ac primū quidem firma & indubitata fides, de rerum hic exhibitarum veritate, prorſus eſt neceſſaria: *Fidem autem fa-* Virtutes ad hanc præparat. neceſſariæ.

In regulis breuiorib. ad interrogat. 172. *ciunt* (ait Baſilius) *verba Domini, hoc eſt corpus meum,*&c. *Teſtimonium quoque Ioannis. Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis. Quicunſcumque igitur animus fide his atque huiuſmodi verbis adhibita, partim in cognitionem venerit maieſtatis tantæ gloriæ, partim incredibilem magnitudinem humilitatis & obedientiæ admiratus fuerit; prorſus in eo charitatem arbitror excitari, & erga patrem qui proprio filio pro nobis non pepercit, & erga vnigenitum qui patri obediens fuit. Hoc modo animus affectus & paratus eſſe debet, qui panem & calicem communicat.* Et huc pertinent illorum Patrum verba, quæ ante omnia Chriſti verbis nos fidem adhibere iubent. Pulchrè Leo. *Sic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti, ambigatis.* Et Chryſoſtomus interpretatur, *non diiudicare Corpus Domini,* eſſe, non credere & non aduertere, quis cui ſe exhibeat. *Si didiceris,* inquit, *diligenter quis ſit propoſitus, & quis cui ſeipſum exhibet, nullius alterius indigebis ratione: ſed hoc tibi ad omnem ſobrietatem ſufficiet, niſi ſis ignauiſſimus.* Ideo etiam Aquilarum, non graculorum, hanc menſam eſſe alibi ſcribit. *Vbi cadauer ait Chriſtus, illuc & Aquilæ. Cadauer, Domini corpus propter mortem. Aquilas autem appellat, vt oſtendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & in Solem iuſtitiæ ſemper intueri, mentiſque oculum acutiſſimum habere. Aquilarum enim non graculorum, hæc menſa eſt.* Hæretici ſanè graculi ſunt, qui garriunt quidem de hoc myſterio, neſcientes neque de quibus

Serm. 6. de ieiunio 7. menſis.

Hom. 28. in 1. Cor 11.

Hom. 24 in 1. Cor. 10.

quibus loquuntur, neque quæ affirmant, humique volitant, communi pane ac vino contenti. Fideles autem fidei alis altè volitant, non quidem (vt volunt hæretici) in cælo ſolum Chriſtum quærentes, indeque per canalem neſcio quem vt ad eos deriuetur, longiſſimeque abſens communicetur, expectantes; ſed in myſterijs propoſitis eum intuentes: & in illis, vt Chriſtus iuſſit, eum accipientes & manducantes. *Aquila ſublimiter volans* (ait Auguſtinus) *de tanto interuallo ſub fluctibus natantem piſcem dicitur peruidere, & grauiter aquis illeſa exertis pedibus vnguibuſque rapere.* Sic nos fidei lumine eleuati, per hæc panis & vini ſigna, Corpus & Sanguinem Chriſti, iuxta eius clariſſima verba peruidemus, & (vt loquitur Chryſoſtomus) *dentes carni eius infigimus.* Porro *cum fide accedere* (vt idem docet Chryſoſtomus) *non eſt, vt tantummodo propoſitum corpus recipias, verum multò magis, vt mundo corde tangas, vt ſic adeas, quemadmodum ipſum Chriſtum. Quoniam enim res ardua eſt* (ait Cyrillus) *ideo fide magis, quam alio modo recipitur, ideo multis atque varijs modis, eius vtilitatem exponit* Chriſtus, Ioan. 6. cap. *fundamentum & baſim fidem eſſe confirmans.*

Lib. de diuinatione dæmonum.
Hom. 61. ad pop. Antio.
Hom. 24. in 1. Cor. 10.
Cyrillus lib. 4. in Ioã cap. 17.

Fidei porro charitas neceſſariò hic adiungenda eſt. *Eſt enim hoc Sacramentum* (vt pulchrè ſcripſit Auguſtinus) *Sacramentum pietatis, ſignum vnitatis, vinculum charitatis.* Ideo ſic ſuos adhortatur ibidem. *Antequam ad altare accedatis, attendite quid dicitis, dimitte nobis, &c. Si dimittis, dimit-*

Tract. 26. in Ioan.

Greg.par. 2 cap. 4. curæ paſtor. *inter vos*, vt videlicet *ſic ſapienter loquatur paſtor, vt eloquio ſapientiæ, vnitatem audientũ non confundat*; Denique (vt finem faciam) quanta ſit huius varietatis, quæ ineſſe paſtori debet, varietas, part. 3. c. 2. docet pulchrè Gregorius Magnus. Primum magni ſtudij ac laboris eſt, *vt exhortandis ſingulis ſeruiatur ad ſingula: & vnicuique propria quæ conueniunt, diſpenſate.* Nam plærumque Ibidem in prologo part. 3. *herbæ quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt, & leuis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat. Et medicamentum quod hunc morbum minuit, alteri vires auget.* Adeo pro qualitate ſingulorum formari debet ſermo Part. 2. c. 2. Doctorum. At longè laborioſius eſt, *Auditores innumeros, ac diuerſis paſſionibus laborantes, vno eodemque tempore, voce vnius & communis exhortationis admonere: vt more gladii bicipitis, tumores cogitationũ carnalium ex diuerſo latere incidat: & paleſtrarũ more in omnes ſe partes feriendi vertat.* Omninm tamen adhuc difficillimũ eſt, quando vni contrarijs vitijs ſeruienti, prędicare compellitur. Part. 3. c. 3. *Quandoque enim latæ complexionis homo, repentina triſtitia obruitur, vbi ſic amouenda repentina triſtitia, vt non augeatur leuitas conſueta.*

Ad hæc autem tot & tam varia quid paſtori remedij, quid conſilij? Quod idem ſuggerit Part. 2. c. 11 Gregorius, & nos vltimo loco à paſtore exigimus S. Scripturarum lectio & cognitio. Auguſtinus enarr. in Pſal. 36. *Omne hoc à rectore rite agitur* (ait ille) *ſi Diuino ſpiritu afflatus, ſtudiosè quotidie ſacri eloquii præcepta meditetur. Omnis enim morbus animæ, habet in ſcripturis medicamentum ſuum.* Et D. Ambroſius. In præfat. in pſal. 37. *Sicut*

terram

terram iſtam ſalubres herbas & arborum ſuccos ferre præcepit Deus, quibus carnis vulnera curarentur, ſic præceptis ſalutaribus repleuit Diuinarũ ſeriem ſcripturarũ, quibus infirmitas animæ ſanaretur. Ideo monet Timotheum ſuum Apoſtolus. *Dum venio attende lectioni.* Et Epiſcopum eſſe vult *amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens, ſit exhortari in doctrina ſana.* Hinc quoque Spiritus S. in linguarum ſpecie deſcendit, vt vis verbi notetur. Hinc etiam ſuum Nepotianum monet Hieronymus: *Diuinas Scripturas ſæpius lege, imo nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur. Diſce quod doceas. Paratus ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti te rationem. De ea quæ in te eſt ſpe & fide.* Contra enim, *qui ignorat, ignorabitur.* Et *labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius.* Talis eſſe ſacerdos & paſtor debet, qui rectè hoc munere fungi velit.

1. Timo. 4. Titum 1. Epiſt. ad Nepotianum. 1. Cor. 14. Malac. 2.

DE PRÆPARATIONE AD SACRAM SYNAXIN DEBITA.

Oratio Catechetica Duaci habita.

NEc me (Auditores) veritati huius Diuiniſſimi Sacramẽti explicandæ & confirmandæ tam diu & per tam varias Catecheſes immoratum fuiſſe, nec vos opinor tam prolixam diſputationem penè cum tædio excepiſſe pigebit, ſi poſt tam diutinam ac moleſtam cum veritatis hoſtibus

ſtibus conflictationem, quaſi poſt atrocis belli, cruentam victoriam, ſuauiſſimo tandem huius Sacramenti fructu, vt læta quædam ac beata pace gaudere, fruique liceat. Quemadmodum enim nec arat agricola, nec ædificat Architectus, nec nauigat Mercator, vel quod aratrum delectet, vel vt in ædificando ſemper perſiſtat, vel quod nauigatio & mare voluptatem afferant, ſed agricola vt metat, Architectus vt inhabitet, Mercator vt diteſcat, laboribus ſe interim non illibenter macerat, curis affligat, periculis obiectat; ita ſanè veritati Catholicæ diligenter cognoſcendæ firmiterque contra omnem falſitatem hæreticam retinendæ laborioſè inſudat pius Catechumenus, & tyro Chriſtianus, non quod iſta accurata rerum ſpeculatio (quam meritò vocat
Eccl. 1. Sapiens *afflictionem ſpiritus*, dicitque; *Qui addit ſcientiam, addit dolorem*) aut fructus ſit quem carpere debeat, aut finis in quo acquieſcere velit; ſed vt veritate cognita, actione, & vſu fructum percipiat, & in finem illum tendat; quo ſolo beati ſumus. Hinc pulchrè & ſapien-
Epiſt. 119. cap. 21. ter ſcripſit Auguſtinus; *ſic adhibendam eſſe ſcientiam tanquam machinam quandam, per quam ſtructura charitatis aſſurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum ſcientia, deſtruetur.* Itaque in erigenda veritatis machina, tum demum prudenter laboramus, ſi pietatis ſtructura inde tandem aſſurgat. Quum hactenus ergo ſtabiliendæ veritati, quaſi erigendæ cuidam Machinæ (cui reliqua

liqua tota ſtructura innititur) incubuerimus, omnemque curam impenderimus, ne ille totus labor nobis pereat, multò nunc alacrius multoque conſtantius pietatis ſtructurę & ædificationi vt Apoſtolus apertiſſimè vocat, incumbere debemus, & in ijs laborare quę propriè ad ædificationem, id eſt, ad pietatis vſum faciant, ſicut ſuos Corinthios monet Apoſtolus, *Omnia* (inquit) *ad ædificationem, ſiue linguæ, ſiue prophetiæ*, &c. Quis ergo ſit huius diuiniſſimi Sacramenti fructus iucundiſsimus, 1.Cor.14.
& hunc fructum percipiendi quis modus, quę via & ratio vera atque legitima (quia hoc propriè ad ædificationē & ad pietatis ſtructuram facit) & à nobis diligentiſsimè nunc differendum eſt, & vos Auditores, diligenter quod facitis, attendere par eſt. Primum autem de modo & via, poſtea de fructu & vſu in quo finis eſt, diſputabimus. Sic enim & iucundior & facilior finis erit conſideratio, quum viam prius eo perueniendi, tenuerimus.

Agamus itaque de modo & via, qua ad hoc tantum Sacramentum dignè & vtiliter accedendum ſit. Sunt autem in modo & via per- 1.
cipiendi huius Sacramenti quædam planè neceſſaria, ita vt ſine his, ad iudicium & perniciem, non ad ſalutem, ſumatur: Alia ſunt, 2.
quæ ad ampliorem gratiam conſequendam faciunt, eoq; nomine à Patribus vehementer hîc requiruntur. Quędam denique propter 3.
Sacramenti ipſius dignitatem & amplitudi-

nem ſic à Patribus hic cõmendantur, vt pene neceſſaria videantur, magis tamẽ ex congruo & conuenienti exoptantur, quam vt res ex officio debita ſingulis hoc Sacramentum percepturis, imponitur. Eſt hæc autem diſtinctio diligenter notanda, tum ne ea quæ neceſſaria ſunt temerè prætermittamus, atque ita præſumptione periculoſa non diiudicemus Corpus Domini, tum ne illa quę perfectiora ſunt, ita hic neceſſaria exiſtimemus, vt quum ad ea nos non pertingere videamus, deſperabundi propterea, à re nobis vtiliſſima præpoſtera quadã timiditate, aut etiam potius negligentia & oſcitantia, abſtineamus.

Ad præparationem debitam neceſſaria. Neceſſaria primò hæc ſunt, vt abſque crimine, vt fide firma ſolidaque, vt charitate ſincera, vt reuerentia quadam debita, accedat, qui cum fructu & ad ſalutem, non ad perniciem & iudicium, hoc Sacramentũ vult percipere. Ad hæc quatuor capita, referri ea omnia poſſunt, quæ à Scriptura & Patribus neceſſariò exiguntur, vt dignè quis, id eſt, non indignè, accedat. Quis enim demũ ſimpliciter dignè acceſſerit? De prima illa conditione, vt abſque crimine letali ſit qui huc accedit, Apoſtolus diſertè præmonuit, dicens. 1. Cor. 11. *Probet ſeipſum omnis homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Hanç enim probationem, intelligunt Patres, videre vt omni crimine vacemus.

mus. Sic Gregorius Magnus. *Quid eſt hoc loco* Lib 2 cap. 1 in libro 1. Regum.
ſe probare, niſi euacuata peccatorum nequitia ſe proba-tum, ad Dominicam menſam & purum præbere? Sic
& Auguſtinus. *Mutet vitam, qui vult accipere vi-* Serm 1. de tempore.
tam; nam ſi non mutet vitam, ad iudicium accipiet vi-tam, & magis ex ipſa corrumpitur, quàm ſanatur.
Exemplo quoque à veteri lege petito, ſic diſ- De baptiſmo libro 2 cap. 3.
putat Baſilius. *Ego Dominus. Dic illis in generatio-nibus ſuis, Quiſquis hominum ad ſancta quæcumque filij Iſrael Domino ſanctificant, in immunditia ſua con-ſtitutus accedit, exterminabitur anima illius de populo. Ego Dominus. Si tales ac tantæ minæ aduerſum eos poſitæ ſunt, qui temerè ad ſacra accedunt, quæ ab homi-nibus ſanctificantur, quid dicendum eſt de eo, qui in tantum ac tale myſterium temerarius eſt? Quantò enim maius aliquid is eſt templo, tantò grauius & ter-ribilius eſt in animæ impuritate conſtitutum corpus Chriſti temerè contingere, quàm ſit accedere ad arietes vel tauros, dicente Apoſtolo ac repetente: qui edit & bi-bit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiu-dicans corpus Domini.* Sic Heſychius preſbyter. In Leuit. cap. 26.
Qualem probationem dicit? Vt in corde mundo atque conſcientia & pænitentiam eorum quæ olim deliquit, intendenti participetur ſanctis. Propter hanc præ-parationem, vt ſine crimine eſſet qui accede-ret, clamatur in Græcorum liturgijs, Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. *Sancta, Sanctis.*

De voce autem illa qua excludebantur in- Eccleſ. hierarch. cap. 3 part. 1.
digni, ſic Dionyſius. *Si diuinorum veneranda illa altiſſimaque celebratio, eos quoque qui in pænitentia ſunt, quanquam ſui fuerint aliquando participes, reſ-*

puit (Arcet enim eos puriſſima illa & ſincera per omnia vox τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις *longè profectò magis prophana & impura illorum turba erit, qui paſſibiliter iactandos ſe fœdis voluptatibus præſtant, & ab aſpectu omni & communione Sacramentorum, aliena.* Sic & de eadem voce Chryſoſtomus. *Sicut in grege vbi multæ quidem ſunt oues ſanæ, multæ verò lepra ſqualidæ, opus eſt has à valentibus arcere, itidem & in Eccleſia, quoniam hæ quidem oues ſanæ ſunt, hæ verò morbidæ, per hanc vocem Diaconus excitat, & has ab illis diuidit, paſſim circuiens per illum clamorem nimis horrendum, & omnes vocans ſanctos & trahens.* Docuit hęc ceremonia, quantam puritatem hæc præparatio poſtulet. Propter hanc præparationem debitam exhomologeſim quoque & confeſſionem peccatorum præmittendam, Patres docuerunt. Vnde Cyprianus. *Ante expiata delicta, antè exhomologeſim factam criminis, antè purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis, putant pacem eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant.* Hinc & D. Auguſtinus docens qualis pænitentia ſubeunda ſit, pro ijs criminibus de quibus Apoſtolus dicit, *qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt,* inter cætera dicit. *Ab ipſa mente talis ſententia proferatur, vt ſe indignum homo iudicet participatione Corporis & Sanguinis Chriſti: vt qui ſeparari à Regno cælorum timet per vltimam ſententiam ſummi Iudicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cæleſtis panis interim ſeparetur. Si enim nos ipſos iudicauerimus, à Domino non iudicabimur.* Huius rei illu-

Homil. 61. ad pop. Antioch.

Serm. 5. de lapſis.

Gal. 5.

Homil. 50. ex homilijs 50. cap. 9.

1. Cor. 11.

illuſtria habemus exempla, & de Philippo Imperatore Chriſtiano, quem Fabianus Romanus Pontifex ad huius Sacramenti communionem in Paſchate non prius admittere voluit, quam (vt ſcribit Euſebius) *ſe confeſſus fuiſſet, & inter eos qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur aſtricti, locumque pœnitentiam agentibus præſtitutum occupabant, ſe ſuaſponte collocauiſſet*: & item de Theodoſio Magno, quem poſt cædem Theſſalonicenſium niſi crimine prius expiato ne templum quidem ingredi paſſus eſt Ambroſius. Hinc ſanctiſſimè definiuit Conciliū Trident. his verbis. *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione, ad S. Euchariſtiam accedere debeat.* Antiquiſſimus huius rei teſtis eſſe poteſt B. Chryſoſtomus, in hæc verba ſcribens. *Tempus confeſſionis æquè & lotis baptiſmate & illotis, incumbit. Illis quidem, vt poſt pœnitentia criminum vulnera pœnitentia interueniente curentur, his verò, vt ablatis in baptiſmo maculis, ad Dominicam menſam, munda iam conſcientia accedant.* Propter huius præparationis neceſſitatem, comparantur Iudæ, Iudæiſque, Chriſtum crucifigentibus, qui ſine ea accedunt. Ideo Baſilius. *Mundemus, nos* (inquit) *ab omni inquinamento, atque ita ad ſancta accedamus, vt iudicium eorum qui Dominū occiderunt, effugiamus.* Sic Chryſoſtomus. *Si qui Regiam purpuram coinquinant, haud ſecus quam qui ſcindunt, puniantur, quid mirum ſi qui immunda*

Hiſtor. Eccleſ. lib. 6. cap. 27.

Sozom. lib. 7. cap. 24.

Seſſ. 13. cap. 7.

Homil. 10. in Matth.

Libro 2. de baptiſmo cap. 3.

Hom. 45. in Ioannem.

conſcientia Chriſti corpus accipiunt, idem ſupplicium ſubeunt, quod qui eum clauis cruci affixerunt? Vide

Hebr. 12. quam formidandã pænam his minetur Paulus. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt?* Quod in hoc myſterio ab indignè accedentibus, non ex conſequenti modo & indirectè, ſed reipſa & propriiſſimè

In cõment. in 1. Cor. 11 fit. Sic & Theodoretus. *Reus erit Corporis & Sanguinis, hoc ſignificat: quod quemadmodum tradidit ipſum Iudas, ipſi autem inſultarunt, & eum probris & conuitiis affecerunt Iudæi, ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui ſanctiſſimum eius corpus immundis*

Serm. 5. de lapſis. *manibus accipiunt, & in pollutum os immittunt.* Tantundem quoque & Cyprianus aſſerit. *Teſtante Apoſtolo ac dicente, non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini communicare & menſæ dæmoniorum, ac rurſum; quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini indignè, reus erit &c. Spretis his omnibus atque contemptis, vis infertur corpori eius & ſanguini, & plus modo in Dominum manibus & ore delinquunt, quam cum Dominum negauerunt.* Tam videlicet eſt neceſſaria hæc debita præparatio, vt planè abſque ea futura ſit hæc res ſaluberrima, certa nobis & grauiſsima pernicies. Inde & Apoſtolus. *Quæ*

2. Cor. 11. *communicatio luci ad tenebras, aut quæ participatio Chriſti cum Belial?* Deteſtandi ergo hæretici, qui hic ſolam fidem neceſſariam dicunt, & fiduciam

ciam quandam meritorum Chriſti: vitæ autē puritatem à SS. Patribus iuxta Scripturas traditam, adeo ad hoc Sacramentum percipiendum neceſſariā negant, vt eam cuiuis homini impoſſibilem planè eſſe blaſphement. Quum enim diuina præcepta & credere nos iubeant, & à criminibus abſtinere, & (vt fatetur diſertè Beza) *non minus ſit impoſſibile credere quàm legem præſtare, illud quidem* (ait Beza) *datur per Spiritus efficaciam cum prædicatione coniunctam, quia fides eſt ex auditu,* &c. *iſtud verò nunquam datur, quia vult pateſieri iuſtitiam ſuam Deus, in tribuenda indignis miſericordia.* Atqui contra hanc Epicuream impietatem, clamat Apoſtolus, eos qui indignè ad hoc Sacramentum accedunt, non miſericordiam, ſed iudicium à Deo accipere, ideoque probare ſeipſos diligenter iubentur, ne indignè accedant. Et quis non videt Dei iuſtitiam, non in miſericordia indignis tribuenda, ſed in iuſta vindicta indignis rependenda, pateſieri? Quis neſcit miſericordiam indignis tribui, ignoſcendo, iuſtitiam verò, puniendo? Sed abſurdi hæretici impias ſuas abſurditates nō niſi verbis abſurdiſſimis, mutuoque pugnantibus, proferre poſſunt.

In Annot. ad 2. Cor. 3 verſus 3.

Iam verò non abſque peccato tantum & ſine crimine eſſe oportet, ſed & certis virtutibus neceſſariò præditus, qui non indignè vult accedere, eſſe debet. Ac primū quidem firma & indubitata fides, de rerum hic exhibitarum veritate, prorſus eſt neceſſaria: *Fidem autem fa-*

Virtutes ad hanc præparat. neceſſariæ.

In regulis breuiorib. ad Interrogat. 172. *ciunt* (ait Baſilius) *verba Domini, hoc eſt corpus meum*, &c. *Teſtimonium quoque Ioannis. Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis. Quicunque igitur animus fide his atque huiuſmodi verbis adhibita, partim in cognitionem venerit maieſtatis tantæ gloriæ, partim incredibilem magnitudinem humilitatis & obedientiæ admiratus fuerit; prorſus in eo charitatem arbitror excitari, & erga patrem qui proprio filio pro nobis non pepercit, & erga vnigenitum qui patri obediens fuit. Hoc modo animus affectus & paratus eſſe debet, qui panem & calicem communicat.* Et huc pertinent illorum Patrum verba, quæ ante omnia Chriſti verbis nos fidem adhibere iu-

Serm 6. de ieiunio 7. menſis. bent. Pulchrè Leo. *Sic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti, ambigatis.* Et Chryſoſtomus interpretatur, *non diiudicare Corpus Domini*, eſſe, non credere & non aduertere, quis cui ſe exhi-

Hom. 28. in 1. Cor 11. beat. *Si didiceris*, inquit, *diligenter quis ſit propoſitus, & quis cui ſeipſum exhibet, nullius alterius indigebis ratione: ſed hoc tibi ad omnem ſobrietatem ſufficiet, niſi ſis ignauiſſimus.* Ideo etiam Aquilarum,

Hom. 24 in 1. Cor. 10. non graculorum, hanc menſam eſſe alibi ſcribit. *Vbi cadauer ait Chriſtus, illuc & Aquilæ. Cadauer, Domini corpus propter mortem. Aquilas autem appellat, vt oſtendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & in Solem iuſtitiæ ſemper intueri, mentiſque oculum acutiſſimum habere. Aquilarum enim non graculorum, hæc menſa eſt.* Hæretici ſanè graculi ſunt, qui garriunt quidem de hoc myſterio, neſcientes neque de

quibus

quibus loquuntur, neque quæ affirmant, humique volitant, communi pane ac vino contenti. Fideles autem fidei alis altè volitant, non quidem (vt volunt hæretici) in cælo ſolum Chriſtum quærentes, indeque per canalem neſcio quem vt ad eos deriuetur, longiſſimeque abſens communicetur, expectantes; ſed in myſterijs propoſitis eum intuentes: & in illis, vt Chriſtus iuſſit, eum accipientes & manducantes. *Aquila ſublimiter volans* (ait Auguſtinus) *de tanto interuallo ſub fluctibus natantem piſcem dicitur peruidere, & grauiter aquis illeſa exertis pedibus vnguibuſque rapere.* Sic nos fidei lumine eleuati, per hæc panis & vini ſigna, Corpus & Sanguinem Chriſti, iuxta eius clariſſima verba peruidemus, & (vt loquitur Chryſoſtomus) *dentes carni eius infigimus.* Porro *cum fide accedere* (vt idem docet Chryſoſtomus) *non eſt, vt tantummodo propoſitum corpus recipias, verum multò magis, vt mundo corde tangas, vt ſic adeas, quemadmodum ipſum Chriſtum. Quoniam enim res ardua eſt* (ait Cyrillus) *ideo fide magis, quam alio modo recipitur, ideo multis atque varijs modis, eius vtilitatem exponit* Chriſtus, Ioan. 6. cap. *fundamentum & baſim fidem eſſe confirmans.* Lib. de diuinatione dæmonum Hom. 61. ad pop. Antio. Hom. 24. in 1. Cor. 10. Cyrillus lib. 4. in Ioā cap. 17.

Fidei porro charitas neceſſariò hic adiungenda eſt. *Eſt enim hoc Sacramentum* (vt pulchrè ſcripſit Auguſtinus) *Sacramentum pietatis, ſignum vnitatis, vinculum charitatis.* Ideo ſic ſuos adhortatur ibidem. *Antequam ad altare accedatis, attendite quid dicitis, dimitte nobis, &c. Si dimittis, dimit-* Tract. 26. in Ioan.

tetur tibi, ſecurus accede: panis eſt, non venenum. Et cui dubium de huius Sacramenti vſu potiſſimum & propriè Chriſtum loquutum fuiſſe,
Matth. 5. quum diceret; *Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Sanè Apoſtolus, vt charitatis hîc neceſſitatem doceret, apertè
1. Cor. 10. ſcripſit. *Vnus panis & vnum corpus multi ſumus,* (id eſt, nos inter nos ipſos, veluti in vnum panem & vnum corpus coaleſcimus) nos *omnes qui de vno pane participamus,* vel vt grӕcus textus habet. *Omnes enim de illo vno pane* (qui non niſi vnus Chriſtus eſſe poteſt) participamus. *Οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν.* Propterea quoque quum hoc inſtituiſſet Sacramentum Saluator, primum præceptum quod mox dabat, mutuæ charitatis & quidem arctiſſimæ, erat. *Mandatum* (inquit) *nouum do vobis, vt diligatis*
Ioan. 13. *inuicem, ſicut dilexi vos.* Nempe quum (vt antea oſtenſum eſt) propter maximum amoris Dei in nos argumentum, iſtud Sacramentum inſtitutum ſit, præcipuè hanc reciprocam hîc charitatem & dilectionem Deus à nobis, poſtulat. Sic Chryſoſtomus. *Chriſtus vt maiori nos*
Homil. 45. in Ioan. *charitate aſtringeret, & vt ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantū videri permittit deſiderantibus, ſed & tangi & manducari, & dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri.* Rurſum propter magnitudinem beneficij quod hîc accipitur,
Luc. 7. magis hic exigitur charitas, *Cui enim plus dimit-*
titur

titur plus diligit, ait Saluator. Et ſeruum illum nequam, cui quum Dominus centum talenta remiſerat, cum cõſeruo duo talenta debente patientiá habere noluit, grauiſsimè propterea caſtigat dicẽs, *Serue nequam omne debitũ dimiſi tibi, quoniã rogaſti me, nonne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* vbi apertè reciprocã illam dilectionẽ, maximeque in tanto accepto beneficio, vt debitũ, exigit. Matth. 18.

Ad fidem & charitatem quæ intus feruere debent, exterior etiam quædam hic exigitur, debita reuerentia. Ea autẽ in pluribus rebus conſiſtit. Primũ in propriæ indignitatis conſideratione. Ideo cum Centurione (vt monet Origenes) dicere debemus, *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Quando ſanctum*, (inquit) *cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando manducas & bibis corpus & Sanguinem Domini, tunc Dominus intrat ſub tectũ tuũ; & tu ergo humilians teipſum, imitare illum & dicito. Domine non ſum dignus*, &c. Et eſt perpetuò hæc noſtræ indignitatis ex parte noſtra agnitio neceſſaria, ne putemus nos aliquando dignè accipere, quia digni ſumus. Hoc obiiciebat Catholicis barbarus ille Lutherus, hancque in illis anxietatem & ſollicitudinem homo improbus vehementer redarguebat, qua volebãt omnia purè confiteri, *nihil aliud hoc eſſe* dicens, *quàm miſericordiæ Dei, nihil relinquere ignoſcendum, nec confidere in eum, ſed in præparationem noſtram, cum tamen ei ſit beneplacitum ſuper timentes eum, & in eos qui ſperant* Hom. 5. in diuerſos Euangelij locos. Conc. 2 de pœnit. tom. 1 fol. 61. b.

rant ſuper miſericordiã eius. Quaſi verò qui iuxta Apoſtolum ſeipſum probat, in illam ſuam probationem & præparationem confidat, ac non magis Deum veriſſimè timeat, nempe iuſta Dei iudicia, ſperetque (non prȩſumat) de miſericordia eius. Quæ enim diximus neceſſariò requiri, ſi adſint, non hominem faciunt ſimpliciter dignum, ſed faciunt, vt planè non ſit indignus. Tanto enim myſterio nemo vnquam dignus fuerit. Denique quum omnem diligentiã in probatione noſtri adhibuerimus, multa nihilominus Dei miſericordiæ, ignoſcenda relinquimus.

Epiſt. 118. cap. 6. Ad debitam porro reuerentiam pertinet, vt ieiuni accedamus. Vnde Auguſtinus; *liquidò apparet quando primum acceperunt Diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quod à ieiunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur. Ideo* dicit, id eſt, *propter honorem tanti Sacramenti.* Tantò ſceleratiores hodie hæretici, qui nullo habito tanti Sacramenti honore, ſuperſtitioſum putant ieiunum accedere, priuſque domi comedunt, quàm ad iſtud accedant.

Lib. 2. ad vxorem. Hunc autem morem vetuſtiſſimus author Tertullianus teſtatur, ſic ſcribens. *Non ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes?* Denique hanc irreuȩrentiam in Corinthijs reprehen-

prehendit Apoſtolus, quòd præmiſſis ſuis epulis, ad cœnam Dominicam accederent. Sic enim ſcribit. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare.* Quare autem? ſubdit. *Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum.* In quæ verba Auguſtinus. *Inde, inquit, Apoſtolus indignè dicit accepeum eſſe, ab eis qui hoc non diſcernebant à cæteris cibis, veneratione ſingulariter debita.* Suam ergo cœnam ſeu refectionem quamlibet præſumere ad manducandum, planè ex Apoſtolica doctrina, eſt indignè accipere: idque eam ob cauſam, quod non accipiatur veneratione ſingulariter debita. 1. Cor. 11. Epiſt. 118. cap. 3.

Ad debitam poſtremò reuerentiam pertinet, vt etiam à legitimo vxoris conſortio, maritus communicaturus abſtineat. Notauit hęc diſertè D. Auguſtinus. *Inuitati ſumus ad menſam vbi non inuenitur cibus hominum, ſed panis ponitur Angelorum. Ideo ſicut frequenter admonui, ante plures dies non ſolum ab infælici concubinarum conſortio, ſed etiam à propriis vxoribus, abſtinete.* Hęc ille. Sic docet etiam Hieronymus in Apologia aduerſus Iouinianum. Et Concil. Cabilonenſe, exēplo Dauidis, qui niſi faſſus fuiſſet ſe ab heri & nudiuſtertius ab opere coniugali abſtinuiſſe, panes propoſitionis nequaquam accepiſſet. Hæc itaque quę iam commemorauimus planè huiuſmodi ſunt, vt ſine illis adhibitis, *iudicium ſibi manducet & bibat*, qui hoc Sacramentum accipit. Serm. 2 de tempore. Cap. 46.

Alia

Alia autem ſunt quæ vehementer videas à S.Patribus commendari, magis tamen partim ad ampliorem gratiam conſequendam, partim propter Sacramenti dignitatẽ requiruntur, quàm quòd ſimpliciter & abſolutè neceſſaria ſint. Tale eſt, quod huc adferri oportere ſcribant, puritatem & integritatẽ quandam animi perfectiſſimam, omni culpa & macula, vacuam. Sic enim ſcribit Baſilius. *Oportet accedentem ad Corpus & Sanguinem Domini, ad rememorationem eius, qui pro nobis mortuus eſt ac reſurrexit, non ſolum purum eſſe à quouis inquinamento carnis ac ſpiritus, ne ad iudicium edat & bibat, ſed & euidenter oſtendere & exprimere memoriam eius, qui pro nobis mortuus eſt ac reſurrexit, in eo quod & mortificatus peccato, mundo ac ſibi ipſi, & Deo viuit, in Chriſto Ieſu.* Sic Chryſoſtomus. *Qua igitur rè mundiorem eſſe non oportet eum qui hoc ſacrificio participaturus eſt? quos radios ſolares non deberet excedere manus illa, quæ hanc carnem pertractat? os quod igne impletur ſpirituali, lingua quæ cruentatur hoc admirabili ſanguine? veniat in mentem tibi quo ſis honore honoratus, qua menſa fruaris.* Vbi apertè hanc ſummam puritatem deſiderat, propter rei maieſtatem quam accipimus. Sic & Auguſtinus. *Qui ad iſtud altare caſto corpore & mundo corde, cum munda & ſecura conſcientia accedunt, ad illud altare quod in cælis eſt, fælici transmigratione peruenient. Omnes viri quum communicare deſiderant, lauant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi Corpus Chriſti accipiant. Sic Corpus*

De baptiſmo libro 1. cap. 3.

Homil. 83. in Matth.

Serm. 252. de tempore

caſtum

caſtum & cor mundum exhibeant, vt cum bona conſcientia, Sacramenta Chriſti accipiant. Dionyſius autem Areopagita, ſcribit non ſolum Catechumenos & Euergumenos, ac pænitentes ſuo tempore, à percipiendis adeoque inſpiciendis myſterijs ſecluſos, & repulſos fuiſſe, ſed etiam eos, qui *licet* (inquit) *à contraria vita* (vitioſam intelligit) *diſceſſerint, nondũ tamen imaginũ ipſius habitu altius impreſſo caruere, & necdum amore Diuino atq; puriſſimo, purgati ſunt. Deniq; vt illos qui vſquequaque ad vnius (Dei) effigiem non peruenerunt atque immaculati omnino incontaminatique non ſunt.* Quæ omnia tum facta eſſe credendum eſt, vt in frequenti illa primorum Chriſtianorum puritate, non niſi illi ad Diuiniſſima myſteria accederent, qui & pro rerum ſanctiſſimarum dignitate, & maximo ſuo cum fructu, ea percipere potuerunt. Nam & alijs ad ſimilem pietatem capeſcendam, ſingulare hoc erat incitamentum. Eccleſ. hierar. part. 3. cap. 3.

Rurſum vt ardenti & flagranti quodam deſiderio ad hoc Sacramentum accedamus, monent Patres, non ſanè, quod qui id non faciat, *iudicium ſibi manducet & bibat*, ſed quod ita meretur myſterij huius magnitudo, eſtque ad ampliorem gratiam, fructumque promerendum, ratio illa commodiſſima. Ideo enim (vt pulchrè ſcripſit Auguſtinus) *exercetur deſiderium noſtrum orationibus, vt poſſimus capere, quod præparat Deus dare. Illud enim valde magnum eſt, ſed nos ad accipiendum parui & anguſti ſumus.* Epiſt. 121.

Tantò

Tantò quippe ſumemus capacius, quantò & fideliùs credimus, & ſperamus firmius, & deſideramus ardentius. Vt ergo ſimus gratiæ fructuſque huius Sacramenti quàm capiciſſimi, vt ſingulari quodam & vehementi deſiderio huc accedamus, monent, vrgentque S. Patres. Sic

Homil. 83. in Matth. imprimis Chryſoſtomus. *Tanta* (inquit) *charitate atque honore affecti non torpeamus. Non videtis quanta infantes animi alacritate matrum mamillas arripiunt? qua preßione papillis infigunt labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc menſam & ad huius calicis, ſpiritalem accedamus papillam. Imo verò maiori deſiderio quaſi lactentes pueri, gratiam ſpiritus ſugamus. Vnus ſit nobis dolor, vna mæſtitia, ſi hoc alimento ſpirituali priuamur.* Hoc etiam & ex typo veteris agni paſcha-

Hom. 60 ad pop. Antio. lis alibi docet, fieri oportere. *Nemo* (inquit) *nauſeans accedat, nemo remiſſus, ſed excitati, incenſi, ac feruentes, omnes accedant. Nam ſi Iudæi ſtantes, calceati & baculos in manibus habentes, cum feſtinatione comedebant, quantò magis nobis vigilandum eſt, omnique feruore & alacritate, accedendum?* Hæc ille. Nempe ne frigidus quis

Epiſt. 118, cap. 3. accedat, monuit etiam diligenter Auguſtinus: *Contemptum non vult cibus iſte, ſicut nec Manna faſtidium*, Videntur enim iſti tepidi acceſſores, cum Iudæis dicere. *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Hinc & Da-

De orthodoxa fide lib. 4. c. 14. maſcenus ſic ſcriptum reliquit. *Accedamus ad eum deſiderio ardenti, & apponentes oculos & labia & frontem, Diuinum carbonem concipiamus, vt ignis*

vt ignis in nobis deſiderij ex eo carbone accenſus, comburat peccata noſtra, & illuminet corda noſtra, & participatione Diuini ignis igniamur & Deificemur. Hæc ille. Tantundem etiam de ſingulari quadam & tanto Sacramento digna reuerentia, ſcribunt alij Patres. Chryſoſtomus in primis. *Quotquot* (inquit) *de corpore Chriſti communicamus, quotquot ſanguinem illius deguſtamus, cogitemus quod illius Corpus & ſanguinem guſtamus, qui in cæleſtibus ſedet, qui ab Angelis adoratur, qui proximè conſiſtit immortali Dei potentiæ.* De qua ſanè conſideratione nunquam ſatis multa dici, nec propter eam ſatis multa & magna vnquam adhiberi, puritas poteſt. Quam certè cogitationem ſatis Eccleſia expreſsit, dum tanto vt hodie videmus honore, tanta celebritate, iſtud Sacramentum proſequatur. Hinc enim tam magnifico apparatu decorata altaria, tam immenſo ſumptu extructa ſacraria, tam ſplendida in Eccleſijs vaſa & ornamenta, conſpiciuntur. Propter hanc ſanè ſingularem reuerentiam (nec ob aliud) tanto olim tempore pænitentes abſtenti & ſecluſi erant. De quo, vide Cyprianum, ſermone quinto de lapſis. Sed alia eſt peccatorum neceſſitas, Deique dignatio ac bonitas; alia huius tanti Sacramenti, Maieſtas. Quumque eius inſtituti fructus, noſtra ſit alimonia ſpiritualis, vt latè Ioan. 6. Redemptor docuit, finis autem mortis Dominicæ commemoratio, quæ ad hunc fructum percipiendum, huncque

Homil. 3. in epiſt. ad Epheſ.

finem legitimè conſequendum neceſſariò requiruntur, illa nobis potiſsimum ſpectanda ſunt: & alia quidem ſtudiosè exoptanda, nec tametſi non habentur, à Sacramenti vſu abſtinendum. De quo in ſequentibus latius diſputatibur.

DE VENERABILIS EVCHARISTIÆ VSV FRVCTVQVE AMPLISSIMO.

Oratio Catechetica Duaci habita.

De admirabili & ampliſſimo Venerabilis Euchariſtiæ fructu dicturus, Auditores, eaque omnia quæ hac de re vel ſacroſancta Scriptura aperuit, vel Patrum diligentia tradidit, animo reuoluens, nec veritatem tantum, ſed & magnitudinem latentium in hoc myſterio rerum ponderans atque expendens, quod aptius dicam non habeo, quàm quod in hoc argumento doctiſſimus Chryſoſtomus non ſemel vſurpauit, *quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet omnes laudes eius?* In hoc enim vno ſacratiſſimo myſterio, ita Deus omnem illum immenſæ ſuæ erga nos bonitatis theſaurum aperuit, effudit, quaſique exhauſit, vt quum in cæteris quidem omnibus erga humanum genus beneficijs, omnes humanas non vires tantum, ſed & cogitationes ſuperauerit, in hoc

Pſalm. 105.

hoc vno ſeipſum quodammodo (ſi ita dicere
ac loqui fas eſt) viciſſe ac ſuperaſſe, videatur.
Huius enim Sacramenti fructus, aliorum om-
nium quæ ab orbe condito homini promiſſa,
vel etiam ante orbem conditum, ab æterno
deſtinata ſunt beneficiornm magnitndinem
ita ſuperat, vt hic quaſi cæterorum omnium
cumulus acceſſiſſe, in hoc cæteris omnibus
colophonem impoſuiſſe, per hoc denique quę
cumque antea præceſſerant, recapitulaſſe,
quandamque veluti pandoram non diuinis
tantum bonis, ſed & ipſa diuinitate pleniſſi-
mè donatam, mortalibus tribuiſſe videri poſ-
ſit. Magnum videlicet præclarumque Diuinæ
erga hominem bonitatis teſtimonium erat,
ſtatim ab illo fœdiſſimo primo parentis lap-
ſu, ipſum primum hominem *clementi voce allo-*
quutum fuiſſe; ſceleris admonuiſſe: Saluatorem Gen. 1.
ſtatim tanto ante promiſiſſe; eius deinde pro- 1.2.
lem ac ſequutam inde progeniem, ſępe ac 3.
identidem varijs tum monitis, tum minis, ad 4.
ſui cultum aberrantem reuocaſſe; peculium
ſibi denique & populum de ſemine Abrahæ, 5.
in manu forti & in brachio excelſo, conſti-
tuiſſe; Deinde per Iudices, per Prophetas, per 6.
Reges, per Sacerdotes, ſemper peculiũ ſuum
adminiſtraſſe, donec venerit tandem, qui
venturus erat, expectatio gentium. Magna
ſanè & præclara hæc omnia fuerunt, nec ſatis
à nobis vnquam, laudari & prędicari poſſunt.
Maius verò & excellentius longè erat, Dei

7. filium pro nobis hominem fieri, inter homi-
8. nes conuerſari; verba vitæ æternæ docere; ſa-
9. lutem & Regnum cælorum prędicare; demũ
10. verò etiam acerbiſſimam mortem ſubeundo, prçcioſiſſimumque ſanguinem fundendo, noſtra peccata abluiſſe, patri reconciliaſſe, chirogaphum quod contra nos erat, deleuiſſe.

Maxima ſanè longeque ampliſſima hęc erant beneficia: nec quicquam his maius dari aut etiam exoptari, potuiſſe videtur. Quid enim? An maius quicquam aut à Deo homo exſpectare, aut homini Deus conferre, quàm vt pro homine, Deus homo fiat, & homo factus, hominem redimat, cælique ciuem conſtituat? At quod nemo vnquam non hominum tantùm, ſed nec Angelorum (niſi ipſo reuelante Deo) cogitare aut exoptare potuit, his omnibus adhuc maius, excellentius, nobilius, Diuini amoris teſtimonium, exhibitum eſt. Quodnam illud tandem? Illud ſanè de quo tanto
Pſal. 110. ante Propheta Regius prędixerat: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus; eſcam dedit timentibus ſe.* Illud de quo
Pſal. 21. iterum idem dixit. *Laus mea in Eccleſia magna. Vota mea reddam in conſpectu omnium timentium te. Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum omnes fines terræ.* Illud rurſum de quo eius filius, eodem quo ille Spiritu repletus,
Prouerb. 9. ſcripſit. *Sapientia ædificauit ſibi domum*, quæ fuit caro de virgine nata, in qua Deus Verbum, ſapientia patris, habitauit. *Excidit ſibi columnas ſeptem;*

ſeptem; ex latere enim eius fluxerunt ſeptem
Eccleſiæ Sacramenta, quibus quaſi columnis,
fides noſtra nititur. Sed inter ea ſeptem, præ-
cipuum eſt quod ſequitur. *Immolauit victimas*
ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.
Hoc illud eſt myſteriū, quod cætera (vt dixi)
omnia Dei beneficia, ſuperat. Hic enim, qui
factus eſt nobis *ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, re-* 1.Cor. 1.
demptio, fit nobis eſca, cibus, & potus. *Carnem*
in qua pro nobis ambulauit, ipſam nobis manducan-
dam ad ſalutem dedit, ait Auguſtinus. *Corpus quòd* Enarr. in pſal. 98.
pro omnium vita ſemel dedit, per illud ipſum vitam
nobis immittit: ait Cyrillus. *Carnem & ſangui-* Lib. 4. c. 12 in Ioan.
nem per quæ nobis coniunctus erat, ea rurſus nobis ex-
hibuit, ait Chryſoſtomus. Denique vt apertè Hom. 45. in
ſcripſit Euangeliſta, *Verbum caro factum eſt*, & Ioannem.
præterea (vt propter hoc Sacramentum no- Ioan. 1.
tauit Baſilius) *habitauit in nobis plenum gratia &*
veritate. Hoc certè eſt (vt cæpi dicere) om- In reg. breu.
nium Dei beneficiorum longè maximum & ad Interro-
excellentiſſimum, vt noſtro ſe corpori adiun- gat. 172.
gat, noſtris ſe viſceribus immiſceat, in nobis
(non nobiſcum tantum) habitet, noſter cibus
& eſca fiat, qui cælum & terram implet, qui
ea verbo creauit & nutu gubernat. Propter
hoc tam admirabile beneficiū, merito excla-
mamus; *Quis loquetur potentias Domini, notas fa-*
ciet omnes laudes eius? Neque enim vlla natio eſt Deuter. 4.
quæ habeat Deos tam appropinquantes ſibi, quam adeſt
nobis Deus noſter. Meritò ſanè per Prophetam Eſai. 5.
dixit, *Quid debui vltra facere vineæ meæ & non*

 feci?

Eſai. 10. *feci?* & rurſum. *In manibus meis deſcripſi te, muri tui antè oculos meos ſemper. Nunquid poteſt mater obliuiſci infantem vteri ſui? & ſi illa obliuiſcatur, tamen ego tui non obliuiſcar.* Itaque immenſum hunc & ineffabilem Dei amorem in huius Sacramenti fructu nobis exhibitum, quem nulla hominis cogitatio aſſequi poteſt, mea tandem oratio, non dicam exornare, ſed vel ſermone complecti, quomodo poterit? Cæterum quod in nouis & ſtupendis interdum rerum caſibus fieri ſolet, vt ſpectantibus ea digito demonſtrentur, ab attonitis autem hominibus, ſilentio magis tacitè conſiderari, quam ſermone & narratione, vt ea acciderint explicari ſoleant, ita ſanè in hoc ſupra omnem humanum captum admirando Dei beneficio ſic verſabor, vt ſumma rerum capita breuiter potius perſtringam, vobiſque altius repetenda & conſideranda relinquam, quàm vt eorum quicqnam plena me oratione conſequuturum & explicaturum, ſperem.

Nam vt ab eo quod planè precipuum ac nobiliſsimum eſt, exordiar, coniunctionem illam Chriſti nobiſcum, noſtrique cum Chriſto, quæ in hoc ſacramento fit, quibus tandem verbis explicabo? Neque enim hic ſola fide, aut charitate, cæteriſue Spiritus ſancti donis, tantum Chriſto vnimur, ſed planè naturaliter & corporaliter. Sic enim iam dudum ex [a] Cyrillo, [b] Chryſoſtomo, & [c] Hilario, audiuimus. Vultis autem huius admirabilis fructus vim atque

a Lib. 11 c. 26. in Ioan. b. & lib. 10 cap. 13. b. Hom. 45 in Ioan. c. lib. 8. de Trinit.

atque virtutem vtcumque aſſequi & intelligere? Audite vt ipſam Chriſtus ipſe exprimat. Ioan. 6.
Sicut (inquit) miſit me viuens Pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. In his enim verbis talis manducationis fructus deſcribitur, vt non minus in Chriſto viuamus, quàm Chriſtus in patre. At ſic propter patrem vixit Chriſtus, vt eſſet in Chriſto pater, vitamque Patris Chriſtus participaret, non per fidem cęteraque Spiritus ſancti dona, verùm ex ipſa patris ſubſtantia, naturaliter & corporaliter in Chriſto manente. Sic enim dicitur, *omnis diuinitatis plenitudo habitaſſe in Chriſto corporaliter.* Coloſſ. 2. Et nos ergo manducando Chriſtum in hoc Sacramento, eum in nobis corporaliter habitantem habemus. Sic hoc explicant Patres quos ſuprà diximus. Quibus accedit Baſilius, qui, *viuere nos propter Chriſtum manducando Chriſtum,* exponit, *conſortes effici verbi & ſapientiæ, ſicut Chriſtus viuit, verbum Dei habens in ſeipſo.* Epiſt. 141. Quantum verò iſtud eſt, vt corporaliter in nobis Chriſtus per hoc Sacramentum inhabitet? Dixit quidem Chriſtus alibi, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Ioan. 15. Et iterum. *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipſe mecum.* Apoc. 3. Sed in his omnibus, non niſi per gratiam & Spiritum, Chriſtum in nobis habitare, cenſendum eſt. Hic verò quum ante dixiſſet, *Caro mea verè eſt cibus,*

 & ſang

& ſanguis meus verè eſt potus, & qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo, moxque ſubieciſſet quæ diximus. *Sicut miſit me viuens Pater*, &c. Manſionem in nobis pluſquam ſpiritualem, ſubſtantialem, ſcilicet & corporalem, inſinuat futuram. Sic apertè Sancti Patres intellexerunt. Cyrillus ex his verbis, *qui manducat me viuet propter me*, ſubinfert: *Vnde conſiderandum eſt, non habitudine ſolum quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verum etiam & participatione naturali*. Vtramque autem vnionem apertè alibi diſtinguit in eodem opere. *Corporaliter* (inquit) *filius per benedictionem myſticam nobis vt homo vnitur, ſpiritualiter autem vt Deus, ſui ſpiritus gratia, noſtrum ad nouam vitam & Diuinæ naturæ participationem, Spiritum redintegrans*. Frequens apud eum hæc diſtinctio eſt. Tantundem Chryſoſtomus. *Vt non ſolum per Dilectionem, ſed reipſa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt*. Quare autem hęc corporalis vnio facta eſt? Vt perfectiſsimè vniremur cum Chriſto. Sic Hilarius. *Naturalis per Sacramentum proprietas, perfectæ Sacramentum eſt vnitatis*. Vt ergo perfectiſsimè vniremur Deo, hic modus adinuentus eſt. Sic Cyrillus. *Vt inter nos & Deum ſingulos vniret, quamuis corpore ſimul & anima diſtemus, modum tamen adinuenit conſilio patris & ſapientiæ ſuæ, congruentem. Suo enim corpore credentes, per communionem myſticam benedicens, & ſecum & inter nos vnum nos corpus effecit*. Hic perfectiſſimus erat

In Ioan. lib. 10. cap. 13.

Libro 11. cap. 27. in Ioan.

Hom. 45. in Ioan.

Libro 8. de Trinit.

Lib 11. c. 26 in Ioan.

vniendi

vniendi modus, Filij Dei incarnati ſapientia dignus. Erant quidem & veteres Patriarchæ, Prophetæ, ac fideles, vniti Deo: habueruntque *panem verum qui de cælo deſcendit*, Chriſtum ſanè, in quem fide tendebant. De quo dono dixit Saluator. *Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim verus eſt, qui de cælo deſcendit & dat vitam mundo.* Ioan. 6. 32. & 33. Sicuti enim *agnus occiſus eſt ab origine mundi*, ſic & agnus ille datus eſt ab origine mundi, fide & ſpiritu manducandus. Chriſti autem donum proprium, de quo dixit, Ioan. 6. 27. *operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in æternum, quem filius hominis dabit vobis*, non ſolum eſt panis verus, ſed etiam talis panis, qui ſit verè cibus. Sic enim dicit. *Panis quem ego* (id eſt Ioan. 6. 51. vt filius hominis) *dabo, caro mea eſt quam ego dabo pro mundi vita*, & paulo poſt. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Ioan 6. 55. Quare *verè*, niſi propter modum manducandi & bibendi, qui proprius eſt modus cibi corporei? Sic Chryſoſtomus. Homil. 46. in Ioan. *Quod ait, Caro mea verè eſt cibus, ideo, dicit, vt eos in prædictis confirmet, ne obſcurè locutum in parabolis arbitrarentur, ſed ſcirent omnino neceſſarium eſſe vt corpus comederent.* Quia ergo veriſſima coniunctio eſt earum rerum quas mãducamus & bibimus; ideo manducari ſuam carnem & bibi ſanguinem, voluit Chriſtus, vt perfectiſſimè fœdereque arctiſſimo nos ſibi coniungeret. Ideo hanc coniunctionem ſic Libro 10. cap. 13. in Ioan. explicat Cyrillus. *Quemadmodum ſi quis igne liquefactam ceram alij ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſ-*

cuerit, vt vnum quid ex vtriſque factum videatur, ſic communicatione Corporis & Sanguinis Chriſti, ipſe in nobis eſt & nos in ipſo. Hæc eſt illa beatiſſima vnio, qua certè beati ſumus & cęleſtem in terris vitam agimus. Vnde eleganter Chryſoſtomus. *Dum adhuc in hac vita ſumus, vt terra nobis cælum fiat, facit hoc myſterium.* Ita & hac quoque ratione, pignus atque imago quædam eſt futuræ glorię. Rurſus verè eſt çibus, quia & corpus & animam paſcit. Quum enim his homo conſtet, ille demum proprius erit hominis cibus, qui totum hominem nutrit. Ad corpus autem hoc alimentum pertingere anteà eſt demonſtratum, quum de veritate diſputaretur, ex [a] Iuſtino, [b] Irenæo, [c] Chryſoſtomo, eſſe autem animę cibum, nec ipſi negeant hęretici, moxque copioſius demonſtrabitur.

Hom. 24. in 1. Cor. 10.

a. Apolog. 2. b. Libro 5. c. Hom 60. ad pop. Antioch. & homil. 45. in Ioan.

Manere in Chriſto quid.

Sed redeamus ad illud, quod ęſt, *manere in Chriſto.* Proprius Euchariſtiæ effectus eſt, vt qui manduçat illlam, maneat in Chriſto, & Chriſtus in illo. Manere autem in Chriſto, nihil eſt aliud, quàm in cæpta gratia permanere. Dei Patris ſeu totius Trinitatis donum eſt venire ad Deum, habere primam gratiam: De quo Chriſtus. *Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum:* At Euchariſtiæ gratia, & Chriſti donum proprium eſt, augere certo modo acceptam gratiam. Sic enim & cibus virtus eſt, non quidem inchoare vitam, ſed inchoatam, nutrire. Et hac rurſum ratione, verè eſt cibus Chriſti caro: quia verè nutrit.

Ioan. 6.

Et

Et hanc ob cauſam, *panem noſtrum quotidianum* vocarunt patres, cibum hunc Euchariſticum Cyprianus imprimis & Ambroſius. Cypriani hæc ſunt verba. *Panem noſtrum vocamus, quia Chriſtus noſter (qui corpus eius contingimus) panis eſt. Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiori delicto, dum abſtenti & non communicantes à cæleſti pane probibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.* Sic & Ambroſius. *Si quotidianus eſt panis, quare poſt annum ſumis?* &c. *Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit.* Hunc autem effectum, augmentum videlicet gratiæ, pulchrè deſcribit Cyrillus. *Sedat* (inquit) *cum in nobis maneat Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit. Sicut parum fermenti totam maſſam fermentat; ſic paruula benedictio, totum hominem in ſeipſum attrahit, & ſua gratia replet, & hoc modo in nobis manet Chriſtus & nos in ipſo.* Hæc Cyrillus. Rurſum ſic manet per hoc Sacramentum in nobis Chriſtus, non quod ille in nos (vt commune alimentum) vertatur, ſed quod nos in illum, quodammodo tranſeamus. Sic Leo. *Non aliud agit participatio Corporis & Sanguinis Chriſti, quam vt in id quod ſumimus, tranſeamus, ipſumque per omnia & carne & ſpiritu geſtemus;* dicamuſque cum Apoſtolo. *Iam non viuo ego, ſed viuit in me Chriſtus* Vtque hic locum habeat illud Auguſtini. *Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me. Nec tu me in te mutabis,*

In Serm. de orat. domi.

Lib 5 c. 4. de Sacram.

Lib. 4. c. 17. in Ioan.

Serm. 14. de Paſſ. Dñi.

Gal. 2.

Confeſ. lib. 7. cap. 10.

mutabis ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.
Homil. 47. in Ioan. Iſtud enim, *in me manet*, ideo dixit, ait Chryſoſtomus, *vt cum ipſo ſe admiſceri oſtendat. Cum enim ſæpe repetiiſſet vitam æternam, ad id confirmandum addit, in me manet. Si enim in me manet & ego viuo, qui me ſumit, & victurum perſpicuum eſt.* Manemus ergo in Chriſto, dum viuimus in Chriſto, & Tract. 26. in Ioan. propter Chriſtum, vita vtique æterna. *Non enim cadaueribus* (ait Auguſtinus) *ſed viuentibus, hæc loquebatur Chriſtus.*

Sed dicat hic aliquis. An non hanc vitam Ioan. 6. 47. 48. 49. 50. æternam, eodem quoque in loco fidei promiſit? dicens, *Amen, Amen, dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto & mortui ſunt. Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Quo in loco vitam æternã fidei promittit, & dono patris, Ioan. 3. qui dedit nobis Chriſtum, *vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Quid ergo habet ſingulare hoc donum filij, de quo mox ſubijcit, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quã ego dabo pro mundi vita?* Sanè magnum quiddam S. Synaxis plus cõfert quàm fides & excellens. Primum, quòd ad vitam æternam conſequendam, non ſolum opus eſt credere in Chriſtum, ſed manducare carnẽ Chriſti. Ideo quum ad priora illa Chriſti verba liIoan. 6. 52. 53. tigaſſent Iudęi, dicentes, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandũ?* Nil mutat Chriſtus, ſed clarius dicit; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Non habebitis vitam in vobis. Cum id fieri*

id fieri poſſe negarent, non ſolum non impoßibile, ſed & neceſſarium eſſe aſſerit, ait Chryſoſtomus, & repetit conſequenter. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, & rurſus rationem addens, quare hoc ſit neceſſariũ. *Caro enim*, ait, *mea verè eſt cibus*: Cibi autem eſt, nutrire & vitam augere: Ideo mox adiungit ſimile: *Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter Patrem, ſic & qui manducat me, viuet propter me.* Omnino, ergo vult Chriſtus non ſola fide, ſed & per hoc Sacramentum manducationis carnis ſuæ, & propter illud, nos viuere, vitamque æternam conſequi. Et vt olim manna comedentes, ſpirituales Iudæi, de futuro Meſſia ſpiritualiter fide manducabant, ita nunc in hoc Sacramento, præſentem Chriſtum comedamus, *panem* ſcilicet *verum, qui de cælo deſcendit.* At inquis, Chriſtum manducamus, quũ in Chriſtum credimus: quod & illi Manna comedentes, fecerunt. Quid hic ergo ſingulare? Reſp. Duplex hic donum Mannæ ſuccedens, Chriſtus demonſtrat. Alterum, quod pater dat. Scilicet Chriſtũ filium, vt in eum credamus, de quo dixerat. *Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Manna enim è cælo cadens, figura erat Chriſti è cælo deſcendentis, & hic carnem ſumentis, *& hunc panem non Moyſes dedit de cælo, ſed Pater meus*, ait Chriſtus. In hũc ergo credentes, non moriuntur in æternũ. Alterũ autem eſt, Mannę ſuccedens donum, *quod filius hominis dat. Operamini* (inquit) *cibũ quẽ filius hominis dabit vobis.*

[Margin notes: Hom. 46. in in Ioan. — Ioan. 6. 54. — 55. — 57. — Mannę duplex donũ ſuccedit. — Ioan. 6. 32. — Ioan. 6. 27.]

Illud

Illud eſt manducare carnem & bibere ſanguinem filij hominis, & ſic perfectiſſimè impletur Mannæ figura. Ibi enim ſpiritualiter Chriſtus, corporaliter Manna cõmedebatur. Hic verò & Spiritu & corpore, Chriſtus manducatur. *Hoc enim ore ſumitur* (ait Leo) *quod corde creditur.* Et Auguſtinus: *Spiritualis eſca vtrobique eadem* (ſcilicet Iudæis & nobis) *corporalis verò altera: quia illi Manna, nos aliud manducamus,* quod de Sacramento apertè dicit. Itaque excellentius hoc donum, quam illud Manna, quia non aliud, ſed idem & ſpiritu & corpore, ſumitur.

Serm 6. de ieiunio. 7. menſis.
Tract. 26. in Ioan.

At ſaltem inquies, idem eſt fidei fructus, idemque fuit Mannæ effectus (licet modus nunc ſit excellentior) qui in hoc Sacramento nunc percipitur. Vtrobique enim & Chriſtus accipitur, & vita æterna repromittitur. Reſp. verum quidem hoc eſt: nec tamen vtrobique ſimilis aut par ratio. Fide enim certè & hodie & olim per Mannæ comeſtionem, filio Dei veſcimur, vitæque æternæ conſequendæ medio quodam vtimur, ſed non pleno, non abſoluto, non huiuſmodi quod ex ſeipſo hoc præſtet, niſi alia adiungantur. Nam & *Manna comedentes mortui ſunt*, quia ſola aut Mannæ comeſtio, aut fides adiuncta, ſaluare non potuit, & hodie multi credentes, moriuntur (*non enim omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorum*) ſed *qui manducat carnem Chriſti, non morietur.* Certè enim ſi manducat vt oportet, nequaquam morietur. *Loquitur autem Chriſtus, non de qua-*

Ioan. 6.
Matth. 7.

de quacumque, ſed de vera & legitima, carnis ſuæ manducatione. Hoc autem diſcrimen etiam ex verbis Chriſti Ioannis 6. colligere licet. Nam de manducatione illa Chriſti, quæ ex fide fit vt præponitur Mannæ, ait. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Sed de manducatione Sacramentali quam ipſe Chriſtus dat, vt illa præponitur Mannæ, ait Chriſtus. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Aliud eſt enim ex pane, aliud panem manducare. Ex pane comedit, qui partem aliquam percipit, & vbi poſt comeſtionem multum ſupereſt. Sed panem manducat, qui vniuerſum percipit. Manducare ergo ex pane qui Chriſtus eſt, ſignificat gratiam quandam viuificam, à Chriſto in corda noſtra diffundi, vt fidem, charitatem, & ſimilia, quæ poſtea *fiat in nobis fons aquæ ſalientis in vitam æternam,* quaſi ex maximo flumine vas aquæ plenum haurire. Sed manducare Chriſtum, eſt totum ipſum fontem in te habere, quaſi ſi flumen vniuerſum per alicuius ædes tranſeat, vt de toto alueo haurire liceat. Hic eſt ergo proprius & ſingularis Euchariſtiæ fructus, *totum in nobis Chriſtum habere, & vitã æternam ex tota cauſa poßidere.*

August. de verb. Dñi ſerm. 11.

Ioan. 6, 51.

Ioan. 6. 58.

Ioan. 4.

Euchariſtiæ proprius fructus.

Hunc ſenſum Sancti Patres clarè explicarunt. Inprimis Auguſtinus. *In eſca corporali, & qui eam non ſumpſerit, non viuet, nec tamen qui eam ſumpſerit, viuet. Vel morbo enim, vel ſenio, vel alio tandem modo, nihilominus morietur. In hoc verò cibo & potu, id eſt, in corpore & ſanguine Domini, non*

Tract. 26. in Ioan.

ita eſt,

ita eſt. Nam & qui eam non ſumit, non habet vitam, & qui eam ſumit, habet vitam, vtique æternam.

Serm. 6. de orat. Domi. Hoc eſt quod Cyprianus dicit. *Manifeſtum eſt eos viuere qui eius corpus contingunt, & Euchariſtiam iure communicationis accipiunt.* Ius hoc communicationis eſt, quòd vniti corporaliter Chriſto, ab eo ſeparari non poſſumus.

Tract. 27. in Ioan. Hoc ius, hoc vinculum, expreſſit Auguſtinus ſic ſcribens. *Carnem & ſanguinem Chriſti non edamus tantum in Sacramento, ſed vſque ad Spiritus participationem, vt in Domini corpore tanquam membra maneamus, vt eius ſpiritu vegetemur.* Hinc videlicet vocatur, viaticum peregrinationis noſtræ, pignus æternæ gloriæ, tutela & alimentum animæ, reſurrectionis noſtræ ad gloriam, arrha. Ex iure communicationis huius, hęc omnia dependent.

Tres fructus aliorũ fontes. Hæc ergo tria hactenus demonſtrata ſunt. Vniri Chriſto, manere in Chriſto, & viuere propter Chriſtum, ſeu habere vitam æternam. Hi ſunt tres precipui & proprij fructus & effectus huius Sacramenti. Ex his quaſi fontibus alia omnia deriuantur, quæ huic Sacramento Patres attribuunt. Etenim quia vnimur Chriſto, & manemus in eo, modo quo iam dictum eſt, vocatur hoc Sacramentũ, alimentum animæ, tutela quoque & antidotus contra vitia. Sicut enim in Baptiſmo naſ-

1. Nutrimẽtum animę. cimur, & in Confirmatione corroboramur, ita in Euchariſtia perpetuò nutrimur, alimurque præſente in nobis Chriſto. Sic Chryſo-

ſtomu

ſtomus. *Hic ſanguis pulchritudinem atque nobi-* Homil. 45. in Ioan.
litatem animæ quam ſemper irrigat & nutrit, lan-
gueſcere non ſinit. Sanguis enim à cibo non fit repente,
ſed primò aliud quiddam: at hic ſanguis quamprimum
irrigat animam, eamque vi quadam magna, imbuit. Et Hom. 24. in 1. Cor. 10.
rurſum alibi. *Ipſa menſa animæ noſtræ vis eſt,*
nervi mentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, ſpes,
ſalus, lux, vita noſtra. Sic & Cyrillus. *Sanctum* Libro 4. cap. 16. in Ioan.
Christi corpus ad immortalitatem & vitam æternam,
nutriens cibus eſt. Vniti videlicet & manentes
in Chriſto, vt membra corporis eius, vt pal-
mites in vite, perpetuam Spiritus gratiam &
alimoniam inde vt trahamus, neceſſe eſt. Vn-
de de hoc Sacramento dixit Cyrillus. *Quis* Lib. 10 cap. 13. in Ioan.
dubitavit Christum propter coniunctionem eius nobiſ-
cum quæ ſecundum carnem fit, etiam ſic vitam eſſe, nos
vero palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Non
ex tantum ratione, qua fidei compage vniti,
etiam gratiam ab eo trahimus, ſed propter
arctiſſimam hanc coniunctionem veramque
vnionem, pleniori & excellentiori modo
eam accipimus.

Eandem etiam ob cauſam, antidotus ſeu 2. Antidot. & tutela à malis.
tutela vocatur à Patribus. *Propter hoc* (ait Cy-
prianus) *fit eucharistia, vt ſit accipientibus tutela.* Libro 1. epiſt. 2.
Sic Damaſcenus; *iis qui fide dignè aſſumunt, fieri*
eucharistiam ait, in remiſſionem peccatorum, in vitam Libro 4. cap. 14. de orthodoxa fide.
æternam & in cuſtodiam animæ & corporis. Non
quod in hoc Sacramento remittantur peccata
(vt putauit Lutherus) ſed quia munit atque
conſeruat à peccatis. Sic & Chryſoſtomus

 ſcripſit.

Hom. 45. in Ioan. ſcripſit *Hic ſanguis myſticus dæmones procul pellit, Angelos verò ad cuſtodiam noſtri allicit* Pulchre autem Bernardus. *Duo efficit in nobis hoc Sacramentum, vt & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omninò conſenſum.* Hinc videlicet veteris Eccleſiæ diſciplina erat, vt graui imminente perſecutione fidelium, laxata pænitentię aſperioris ſententia, ad hoc Sacramentum admitterentur, qui alioqui longo annorum ſpacio, abſtinere debuerant. Clarè hac de re ſcribit Cyprianus. *Meritò trahebatur dolentium pænitentia tempore longiore, vt infirmis ſi qui eſſent in exitu ſubueniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacbrymas, & ſubuenire ſero morientibus, in infirmitate patietur. At verò nunc non infirmis, ſed fortibus pax eſt neceſſaria, nec morientibus, ſed viuentibus, communicatiō à nobis danda eſt, vt quos excitamus ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus, & cum ad hoc fiat Eucharistia, vt ſit accipientibus tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus.* Atque has ſanè admirabiles virtutes meritò Eucharistiæ Patres tribuunt, ea ratione, qua per eam Chriſto vnimur & in eo manemus.

Serm de Cæna Dñi.

Libro 1. epiſt. 2. ad Cornelium

3. Viatici & gloriæ pignus.

Ea porro conſideratione, qua per eandem propter Chriſtum viuimus, viaticum ſeu certum & indubitatum æternæ gloriæ pignus, à patribus eſſe deſcribitur. Sic inprimis Chryſoſtomus. *Ego* (inquit in perſona Chriſti) *mea*

Homil 45. in Ioan.

carne vos alo, me vobis exhibeo, omnibus optimam de futuris ſpem præbeo. Qui enim in hac vita ſe nobis exhibet, multo magis in futura. Sic & Auguſtinus. *Qui ad iſtud altare caſto corpore & mundo corde accedunt, ad altare quod in cælis eſt, fœlici tranſmigratione peruenient.* Ideo tanquam viaticum quoddã iſtud Sacramentum in mortis articulo & pęnitentibus nunquam eſt negatum, & à viris etiam ſanctiſſimis, ardentiſſimè ſemper expetitum. Antiquiſſimam hanc Eccleſiæ fidem eſſe vel Niceni Patres luculenter demonſtrant: vbi ſic ſtatuunt. *De his qui recedunt ex corpore antiquæ legis regula obſeruabitur etiam nunc, vt vltimo neceſſario vitæ ſuæ viatico, nemo defraudetur.* Hinc conſtanter & fiducialiter ita ſcripſit Chryſoſtomus. *Si hinc hoc ſacrificio muniti migrabimus, maxima cum fiducia ſanctum aſcendemus veſtibulum, tanquam aureis quibuſdam veſtibus vndique contecti.* Alibi verò ſcribit ſe à quodam accepiſſe, cui hoc Diuinitus reuelatum eſſet, *eos qui myſteriorum horum cum pura at munda conſcientia participes facti moriantur, ab Angelis ſtipatos rectè in cælum deduci.* Denique ſic verè propter Chriſtum, eum in hoc Sacramento manducando ac bibendo viuimus, vt non aliunde tota reſurrectionis noſtræ quæ ad gloriam ſit, certitudo pendeat, *quam ex iure communicationis huius* (vt Cyprianus loquitur) vel propriæ, vel alienæ, vt in infantibus baptizatis antè annos diſcretionis morientibus. Propterea viri ſanctiſſimi, hoc ſemper viaticum ſummè deſiderarunt.

Serm. 252. de tempo.

Can. 12.

Hom. 24. in 1. Cor. 10.

Libro 6. de ſacerdotio.

In orat. funebri de obitu fratris. Laudat hoc nomine fratrem ſuum Satyrum Ambroſius,quod *in longinqua nauigatione, ne vacuus myſterij exiret è vita, ligatam in orario Euchariſtiam collo inuoluebat.* Laudatur eo nomine Serapion in hiſtoria Eccleſiaſtica,quod in articulo mortis ven. Sacramentum etiam per puerum ad ſe deferri curauerit. *Angelica voce excitatur Honoratus preſbyter, vt iam morituro Ambroſio Sacramentum Domini porrigat:* vt in eius vita ſcribit Paulinus. Sanctus Euſtatius martyr poſt multa certamina,in carcere ab Epiſcopo Sancto Blaſio Euchariſtiam petit & accipit. Sancta Lucia gladio per viſcera transfixo ſpiritum non emiſit, donec viaticum accepiſſet. Qua ſanè conſuetudine,teſtatiſſimum reddiderunt Patres ſaluberrimum hoc eſſe viaticum, & veriſſimum certiſſimumque æternæ gloriæ, pignus. Vt meritò canat Eccleſia, eaque ferè omnia quæ diximus, complectatur. *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paßionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* De memoria paſſionis quam hic recolimus,in Doctrina de ſacrificio dicendi locus eſt. Magis enim ad ſacrificij, quam ad Sacramenti rationem, iſtud pertinet.

Euſeb. lib. 6. cap. 36.

In vita cuiuſq; apud Suriū tom. 6. p. 891. & 874.

DE

DE FREQVENTANDA SACRA SYNAXI.

Oratio Catechetica Duaci habita.

NEmini dubium eſt (Auditores) varias illas, horrendas, omniq; blaſphemiæ & impietatis genere pleniſſimas, noſtrę tempeſtatis hęreſes, non aliunde, quàm ex peccatorum ſcelerumque noſtrorum magnitudine & numero, ortas atque enatas fuiſſe. Sola ſunt peccata noſtra, quæ ſic inter Deum & nos diuiſerunt, vt has propterea in rebus fidei animorum diuiſiones, & acerbiſſimas contentiones cernere mus. Qui aliter cenſet, & Deo iniuriam facit, apud quem iniquitas non eſt, & præter cuius voluntatem nihil eſt; & ſibi ipſi pernicioſè applaudit, datque cor ſuum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Sed inter cætera illa tam multa & nefaria delicta noſtra, quorum nec numerum inire, nec grauitatem expendere facilè eſt, qui ſaluberrimum ſanctiſſimumque Sacramentorũ vſum turpiter prophanatum, turpius neglectum atque contemptum, vel potiſſimum principemque huius tanti mali cauſam fuiſſe dixerit, is mihi nihil à vero aberraſſe videbitur. Eſt enim Sacramentorum & religio ſacroſancta, vt pote ab ipſo Chriſto Domino inſtituta, & virtus tanta, *vt eorum vos* (ait Auguſtinus)

Cauſa graſſantiũ hæreſum Peccatũ eſſe. Vide infra in Oratione Academica 22.

inenarrabiliter valeat plurimum. & vſus porro tam neceſſarius, vt *ſine illo in nullum nomen religionis, ſeu verum ſeu falſum, coagulari homines poßint*, vt idem ſcribit Auguſtinus. Fructus denique tam amplus, & multiplex, vt propterea à Patribus vocentur, *paſcua animarum noſtrarum, alligamenta medicinalia vulnerum noſtrorum, vaſa ſalutis æternæ, vires animi, mentis nerui, fiduciæ vinculum, fundamentum, ſpes, ſalus, lux, vita noſtra*. Nihil ergo mirum ſi horum religio contempta ſacrilegos, vis neglecta deſidioſos, & ad omne opus bonum pigros, abuſus impios, Deoque odibiles, conſtituerit, vt merito patiamur quæ patimur, paſſuri grauiora, niſi reſipiſcamus. Cæterum quum iſtud omnibus Sacramentis commune eſſe videatur, in venerabili profectò Euchariſtiæ Sacramento vel maximè iſtud obtinet, clariſſimeque eluceſcit. Si enim olim propter huius Diuiniſſimi Sacramenti, non quidem prophanationem & contemptum, ſed *irreuerentiam tantum* (vt notat Auguſtinus) *& quod non diſcerneretur à cæteris cibis, veneratione ſingulariter debita*, apud Corinthios *infirmi fuerint multi, ac dormierint multi*; quantò magis putamus ex huius hodie Sacramenti partim prophanatione ſacrilega, partim contemptu atque faſtidio, prognatam atque creatam nobis eſſe malorum quæ diximus, infinitam hanc quaſi congeriem & molem? Sanè quanto eſt ipſum excellentius atque Diuinius, vt proinde τελέτη τελετῶν ab antiquiſſimo

Contra fauſtum lib. 19 cap. 11.

Ambroſ. in pſal. 118. conc. 14. Auguſt. in Pſalm. 143. Chryſoſt. hom. 24. in 1. Cor. 11.

Epiſt. 118.

1. Cor. 11.

Eccleſ. hierar. par. 3. cap. 3.

quiſſimo Dionyſio vocetur, eiuſque fructus longè ampliſſimus & incomparabilis, vt in poſtrema Catecheſi demonſtratum eſt, tanto exiſtimare debemus, & in eo prophanato nec rite ſuſcepto grauius, & in eo neglecto atque prætermiſſo, abſtineri pernicioſius. Si ergo ab his tantis & tam grauibus malis liberari tandem cupimus, ſi cordi nobis eſt, Catholica veritas, ſi extirpandæ ſemel hæreſis, veteriſque concordiæ reparandæ deſiderio flagramus; eſt quidem in omnibus, ſed præcipuè in hoc tam venerabili ac ſaluberrimo Sacramēto, religioſè, piè, atque prudenter verſandum; ne vel rebus ſacroſanctis ſceleratè abutamur, Diuinamque iram iuſtè prouocemus, vel remedijs ſaluberrimis prorſus non vtamur, noſque in prædam diabolo & peccato, demus. Quod vt efficiatur, hodiernam hanc diſputationem, cæteris de hoc argumento catecheſibus addere, qualique præcedenti toti diſceptationi, colophonem imponere viſum eſt.

Nempe quum hactenus huius Sacramenti & partes omnes explicatæ, & veritas copiosè confirmata, & modus legitimus quo ad illud accedendum eſt declaratus, & admirabilis fructus vtcumque inſinuatus ac demonſtratus à nobis fuerit; de eius vſu neceſſariò diſputandum fuit. Non ſolum quia in omni Sacramento, potiſſimum fere iſtud eſt quod quæritur, quis eius Sacramenti vſus ſit, an vt ſemel tantum in vſum veniat, vt Baptiſmus;

Confirmatio, Sacer ordo; an etiam frequentius eo vti liceat, vt pænitentia & Matrimonium; ſed etiam quia hac ætate noſtra & a doctis ac pijs viris multum agitata, & piorum fidelium vſu ac deuotione variè accepta hæc quæſtio eſt, quis demum legitimus ac ſalutaris ſit huius Sacramenti vſus. Sunt autem tres hodie hac de re ſententiæ. Alijs enim placet, eam huius Sacramenti rationem habendam

Tres ſententiæ.

1. eſſe, vt quàm rariſſimè ad id accedatur; imò quantò rarius tantò melius, modo Eccleſiæ leges ac piorum publica conſuetudo, hac in parte ſeruentur, vt ſcandali occaſio tollatur. Atque his expedire videtur; vt ipſi ſacerdotes, niſi quibus hoc ex officio incumbit, nonniſi intermiſſis aliquot diebus, ſacrificent. Id enim ad debitam planè huic tanto Sacramento reuerentiam, atque adeo ad ipſorum ſalutem facere cenſent. Alij contrà, eum de-

2. mum huius Sacramenti vſum probant, vt ad id fideles quàm ſæpiſſimè accedant, tantoque & Deo gratius, & ſibi ipſis fructuoſius facturos eos dicunt, quantò frequentius communicant, planeque optandum eſſe, vt ſingulis ſaltem Dominicis diebus, fideles omnes non nimium occupati, & à cultu Diuino impediti,

3. hoc Sacramentum participarent. Soli hac in re modum omnem & rationem exceſſerunt, vaniſſimi horum temporum hæretici, qui ita præpoſterè (vt in omnibus) hac in re iudicarunt, vt perpetuam communicantiũ frequentiam

tiam ex vi Sacramenti ipſius neceſſariam eſſe dicerent, nec vllam cœnę Dominicæ legitimam eſſe adminiſtrationem aſſererent, in qua numerus ſemper aliquis communicantium non eſſet. Quorum vanitati & ineptiæ poſtremo loco reſpondebitur. Priorem ergo duarum ſententiarum vtra tandem verior & magis rationi conſentanea ſit, primo loco & quidem ſedulò diſpiciamus. Hoc enim propriè ad legitimum huius Sacramenti vſum facit, quatenus Sacramenti, in qua nunc re verſamur.

Quod ad primam itaque ſententiam attinet, habent illi rationes & multas & neutiquam contemnendas. Et primum quidem ex illo Apoſtoli, *Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, &c. ſic argumentantur. Probatio quædam legitima & accurata deſideratur, quæ ſanè & difficilis eſt vt à frequentante ſuſcipiatur, ſummeque periculoſa niſi ſuſcipiatur. *Reus enim eſt Corporis & Sanguinis Domini*, quod quàm graue piaculum ſit, per ſe patet. Reſpondeo. Quæ hic probatio requiratur, in alia Catecheſi plenius oſtenſum eſt: vbi demonſtrauimus, ad hanc probationem hęc neceſſariò requiri, immunem eſſe à peccato mortali, fide & charitate imbutum eſſe: Debita quadam poſtremò reuerentia accedere. Quorum ſane nihil vel mediocriter pio, difficile eſt. Niſi fortè id iſti ſuadeant, vt qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc. *Innocentiam ad altare apportate*, ait Auguſtinus. Quam verò? ſubijcit, *peccata*

1. Argum.

1. Cor. 11.

Suprà Orat. 13.

Tract. 26. in Ioan.

cata etſi ſunt quotidiana vel non ſint mortifera.

Sed difficile eſt, aiunt, in communi vita poſitos, ita ab omni ſibi crimine cauere, vt tanto Sacramento digni frequenter accedant. At quis neſcit δύσκολα τὰ καλὰ εἶναι *difficilia eſſe quæ pulchra?* & illud. *Nil ſine magno vita labore dedit mortalibus.* Quod ſi in rebus humanis laudabiliter dicitur, quantò magis in diuinis? Laudatur mercàtor qui cum periculo vitæ, Agricola qui cum ſudore, miles qui cum perpetuo etiam vitæ diſcrimine, diuitias, opes & gloriam, quærit. Et deterrendus erit miles Chriſti, ne in diſcutienda conſcientia modicè laboret, vt ſic ad hoc conuiuium accedat. Inuitatus tu ad nuptias amici aut cuiuſpiam affinis tui, ad epulas, ad conuiuium vocatus, etiam longius proficiſci non dubitas; aeris te difficultatibus quibuſcumque committis; ornas te & curioſè & ſumptuoſè; nullis vel laboribus vel ſumptibus, parcis. Et ad hoc conuiuium vocatus, *vbi Chriſtus ipſe ſumitur*, ad has nuptias vbi non amicus tuus, ſed anima tua, cæleſti ſponſo arctiſsima coniunctione copulatur, laborem deprecaris? Sed iſtud eſt, quod vniuerſum orbem euertit. Præſentium magis quàm futurorum, curam agimus. Annon verò iſtud brutorum animantium proprium eſt? *Hei mihi* (ait Chryſoſtomus) *quot nobis ad ſalutem viæ ſunt? Deus pro nobis corpus ſuſcepit, Corpus ſuum pro nobis morti tradidit: ſanguinem effudit. Carnem porro & ſanguinem per quæ nobis coniunctus erat,*

2. Argum.

Homil. 61. ad pop. Antioch.

eadem rurſus nobis exhibuit, ſemetipſum non videri tantum, ſed & tangi & manducari, & noſtro ſe corpori admiſceri, patitur. Et tamen nihil horum à malis non auertit? ó tenebras & multam profunditatem, ó ſtupiditatem omni dolore vacuam. Hæc ille.

At, inquiunt, in ſpirituali tantum manducatione Chriſtum ſuſcipimus; hic minus periculi eſt, fructuſque non multò minor. Reſpondeo contra ſe rem habere. Nam vt Chriſtum ſpiritualiter ſuſcipias, multò minor fructus eſt, periculiq; & laboris non multò minus. Etenim quamuis (vt ſcripſit Auguſtinus) *inuiſibilis ſanctificatio quibuſdam adſit & profit abſque viſibili Sacramento*, tamen vt idem alibi docet, *ipſum per ſe ſacramentum plurimum valet*; Imò vt adhuc alibi ſcribit, *eorum vis inenarrabiliter valet plurimum*. An verò putas idem eſſe, Chriſtum fide & reipſa ſumere? Diximus in ſuperiori catecheſi diſcrimen maximum. In altero enim de fonte hauris: in altero ipſum fontem in te ſcaturientem, habes. Rurſum in altero tantum accipis quantum affers, id eſt, pro fide & deuotione tua accipis: In altero verò, non ſolum pro fide tua, ſed etiam ex vi ipſius Sacramenti, operiſque (vt loquuntur ſcholaſtici) operati, gratiam atque virtutem accipis: ſanè in omnibus Sacramentis, multò magis in illo. Præterea in ſpirituali ſumptione, cares illa coniunctione corporali; quam ſi tu putas non magni momenti eſſe, ne tu impiè de Chriſti dono quod tot verbis Ioann. 6. prædicat,

dicat,

3. Argum.

In Leuit. q. 84.

De baptiſ. contra Donat. lib. 4. cap. 22.

Contra fauſtũ lib. 19. cap. 13.

Chriſtũ fide & reipſa ſumere quãtum differunt.

Spiritualis communio æque difficilis ac sacramētalis.

diçat, ſentis & indicas. Itaque fructus hic maior: Laboris autem eſt & periculi non minus. Primum enim vt ſpiritualiter Chriſtum ſumas, planè mundo te corde eſſe oportet, non minus quam ſi ſacramentaliter ſumere debeas. Ideo Chryſoſtomus, *non es oblatione aut communione dignus? igitur neque precatione.* Vbi & vrget illud. *Amice, quomodo huc intraſti?* non dicit, quare recubuiſti? Vnde & Patres Toletani. *Si non communicant, ad pænitentiam accedant: ſi non fecerint, abſtineantur.* Sola actualis confeſsio, & externa quædam debita reuerentia maior ad Sacramentum requiritur, quæ in ſpirituali nō exigitur. Hanccine verò tu laborioſam dicis? Vide quā non ſit. Niſi planè contritus & cum propoſito confitendi, ſpiritualiter non communicas. Hac verò præſuppoſita, quomodo tu difficile vocas cōfiteri? Cui difficile aut graue eſt, is planè contritus non eſt. Quid, quod tua confeſsio ob amorem Chriſti & Sacramenti eius facta, ex attrito te facit contritum? Sed ſola tua attritio ad ſpiritualiter communicandum, ſufficiens non eſt. Mortalis enim criminis voluptate manente, Chriſtus ſpiritualiter non ſumitur. Itaque iam facilius eſt ad Sacramentalem ſumptionem præmiſſa confeſſione accedere, quàm ad ſpiritualem ſine ea.

Homil. 3. in epiſt. ad Ephel.

Concil. Tolet. 1. c. 13.

Sacramentalis communio minus pericuſa quam ſpiritualis.

Rurſum minus periculi eſſe demonſtro. In Sacramentali ſumptione, ipſum te Sacramentum ſollicitum facit: Proinde diligenter circumſpicis teque ipſum diſcutis, ecquid in te crimi-

criminis non expiati, reſideat. Atverò vt ſpiritualiter communicet aliquis, quotus quæſo quiſque eſt, qui vel leuiſsimè ſe examinat? Ideoque re vera pauciſsimi aut nulli ſunt, qui vere ſpiritualiter communicant. Aut ſi qui tales ſunt, eadem illi opera ſacramentaliter etiam poſſunt. Niſi forte de ientaculo litiges. Illa enim tantum externa reuerentia debita ſupereſt, quę ſanè in ſpirituali non requiritur. Quod ſi eò iam res redijt, vt propter ientaculi abſtineas, quantus hic pudor eſt, vt Conuiuium Chriſti reſpuas, domi prius ientaturus?

Sed periculnm eſt maximum, in ſacramentali ſumptione indigna: non ſic in ſpirituali. 4. Argum. Rei ſunt corporis & ſanguinis Domini indignè ſumentes, iiſque à S. Patribus comparantur, qui Chriſtum contumelijs & morte affecerunt. Reſp. periculum nullum eſt in præparatione debita. Quę quum vel mediocriter pio tam ſit facilis vt diximus, hic ſanè adeo metuenda non eſt. Neque verò ſic de medico, nō ſolum peritiſſimo ſed & amantiſsimo Chriſto exiſtimandum eſt, vt quum ad hanc eſcam tanquam ad perpetuum animarum pabulum nos inuitet, venenum ibi nobis porrexerit, aut laqueum ſtrinxerit. Confidamus de medici bonitate, *qui non vult mortem peccatoris ſed magis vt viuat.* Vnde B. Chryſoſtomus. *Si qui inde lucrum non conſequantur, id non illius cauſa, qui maximè hæc optat, accidit, ſed eorum culpa, qui eum ſuſcipere nolunt. Qui vulnus habet* (ait Ambroſius) *medicinam*

Hom. 60. ad pop. Antioch.

De Sacramentis lib. 5. cap. 4.

tinam quærit, vulnus hoc eſt, quod ſub peccato ſumus. Medicina eſt cæleſte & venerabile Sacramentum. Cur ergo panem iſtum vitæ quotidianum non aſſumis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Et ne periculum rei obijcias; addit: *Sic viue vt quotidie merearis accipere, qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere*; vt illud Poetæ hic verum ſit. *Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.* Rurſum non ſoli indignè communicantes, ſed etiam poſt Baptiſmũ in crimen relapſi, dicun-
Hebr. 10. tur ab Apoſtolo *Filium Dei crucifigere, ſanguinem teſtamenti pollutum ducere, & Spiritui gratiæ contumeliam facere.* Perinde ergo dixeris; quod Chriſtianum eſſe longè periculoſius eſt, quam à Chriſtianiſmo & Baptiſmo, abſtinere.

5. Argum. Grauius adhuc vrgent & inſtant; qui à frequenti communione deterrent, eos qui ſic faciunt, minus deuotè accedere, potiuſque ex cõſuetudine, quàm ex deuotione, hoc facere; Denique ex quadam nimia quaſi familiaritate, ad contemptum tanti Sacramenti venire. Reſp. Non quia frequenter accedunt, ſed quia indignè, hoc interdum ita contingere, vt in illis ſacerdotibus (nec enim diſſimulanda veritas) qui in lucelli potius quàm Chriſti gratiá, frequenter celebrant. Alioqui certo certius eſt ex frequenti communicatione, hominem magis ac magis idoneum fieri ad communi-
Epiſt. ad Cæſaream Patriciam. candum. Vnde Baſilius. *Communicare per ſingulos dies pulchrum eſt & valde vtile, Chriſto enim dicente, Qui manducat meam carnem habet vitam,* &c. *quis*

ambi-

ambigit, quin frequens vitæ participatio nihil aliud ſit, quam pluribus modis viuere? Neque verò frequenter communicantes, ex conſuetudine ſed ex deuotione, hoc faciunt. Nulla enim lex eos compellit, ſed ſola deuotio excitat. Illi demum qui tantum poſt annum communicant, aut in celebrioribus feſtis, videntur potius ex conſuetudine hoc facere. Sic Chryſoſtomus. *Multos* (inquit) *video temerè quomodocumque & magis ex conſuetudine, quam legitimè & cum conſideratione ac mente, ad Christi corpus accedere.* Sed quinam illi ſunt? qui frequenter accedunt? Audite. *Atqui non tempus acceſſus, non Epiphania, non Quadrageſima, dignos facit qui accedant, ſed mentis ſinceritas ac puritas. Cum illa ſemper accede; ſine illa nunquam.* & paulo poſt. *Multum video huius rei inæqualitatem. In alijs quidem temporibus ſæpenumero, neque cum mundi eſtis acceditis, in Paſchate verò, etiam ſi quid temerarium ſit à vobis commiſſum, nihilominus acceditis, O conſuetudinem, O præſumptionem.* Illi ergo certiſſimè potius ex conſuetudine accedunt quam ex deuotione, qui non niſi certis & ſolemnioribus diebus, ſibi communicandum cenſent. Non eſt autem vllo modo metuendum, ne hic familiaritas pariat contemptum, primum quia auget non diminuit feruorem, frequens acceſsio, quæ non indignè fit. Hic enim propriè fructus eſt huius Sacramenti. Deinde apud rudes quidem & vulgares homines accidit hoc interdum, ſed apud perfectos & ſapientes, nunquam

Homil. 3. in epiſt. ad Epheſ.

quam. Sunt autem qui frequenter communicant, ſanè inter perfectos & ſapientes numerandi. Rurſum contemptus nimiæ familiaritatis, oritur ſæpenumero ex parte ipſorum, quibus cum familiariter verſamur, quum nemo mortalium tam ſapiens ſit, qui infirmitates ſuas non habeat, eaſque interdum prodat, vnde contemptus oriatur. At verò in hoc Sacramento, nihil tale locum habet, Vbi Chriſtum ipſum non familiari modo, ſed in admirabili myſterio ſumimus.

4. Argum. At ſaltem inquiunt, minuitur valde multum reuerentia ex hac frequenti acceſſione. Iubent autem Patres, vt maxima quadã cum reuerentia & horrore huc accedamus. Ideo Chryſoſtomus; *tremenda* ſemper hæc vocat myſteria: & Baſilius, non ſolum à crimine vacuam ſed etiam, *plane omni peccato mortuam atque mortificatam eſſe oportere, ſcribit* huc *accedentis mentem, vt euidenter Chriſti mortem ac reſurrectionem exprimat*, viuens iam ſoli Chriſto. Reſp. hoc quidem patres hortantur (vt ſuperius eſt demonſtratum) ad ampliorem gratiam conſequendam, & pro dignitate myſterij quod adimus; non autem quòd ſimpliciter hæc neceſſaria exiſtimauerint. Sanè Chryſoſtomus, ideo *tremenda* ſemper vocat & *horrorem* flagitat, propter improbam illam conſuetudinem, non ſæpe ſed ſemel in anno accedendi, vt ſuprà eſt oſtenſum. Ideo & alibi dicit. *Hæc dicens, non ab vna in anno perceptione vos veto, ſed volo*

De Baptiſmo lib. 1. cap. 3.

ſemper

ſemper vos mundos accedere. Et quæ ſit huic debita planeque neceſſaria reuerentia, antea dictum eſt.

Sunt etiam qui hoc obijciunt, eos qui frequentant ſuum quoddam bonum & commodum querere: qui rarius autem accedunt, honorem Chriſti ſpectare. Itaque hos, illis melius facere. Quibus breuiter reſpondetur. Summus honor Chriſti eſt, eius voluntatem facere. Neque enim de alio honore dixit. *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus.* Hæc eſt autem *voluntas Dei, ſanctificatio veſtra,* ait Apoſtolus. *Qui facit voluntatem eius qui miſit me,* ait Chriſtus, *is mater mea eſt & frater & ſoror.* Quis obſecro maior honor expectatur? Itaque etſi quis in honorem huius Sacramenti rectè interdum abſtineat, magis tamen ille honorat Chriſtum, qui accedit. Nonne vulgo dicimus, qui ad conuiuium inuitantur, hoſpites ſuos honorare? Non ergo ſuum illi bonũ, ſed & Chriſti honorem vnicè ſpectant; qui frequenter communicant. Atque his illi rationibus potiſſimum agunt. 7. Argum. Ioan. 12. 1. Theſſ. 4. Matth. 12.

Authoritatem etiam Eccleſiæ & Patrum vehementer vrgent. Eccleſia, inquiunt, optima harum rerum arbitra, non niſi ſemel in anno ad hoc Sacramentum ex præcepto nos vocans, ſatis inſinuat raram acceſſionem & tutiorem eſſe, & (vt homines ſumus) ſalubriorem. Reſp. Quæ Eccleſiæ hac in parte mens fuerit, copioſè tum docuimus, quum de 8. Argum.

hoc Eccleſiæ præcepto tractaremus. Vbi clarè oſtenſum eſt Eccleſiam annuam ſumptionem non vt ſufficientem tradere, ſed vt planè neceſſariam, ſub grauiſſima pœna præcipere. Qua etiam neceſſitate ad hoc tandem præceptum ventum ſit, ibi plenius eſt demonſtratum, quod hic repetere & prolixum eſſet, & à re propoſita nimis alienum.

9. Argum. Rurſum quorundam patrum authoritates producunt, Auguſtini imprimis & Hieronymi. Nempe Auguſtinus, rem planè indifferentem facit. Quum enim in vtramque partem

Epiſt. 118. cap. 3. diſputaſſet, *Rectius*, inquit, *inter eos fortaſſe quiſquam dirimit litem, qui monet vt præcipuè in Chriſti pace permaneant. Faciat autem vnuſquiſque, quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum, exhonorat Sacramentum*, &c. Idem quoque ſentire videtur Hieronymus, ſic ſcri-

In Apologia prolixioris contra Iouinianũ. bens. *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, vt fideles ſemper Chriſti corpus accipiant; quod nec reprehendo, nec probo. Vnuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat.* Author porro ille quiſquis eſt libri de Eccleſiaſticis dogmatibus, qui Auguſtino hactenus eſt inſcriptus, eadem ferè habet verba.

Capi. 53. *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo nec reprehendo.* Quum ergo tanquam res indifferens à tam doctis patribus commendetur, non videntur huc temerè incitandi fideles, vt magno ſuo cum periculo ad tam tremenda myſteria accedant. Reſp. Auguſtini atque etiam Hieronymi ſententias eo ten-

dere, vt litis hac in parte ac diſcenſionis cauſas tollant; vt alter alterum non iudicet, aut condemnando, aut præferendo, propter frequentem aut rariorem acceſſionem. Sic Auguſtinus: apertè illud agens in ea epiſtola, ne in tam varijs Eccleſię ritibus ac varietatibus, diſcenſionis ac emulationis cauſa, oriretur. Ideo exemplum Zachæi & Centurionis ſubijciens, *non* inquit, *litigabant inter ſe, aut alter alteri ſe præferebat Zaccheus ille & Centurio, ſed vterque Dominum honorabat.* Ad hoc itaque valet Auguſtini ſententia, ne eos qui abſtinent, peccati arguamus. Quod hic non fit, ſed quæritur tantum, vter melius & conſultius agat. Hieronymus autem non hoc ſolum agit, ſed & propter eos hoc dicit; qui in illa frequentia indignè accedunt. Ideo ſubiicit. *Sed illorum conſcientiam conuenio, qui eodem die poſt coitum communicant, & iuxta Perſium, noctem flumine purgant:* quod contra debitam huic Sacramento reuerentiam facere, ſupra eſt demonſtratum. Alios qui horum ſanè ſententia, frequentem acceſſionem laudatam eſſe, mox oſtendemus. Itaque non aliud illi dixerunt, quam Chryſoſtomus ſcripſit, acerrimus alioqui frequentis huius acceſſionis inſtigator. *Quos magis acceptabimus? eosne qui ſemel, an eos qui ſæpe, an illos qui rarò, accipiunt? Neque illos qui ſemel, neque qui ſæpe, neque qui rarò; ſed eos qui cum munda conſcientia, cum mũdo corde, cum vita irreprehenſibili. Iſti ſemper accedant.* Sic & non aliter Patres docent.

Vbi ſupra.

Vbi ſuprà.

Oratio Academ 13

Homil. 17. in epiſt. ad Hebr.

16. Argum. Alijs adhuc rationibus vrgent, frequentis communionis aduerſarij: Aiunt enim. Quis hoc ferendum putet, vt mechanici homines ac mulierculæ culinariæ, alijque homines ſecularibus curis penitus immerſi, idonei ſtatim videantur qui ad Euchariſtiam accedant? & illotis manibus ac pedibus tam tremenda myſteria contingant, ad quorum ſanè conſpectum & ipſi Angeli contremiſcunt. Reſp. Qui frequentem communionem ſuadent, non quibuſuis nec cuiuis hominum generi hoc dicunt, ſed huiuſmodi, qui ſecularibus curis atque negotijs, non nimium impediuntur, maximè quorum vitæ ratio, cum peccato non eſt coniuncta. Alioqui ſordidæ quæ vocantur & illiberales artes, minimè a frequenti acceſſione impedire debent. Non enim opera corporis viliora aut ſordida, ſed mens impura, & animus impius, inidoneum hominem faciunt, atque hoc Sacramento indignum. *Quæ*

Matth. 14. *enim exeunt de homine, illa coinquinant hominem*, ait Saluator, *non illotis manibus manducare*. Et *ſine*

Homil. 60. ad pop Antioch. *vlla perſonarũ acceptione, ſingulis fidelibus* (ait Chryſoſtomus) *per hoc myſterium Chriſtus ſe coniungit.* Ideo vehementer hortandi rudiores; vt frequenter ſe recolligant; & ad hanc menſam accedant; ne poſt annum prorſus inidonei fiant. Non enim iuuat raritas aut dilatio, ſed planè ruditatem & inſcitiam auget. Contra frequens ſui reconciliatio, frequens acceſſio etiam ex rude, ſpiritualem facit. Sed hoc totum

tum quod ad ſingulas perſonas attinet, iudicio paſtorum & ſpiritualium patrum, relinquendum erit, iuxta id quod in perſona diſputantis, Auguſtinus dicit. *Authoritate Antiſtitis debet quiſque ab altario remoueri, & eadem authoritate reconciliari. Non vt arbitrio ſuo cum libet vel auferat ſe vnuſquiſque communioni, vel reddat.* Alioqui Chriſtus omnes vocat & inuitat, & ſicut diabolus *circuit, tanquam Leo rugiens, quærens quem deuoret*, ſic contra Chriſtus circuit, *vt Leo qui vicit de tribu Iuda*, quærẽs vbi comedatur. O amorem mirabilem, & mediatore illo dignum, qui ſe medio diabolo oppoſuit. Epiſt. 118. cap. 3.

Rurſum vrgent (quod Patres interdum habent) ardentiſſimo quodam & flagrantiſſimo deſiderio, ad hoc Sacramentum accedendum. Quod certè frequens eſſe non poteſt. Nec tamen cum nauſea aut faſtidio accedendum. Reſpon. cum Auguſtino. *Contemptum ſolum non vult cibus iſte, ſicut nec Manna, faſtidium.* Tepiditas & feruoris immunitio indignum non facit, ſed minoris tantum gratiæ capacem: quanquam & ſæpe fiat, vt qui frigidus acceſſerit & ieiunus, feruens diſcedat & ſatur. Alioqui cum Gerſone dicimus. *Qui nolunt accedere ad hoc myſterium ſine tali feruore, ſimiles ſunt frigidis, qui nolunt accedere ad ignem, niſi prius ſint calidi.* Quo quid abſurdius? Itaque ſi minus ferueas, huc accede, vt feruorem ſpiritus vi tanti Sacramenti accipias. Id modo caue, ne immundus & cum voluntate peccati, accedas. Quod ſi ſer- 11. Argum. Ibidem. Gerſon.

ſi feruorem expectas vt communices, vide ne abſque feruore nunquam communices. Fraus eſt Dæmonis qui ſe in Angelum lucis transfigurat. Hæc ſunt ſanè præcipua quæ ab illis obijci ſolent, qui frequentem acceſſionem, nec tutam, nec ſalutarem, nec neceſſariam, exiſtimant.

Argumēta pro frequēti Synaxi.

Videamus nunc quibus illi rationibus nitantur, qui frequentem ſuadēt. Maximis ſanè, atque huiuſmodi quæ piorum, corda maximè debeant permouere.

1. Argum. Primum ad hoc inſtitutum eſt hoc Sacramentum vt à nobis ſumeretur, non vt ſpirituali manducatione contenti, fide tantum, memoriam mortis Chriſti

Ioan. 6. & 1. Cor. 11.

celebraremus. Ideo Saluator dixit. *Accipite & manducate.* Ideo Mannę ſucceſſit. Ideo, *panis vitæ* & à Chriſto & ab Apoſtolo vocatur. Et de Sacramentali manducatione apud Ioannem dixit Chriſtus. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, is in me manet, & ego in eo.* Quę verba de Sacramentali ſumptione dici negari non debet.

2. Argum. Deinde qui abſtinent quum accedere poſſunt, ſeipſos maximo bono defraudant. Quam ſanè frequenter accedendi cauſam multi patres vrgent, Cyrillus in primis, copioſè & vehementer ſic ſcribens.

Libro 3. cap. 37. in Ioan.

Sciant baptizati, ſi rarius & longo temporum ſpatio propter ſimulatam religionem, myſtice communicare Chriſto recuſent, ab æterna ſe vita procul depellere: Quippe recuſatio huiuſmodi, quamuis ex religione proficiſci videatur, & ſcandalum facit & laqueos inſtruit: quare oportet

tet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè viuendi
iactis fundamentis, magna cum fiducia ad ſumendam Hom. 24. in
vitam concurrere. Sic & Chryſoſtomus. *Quem-* 1. ad Cor. 10
admodum, inquit, *frigida acceſſio periculoſa eſt, ita*
nulla myſticæ illius cœnæ participatio, peſtis eſt & in-
teritus. In eundem ſenſum Ambroſius. *Qui* Lib. 5. c. 4. de Sacramentis.
non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum
accipere. Nempe te indignum facit etiam an-
nua ſumptione. *Vtinam poſſimus* (ait Hierony- Epiſt. 28.
mus ad Lucinium) *Euchariſtiam abſque condem-*
natione noſtri & pungente conſcientia ſemper accipere.
Hoc videlicet illud eſt miſeriæ, quod cecinit
Propheta. *Oblitus ſum comedere panem meum.* In Pſalm. 101.
quæ verba Auguſtinus. *Modo manduca, oblitus*
eras: ſed venit & ipſe panis, in cuius corpore tibi licet
recordari vocem obliuionis tuæ. Modo manduca. Itaque
in miſeriam primi hominis recidunt, qui hũc
panem obliuiſcuntur.

Quid, quod non bono te tantum defraudas 3. Argum.
maximo, ſed & periculo te committis, ac de-
trimentum pateris? Vnde Cyprianus. *Vt ma-* Serm. 6. de
nifeſtum eſt eos viuere qui corpus eius contingunt, ita Orat. Dom.
timendum eſt nec dum quis abſtentus ſeparatur à Chri-
ſti corpore, procul remaneat à ſalute. Sic & Chry- Homil. 3. in epiſt. ad
ſoſtomus. *Quando de cibo iſto non participat cor-* Epheſ.
pus, moritur: ita & nos quando de cibo iſto ſpirituali
non participamus. Periculum autem quod hic Lib. 3. c. 37.
incurrimus, egregiè deſcribit Cyrillus Alex- in Ioan.
andrinus. *Variæ* (inquit) *ſunt fraudes Diaboli,*
multiplicesque ad decipiendum inſidiæ. Nam pri-
mum ad viuendum turpiter inducit. Deinde cum malis

onerati fuerint, tunc abhorrere à Chriſti gloria perſuadet, qua poſſent à turpitudine voluptatis quaſi ab ebrietate, reuocari. Demus ergo operam vt ad cæleſtem gratiam accedamus, corporiſque Chriſti participes efficiamur. Hæc Cyrillus de Satanæ fraudibus, cuius ſanè partes ſollicitè agunt, qui hodie pios fideles à frequenti communione deterrent. Aliter D. Ambroſius. *Qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam.* Si nimium in longum differatur Euchariſtiæ perceptio (aiunt Patres Cabilonenſes) *ad animæ perniciem pertinet, dicente Domino. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Huc accedit quod ſumma quædam ingratitudo eſt, ita nullo Chriſti amore tangi, vt nō niſi ter quaterue in anno, ad eius Sacramentum accedas. Iam antea diximus, in ſingulare Chriſti amoris erga nos teſtimonium, hoc inſtitutum eſſe Sacramentum. *Quoties manducabitis* (ait Paulus) *mortem Domini annuntiabitis*, id eſt, gratam memoriam facietis. Diximus etiam, ideo *Euchariſtiam* hoc Sacramentum dici, eo quòd gratiarum in ea actionem Deo faciamus, *Nos* (ait Origenes) *cum precibus & gratiarum pro beneficijs acceptis actione oblatos panes edimus, hoc imprimis cauentes, ne ingrati erga Deum habeamur.* Nullus te vero Chriſti amor mouet? *Quotidie venit vt diſcumbentes videat: omnibus loquitur*, ait Chryſoſtomus. At metuo, inquis, ne indignè accedam: Potius ama vt ſis non indignus. *Pax enim certè hominibus bonæ voluntatis.*

Lib. 5. c. 4. de Sacram.

Concil. Cabilon. cap. 46.

4. Argum.

1. Cor. 11.

Lib. 8. contra Celſum.

Homil. 3. in epiſt. ad Epheſ.

Totius

Totius veteris Eccleſiæ praxis, frequẽtem 5. Argum.
communionem demonſtrat, Iuſtinus Martyr
in Apologia 2. qui Romæ vixerat. Hierony-
mus & Ambroſius Romæ & in Italia quoti-
dianam fidelium communionẽ, ſuo tempore
fuiſſe meminerũt. Verba ſuperius poſita ſunt. Lib. 5. c. 4.
Si quotidianus panis eſt (ait Ambroſius) *quare poſt* de Sacram.
annum ſumis, ſicut in Oriente faciunt? Ideo in Ori-
ente habes Chryſoſtomum, acerrimis verbis
hanc eorum ſtupiditatem flagellantem: Audi-
uiſti & Cyrillum eos vehementer repræhen-
dentem. Imo ad confuſionem adultorum
fidelium, vetuſtiſsimus mos Conſtantinopoli Hiſtor. Ec-
erat (vt meminit Euagrius) vt pueruli ad do- cleſ. lib. 4.
minicam menſam admitterentur, nondum cap. 35.
rationis capaces. *Vetus* (inquit) *fuit conſuetudo*
Conſtantinopoli, vt ſi quando multæ admodum particu-
læ Corporis Chriſti ſupereſſent, pueri impuberes qui
ſcholas frequentabant, accerſerentur, eaſque manduca-
rent. Quæ conſuetudo diutiſſime duraſſe vi-
detur; Scribit enim Nicephorus qui ante an- Hiſtor. Ec-
nos circiter 600. vixit, *ſe cum puer eſſet, reliquias* cleſ. lib. 17.
Corporis Domini frequenter ediſſe. Baſilius ad Cæ- cap. 25.
ſaream Patritiam, ſcribit *ſe ſuos quater in ſingu-*
lis hebdomadis communicare. Hieronymus ſcribit,
quotidianam communionem, Romanam Eccleſiam, & Epiſt. 28. ad
Hiſpaniam ſuo tempore obſeruaſſe. Quod & ſibi Lucinium.
ſuiſque optat, *vt Pſalmiſtam*, inquit, *audiamus*
dicentem nobis. Guſtate & videte quàm ſuauis eſt
Dominus. Sanè experientia hodierna docet
(quod de ſuo tempore Bernardus ſcripſit) in

in ijs qui frequenter communicant; *& minui in minimis peccatis ſenſum, & in grauioribus tolli conſenſum.* Vt eos vbique modeſtiores & religioſiores conſpiciamus, qui ad hoc Sacramentum non ex conſuetudine, ſed ex deuotione, quàm frequentiſſimè accedunt. Propterea ſic ſcriptum reliquit antiquiſſimus Ignatius. *Feſtinate frequenter ad Eucharistiam & gloriam Dei accedere. Quando enim hoc ipſum aſſiduè agitur, expelluntur poteſtates Satanæ, qui actus ſuos conuertit in ſagittas ignitas in peccatum.* Vides aſſiduitatis fructum: Vt quid ergo hæſitas? Tantundē & ſcribit Chryſoſtomus, idque verbis efficaciſſimis. *Hoc nempe eſt quod vniuerſa perturbat, quia non munditia animi, verum interuallo temporis longiore conſtare meritum putas, ſummamque arbitraris reuerentiam ac religionem eſſe, ſi non ſæpius cæleſtem illam adeas menſam. Ignoras quoniam indignè accedere, etiam ſi ſemel tantū fiat, te ſupplicio tradit? Dignè verò etiam ſi ſæpe acceſdas, ſalutem inde conquiris? Non eſt audacia, ſæpius accedere ad Dominicam menſam; ſed indigne accedere, etiam ſi ſemel tantum quiſpiam toto vitæ tempore accedat.* Vbi notanda valde tria quæ hic docet Chryſoſtomus. Primò, negat eſſe reuerentiam aut religionem rarò accedere. Cui nō eſt contrarium quod docet Auguſtinus ad Ianuariū; quia aliud eſt raro accedere (quod negat eſſe religioſū Chryſoſtomus) aliud interdū in frequenti acceſſione abſtinere, quod ad honorē huius Sacramēti pertinere ait Auguſt. ſic enim dicit. *Ille honorando non audet quotidie ſumere*, & de quoti-

Serm. de Cæna Dñi.

Epiſt. 10. ad Epheſios.

Hom. 5. in 1. ad Tim.

quotidiana ſumptione & aſſidua abſque vlla intermiſſione, apud illum quæſtio eſt. Secundò ex Chryſoſtomo notandum, indignam acceſſionem etiamſi ſemel tantum fiat, iudicium & damnationem acquirere: quod in ſequentibus eorum exemplo, qui ſemel tantũ Chriſtum crucifixerunt, & prodiderunt, pulchrè declarat. Tertiò, negat eſſe audaciæ ſæpius accedere, ſed id demum audaciæ eſſe, ſi indignè quis accedat. Quod plane ex noſtra ſententia eſt.

Iam verò videtur mihi inter has duas ſententias, hoc diſcrimen eſſe: quod altera ſuadet abſtinere à malo: altera hortatur facere bonũ. Illi enim qui à frequenti acceſſione deterrent, non alia iuſta de cauſa id faciunt, niſi propter periculum indignæ acceſsionis: quod malum vt caueatur, rarius iubent accedere, nec niſi inſigni quodam feruore accenſos, & vitæ puritate præditos. Et eſt quidem hoc declinare à malo. At verò quod multò præſtantius eſt, ſuadet noſtra ſententia, non tantum cauere à malo, id eſt, ab indigna acceſsione, ſed & facere bonũ, id eſt, dignè accedere: Dicens cum Chryſoſtomo. *Tempeſtiuum accedendi tempus, munditia conſcientiæ faciat.* Et cum Ambroſio. *Sic viue vt quotidie accipias.* Et cum Cyrillo. *Iactis rectè viuendi fundamentis magna cum fiducia, ad ſumendam vitam concurrere oportet.* Rurſum idem diſcrimen videtur, quod inter opera ex timore facta, & ex amore profecta. Suadet amor frequen-

Vtriuſque ſententiæ diſcrimen.

Hom. 5. in 1. ad Tim.

Lib. 5. c. 4. de ſacram.

Lib. 3. c. 37 in Ioan.

frequenter accedere. Retrahit timor, ne frequenter accedas. Hic timor ſi iuſtus eſt, ſcilicet propter indignam acceſſionem, retrahere te debet, non ſolum vt non frequéter, ſed ne quidem, vt vnquam accedas. Sin non quidem iuſtus, at religioſus eſt, *laqueus tamen diaboli eſt*, vt

Lib. 3 c. 37. in Ioannē. Cyrillus monuit. *Recuſatio communionis* (ait ille) *quamuis ex religione proficiſci videatur, laqueos inſtruit*. Quod ſi iniuſtus eſt, vanus eſt & reijciendus. Frequens verò acceſſio quæ ex amore fit, ſummè eſt laudabilis.

Quid? quod ſolemnioribus tantum diebus accedere, iudaiſmū ſapit. Ita ſanè notat Hieronymus. Oſtendens enim nos, *non obſeruare*

Gal. 4. *dies & annos* (quod in Galatis Iudaiſantibus repræhendebat Paulus) quia certis diebus ieiunamus, & diem Dominicum celebramus, ex hoc diſcrimen oſtendit, *quod nos quotidie id face-*

In cōment. ibidem. *re poſſumus, Iudæi autem non*. Sic enim ſcribit. *Sicut nobis licet vel ieiunare ſemper vel ſemper orare, & diem Dominicam accepto corpore Domini indeſinenter celebrare gaudentibus, non ita eſt fas Iudæis immolare Agnum.* Et hoc eſt quod vehementer ar-

In Orat. de B. Philogonio. guit Chryſoſtomus. *Communionis tempus non eſt feſtum neque celebritas, ſed conſcientia pura, vitaque à peccatis repurgata.*

At inquis, maiorem quandam ſanctitatem poſtulant celebres illi dies, ideoque tunc quidem qui non accedit, meritò arguendus: non ita verò in profeſtis diebus, alioue quouis tempore. At negat hoc expreſsè

Chry-

Chryſoſtomus. Diſputans enim de paſchalibus diebus qui omnium ſunt celeberrimi; *habent*, inquit, *aliquid amplius dies illi, quia in ipſis immolatus eſt Chriſtus: ſed quod ad hoc Sacramentum attinet, nihil amplius habent, nullam dignitatem, nullum priuilegium.* Sic & eius veſtigia per omnia ſequutus Theophilactus. *Tu conſcientia examinata diſcuſſaque, adito ea myſteria non feſtis profeſtiſque diebus, ſed quouis tempore, quum te purum & dignum comperis.* Homil. 5. in 1. ad Timo. In coment. in 1. Cor. 11

Sed grauiſſima profectò cauſa frequenter accedendi ea eſſe debet, quòd hac ratione frequenter conſcientiam examinamus, frequenter confitemur, & incumbentem peccatorum molem & ſarcinam, excutimus. Hoc bono, nullum maius dici poteſt. Sic enim fit vt ſemper parati, ſemper digni ſimus. Contrà qui longum tempus expectāt, quia maxima difficultate ſe præparant (ſicuti domus diu in ſordibus relicta difficillimè repurgatur) fit vt raro id faciant, ſicut poſt tantam expectationem fieri id debebat. Ideo ait Ambroſius. *Si non mereris quotidie accipere, nec poſt annum mereris accipere.* Ideo Chryſoſtomus. *Cum decimum anno reuoluto communices, quadraginta dies putas tibi ſufficere ad mundationem totius temporis?* In hac ergo quæſtione modus is tenendus eſt, vt vtrobique honore huius Sacramenti ſeruato, nec temerè eò accedatur, nec deſidioſè & pernicioſè abſtineatur. Lib. 5. c. 4. de Sacram. Homl. 17. ad Hebr.

Qui

Concluſiones de certo modo. Qui modus vt intelligatur, aliquot Concluſiones quę ex prę́miſsis diligenter introſpectis euidentur colliguntur, ſubijciemus.

1. Qui nullius ſibi criminis lętalis conſcius eſt, nec canonico aliquo impedimento aſtringitur; multò rectius nempe & Deo gratius, & ſibi vtilius facit ſi communicet, etiam ſi id quotidie fiat, quàm ſi abſtineat. Canonicum impedimentum hic vocatur, quale ab Eccleſię canonibus præſtitutum eſt; vt videlicet ieiunus, vt abſque carnali vel legitima copula, vel illicita pollutione, vt denique ab omni excommunicationis vinculo, tam maioris, quàm minoris, liber accedat. In quibus omnibus, Patrum ſpiritualium iudicium conſulendum & ſequendum eſt. Secunda. Abutitur hoc Sacramento qui indignè accedit, etiam ſi ſemel tantum in vita accedat, eſtque huiuſmodi reus corporis & ſanguinis Domini. Tertia. Abutitur etiam hoc Sacramento, qui quotidie nulla facta intermiſsione, non ex religione & amore Chriſti, ſed ex conſuetudine vel (quod deterius eſt) ex pacto & ſpe lucri alicuius temporalis, fauoris, &c. accedit; eſt enim damnanda & execranda hypocriſis, teterrimuſque abuſus. Quarta. Singulis ſaltem Dominicis diebus ad Euchariſtiam accedere, & maximo cum fructu & minimo cum periculo omnes fideles poſſunt, non nimiũ curis, negotijſque ſecularibus, quæ à Deo mentem auocant, impediti. Et in eo genere propter dierum

dierum aliquot intermiſsionem, minus eſt ex nimia familiaritate periculum; maximum verò ex frequenti illa ſui recollectione, beneficium. Sic ſtudioſi omnes, & qui ſedentariam vitam agunt, nobiles, opulentioreſque in pace reſidentes, conſultiſsimum fecerint, ſi nullum diem Dominicum prętermitterent. Dies Dominica, eſt perpetua memoria reſurrectionis. Eſt dies octaua figura æternæ octauæ. Eſt dies, quo Apoſtoli & veteres Chriſtiani communicare ſolebant; *Vna ſabbatorum cum conuenirent ad fractionem panis.* Quinta. Qui à frequenti communione in genere dehortantur, vt periculoſa & noxia, non habita certa quadam perſonarum ratione ex Iudicio confeſſorum, grauiter peccant; rectum huius Sacramenti vſum peruertunt; contra S. Patres & omnem primæ Eccleſiæ religionē, diſputant. Sexta. Eccleſia raram communionem nunquam præcepit, aut etiam hortata eſt, aūt vllo vel Decreto vel facto, approbauit. Septima. Non peccato nouo peccat, qui quū poſſit communicare non communicat: niſi id eo tempore fiat, quo Eccleſia communicare iubet. Octaua. Dicere poſtremò hanc frequentem communionem adeo eſſe neceſſariam, vt abſque communicantium numero, hoc Sacramentum percipere non liceat, deteſtanda eſt huius temporis hęreſis: De qua, tertio nunc loco agendum nobis eſt. Act. 20.

Præpoſtera ſanè eſt horum temporum hæreſis;

3. Sententia hæreticorũ propria. reſis, quæ tam cæco impetu aduerſus Catholicorum circa huius Sacramenti vſum ignauiam fertur; vt ne ipſum quidem in publica illa oblatione fidelium ſacrificantem preſbyterum, id muneris obire, niſi adſint qui communicent, patiantur. Horum hac in parte rationes diſpiciamus.

1. Primum aiunt, perpetuam hanc veteris Eccleſiæ religionem fuiſſe, vt nunquam ſine communicantium numero, celebrauerint.

2. Deinde noſtras hoc nomine Miſſas (quas ideò priuatas nouo vocabulo vocant) damnant, vbi quotidie abſque communicantibus alijs,

3. celebramus. Rurſum planè contra huius Sacramenti inſtitutionem eos facere dicunt, qui, ipſi quidem accipiunt, alijs autem non diſtribuunt, quod Chriſtus fecit. *Benedixit, fre-*

4. *git, dedit, dicens, Accipite*, &c. Poſtremò totam ipſius Miſſæ actionem, contra nos facere clamitant. Nihil enim illic aut dici, aut agi, quod ſolitudinem ſacrificantis non excludat.

5. Nec deſunt pſeudocatholici, qui hoc miſerandum abuſum vocent; & vel hinc fieri ſcribãt, vt tota illa Actio ſacra vnâ cum ipſis myſterijs magis atque magis vileſcat, & à prætereunte ac confabulante populo, faſtidiatur. Ideoque hac in parte hæreticis ſubſcribunt, vt priuatæ illæ & coactitiæ (ſic enim vocant) miſſæ aboleantur, vnumque aliquod publicum in Eccleſia ſacrum fiat, in quo omnes communicent, maximè è clero. His omnibus mendacijs atque

atque calumnijs diligenter à nobis reſpondendum eſt, ne ſic frequentem hic communionem commendare & ſtabilire videamur, vt ſolitudinem illam quotidianam ipſorum ſacrificantium, condemnare putemur. Quod ergo primo loco aſſeritur, luculentum eſt mendaciũ, ex ignorantia hiſtorię veteris natum. Vt enim demus (quod certè veriſſimum eſt) raras tum miſſas præſertim in publica Eccleſia fuiſſe, in quibus aliqui non communicarent, nunquam tamen aliter factum fuiſſe pernegatur, facileque comprobatur. Chryſoſtomus ingenuè fatetur, ſe aliquando deſertum, ſolum celebraſſe. *Fruſtra*, inquit, *ſtamus ad altare, fruſtra habetur quotidiana oblatio. Nemo eſt qui ſimul participet.* Et in eius liturgia inter agenda apertè notatur, quid ſacerdos debeat facere, vbi nullus adeſt, qui velit vnâ communicare. Quod fruſtra adhiberetur, ſi nunquam id contingeret. Nec eſt quod hæretici hic per *nullos*, paucos intelligant. Agit enim in præcedentibus verbis Chryſoſtomus, cõtra eorum conſuetudinem qui niſi in celebrioribus feſtis ad Euchariſtiam accedebant. Qui ſanè non pauci ſed omnes erant; vt tum ipſe eo in loco, tum alij patres eius contemporanei, docent. *Cur poſt annum ſicut in Oriente conſueuerunt, communicas?* ait Ambroſius. Orientis nomine Antiochiam & Conſtantinopolim, vbi hęc dixit, Chryſoſtomus intelligit. Euidens autem & inuictum eſt argumentum, abſque communicantibus

Hom. 3 in Epiſt. ad Epheſios.

Lib. 5. c. 4. de Sacram.

ſacrificatum olim eſſe, quod & ſacrificiũ eſſet quotidianum,& populi communio(ſicuti hodie) annua, aut vt plurimum celebrioribus tantum feſtis ab eo fræquẽtata. Ac de annua illa ac rariori acceſſione,demonſtratum eſt, quod diximus quum Eccleſiæ præceptum de annua communione, tractaremus. Sacrificij autem quotidie aut ſæpius celebrati, plena ſunt omnia veteris Eccleſiæ ſcripta, eorum etiam patrum qui de annua illa conquerun-

Epiſt.118. cap. 3. tur. Auguſtinus qui quotidianam communionem, *rem indifferentem ponit*, quotidianam tamen oblationem aſſerit. Sic enim ſcribit. *Non*

Epiſt.23. *ſolum per omnes Paſchæ ſolemnitates, ſed & omni die populis immolatur* Et de Monica matre ſcribit,

Confeſſ. lib.9. c. 13. *quotidie altari ſolitam aſſiſtere.* Ambroſius qui illum græcorum morem ſemel in anno communicandi taxat, ſuadetque *quotidie accipere,*

Lib. 5. cap. 4 de ſacramentis. *quod quotidie proſit*, ſuorum raritatem incuſans, apertè ſcribit ſæpius in hebdomadã offerri ſolitum. *Omni*, inquit, *hebdomada offerendum eſt, etiam ſi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis*

In cõment. in 1.Tim 3 *in hebdomada.* Chryſoſtomus quo nemo acrius & vehementius,rariſſimam hanc fidelium ſui tẽporis acceſſionẽ in varijs homilijs perſtringit,vt iam ex eo ſæpe citatũ eſt, tamẽ & *quotidianã oblationẽ* vocat, & apertè præterea ſcribit

Homil.5.in epiſt. ad Timo. *Siue ſexta feria, ſiue ſabbato, ſiue Dominica die, ſiue in celebritate martyrũ, eadem litatur hoſtia, idem ſacrificiũ conſummatur.* Hæc ſunt per illum ſacrificij tempora,hi dies. At cõmunionis ex parte populi

tempora erant Paſcha, Epiphania, Natale Domini, & quadrageſimæ dies, vt in alijs homelijs non ſine ſtomacho declamat. Ex his ergo tribus Patribus, Auguſtino, Ambroſio, Chryſoſtomo, annuam aut certè paulo admodum celebriorem communionem deplorantibus, ſacrificij tamen quotidianam aut vt minimũ hebdomadariam oblationem teſtantibus, luce clarius eſt, ſæpius abſque communicantibus celebratum fuiſſe. Accedit Concilium Cabilonenſe, quod *nullam diem excipi dicit, qua miſſarum ſolemnia non fiant*, & alibi tamen, ad frequentem communionem acerrimè hortatur.

Hom. 3. ad epheſ. & hom. 17. ad Hebr.

Cap. 39.

Cap. 46.

Rurſum ſolitarij huius ſacrificij (abſque videlicet communicantium numero) & illud euidens argumentum eſt, quod & olim (ſicut hodie) ſacella priuata extrui, in ijſque ſacrificari ſolitum ſit. Cuius rei teſtimonia *Martyria* illa ſunt, ab Eccleſijs apertè diſtincta. Vt in Tripartita hiſtoria deſtructo Serapidis templo, *hinc Eccleſia, hinc conſurgit Martyrium*, pro reliquijs videlicet Sancti Ioannis Baptiſtæ, reponendis. Et Concilium Carthaginenſe quartũ, apertam diſtinctionem facit *inter parochias, monaſteria, & martyria*. Vide autem hac de re Ruffinum lib. 11. cap. 27. Socratem lib. 1. c. 16. & vltimo lib. 2. cap. 11. Sozomenũ lib. 4. c. 9. & lib. 8. c. 24. Euagriũ quoq; lib. 2. c. 3. & Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 22. cap. 8. *In caſtello Syniccnſi* (ait Auguſt.) *memoria erat Stephani cum altari, Eccleſia autem non erat. Baptiſterium enim non habebat.*

Lib. 6. c. 34.

Can. 8.

Ratio auté huius rei in prompta eſt. Oblationis enim præceptum eſt. *Hoc facite.* Frequentis communionis præceptum nullum extat, ſed præmium adiunctum facienti. Ideo non eum peccare diximus nouo peccato, qui prætermittit. Nec ex neceſſitate præcepti, ſed ex neceſsitate finis, Sacramenti huius frequẽtationem ſtabiliuimus. Rurſum oblatio eſt munus publicum, in quo quod Apoſtolus iubet fieri, *obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro Regibus, pro toto populo fiunt, vt tranquillam vitam agamus.* In communicantium numero, nullum publicum ſed priuatum eorum qui communicant, bonum agitur. Hinc *populis immolari* ſcripſit Auguſtinus: *& incolis bis in hebdomada offerri*, ſcripſit Ambroſius. Deinde ad rationem ſacrificij ſatis eſt, vt is qui ſacrificat, oblata percipiat. Atque id planè neceſſarium eſt. Vt autem cum numero participantium id neceſſariò fiat, nulla ratio ſuadet, nullum præceptum vrget. His ſanè de cauſis & in veteri Eccleſia & hodie, ſæpiſſimè abſque alijs communicantibus, ſacrificij huius adminiſtratio facta eſt. Nec ergo veteris Eccleſiæ vſus nobis refragatur, nec noſtra propterea Miſſa damnanda eſt, quod numero communicantium ſæpiſſimè careat.

1. Timo. 2.

Locis iam citatis.

Quod autem Chriſtus quum hoc inſtitueret, *diſtribuit aliis*, nihil contra nos facit. Neque enim illud magis ad ipſam Inſtitutionis formam ſpectat, quam quod *cœnatus cœnantibus*

dedit,

dedit, quod *veſpere* etiam celebrauit, aut quod *numero duodecim* tradidit. De quibus omnibus cum Auguſtino rectè dicimus. *Si hæc monuiſſet Chriſtus, eum morem nemo variaſſet.* Itaque diligenter hic aduertendum eſt, quod peracto hoc Sacramento, quum eius adminiſtrationem præciperet, non dixit, Sic facite, ſed, *hoc facite:* illud videlicet Sacramentum, non illis & eiſdem, quibus ille ceremonijs ac ritibus. Denique quid in tota illa Chriſti cæna neceſſariò ad Sacramenti vim ſpectet, quid non ſpectet, Eccleſiæ praxis, non quorundam nouatorum opinio, iudex eſſe debet. Chriſti autem Eccleſia quæ vna eſt, & eodem ſemper ſpiritu gubernata, quum olim communicantium numerum exegerit, hodie autem non exigat, rem planè hanc (quantum ad præcepti neceſſitatem attinet) indifferentem eſſe demònſtrat. Poſtremò ſi exemplo Chriſti numerus eſt neceſſarius, ergo & Duodenarius. Quod ſi non iſte, nec ille. Epiſt.118.

Actio vero miſſæ, ſolitudinem communicantium ſacramentaliter non excludit, ſed bene ſpiritualiter. Ideo conſenſum aſtantium, & coniunctas præces, Patres poſtulant. Sic Chryſoſtomus. *In ipſis horrendiſsimis myſteriis, bene precatur populus ſacerdoti, & ſacerdos populo, nam cum ſpiritu tuo nihil aliud eſt.* Rurſum, *non ſolus ſacerdos gratias agit, ſed & omnis populus.* Quæ omnia non propter ſacramentaliter communicantes, aut vocaliter comprecantes, ſed Hom.18.in 2.Cor.

propter totius populi pium conſenſum,& ſpiritualem in tota actione concurſum & cooperationem,dicta ſunt.

Nec propter defectum communicantium vilipenditur ſacrificium,ſed contra; quia ſacrificium vilipenditur, nec tanti fit quanti fieri debebat,ideo deficiunt communicantes. Hoc illius, non illud huius cauſa eſt.

Vrgent etiam verbum *Synaxis* à veteri Eccleſia,& verbum *Communicationis* à Paulo vſurpatum, vt Sacramentum non ſit,niſi plures communicent. Sed hunc eorum errorem,veteres Patres facilè refutabunt. Quare hoc Sacramentum à Paulo κοινωνία dictum fuerit, pulchrè explicat Chryſoſtomus. *Quare non dixit participatio? quia amplius quiddam ſignificare voluit. Non enim participatione tantum & acceptione, ſed vnitate,communicamus. Quemadmodum enim corpus illud vnitum eſt Chriſto,ita & nos per hunc panem, vnione coniungimur.* Sic & Cyrillus. *An fortaſſe ignotam nobis eſſe putat myſticæ benedictionis virtutem? Quæ cum in nobis fiat nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Chriſti,Chriſtum in nobis habitare?* Et alibi. *Suo corpore credentes per communionem myſticam benedicens, & ſecum & inter nos vnum nos corpus effecit.* Sic & Dionyſius Areopagita. *Digniſſimum hoc Sacramentum,meritò ſingulariter Communio appellatur. Nam quamuis vnumquodque Sacramentum hoc agat,vt noſtras vitas in plura diuiſas,in vnicum illum ſtatum quo Deo iungimur colligat,attamen huic Sacramento communionis vocabulum præci-*

In cõment. in 1. Cor 10

Lib. 10 c. 13 in Ioan.

Lib. 11. cap. 26.

Eccleſ. hierarch. cap. 3 part. 1.

præcipuè ac peculiariter congruit. Vbi græcus interpres Pachymeres. Σιωαξιν δε νοητέον ου τω του λαου, ἀλλὰ προς τον Θεόν συναγωγω και κοινωνίαν. Non ergo communio & Synaxis a perpetua & neceſſaria communicantium multitudine, ſed ab illa myſtica & noſtri inter nos, licet in locis ſeiunctiſſimis communicantium, & noſtri cũ Deo coniunctione & vnione. Atque his quidem illi ratiunculis agunt, vt numerum communicantium neceſſarium doceant, quibus quum iam ſatisfactum ſit, rationes quę contrà pugnant, an validiores ſint, diſpiciamus.

Primum ſi ex vi Sacramenti (vt illi autumant, nam ſacrificij rationem hic nullam eſſe volunt) neceſſarius ſit numerus, infirmis non erit Sacramentum porrigendum, niſi adſit, qui vnà participare velit, fidelium numerus. Quo quid abſurdius? veteris ſanè Eccleſię hiſtoria, aliter factum eſſe ſatis demonſtrat. Serapion ille ſenex à puero delatam Euchariſtiam, ſolus accepit. Satyrus Ambroſij frater, inuolutam orario ideo in collo geſtauit, vt in periculo conſtitutus, ſolus acciperet. Plenæ ſunt his exemplis omnes hiſtoriæ, vt etiam ſupra commemoratum eſt. Quantum verò ſcelus viaticum quod etiam grauiſſimorum ſcelerum reis negatum nunquam eſt, propter communicantium forté defectum, pijs negare velle? Aut ſi non negetur, qui non videt æquè grauem eſſe publici officij ac priuati viatici rationem? vt ſi propter hoc

Argumẽta pro ſolitaria cõmen.

Euſeb. lib. 3 cap. 36.

Ambroſ. in orat de obitu fratris.

ſine numero accipi poſſit, multò magis
ptopter illud?

2. Rurſum ſi abſque numero communicantium communione hac frui non licet, damnanda illa veterum pietas, qui domi ſoli olim communicabant; quòd facilè apparet ex eo quod ad vxorem ſcribit Tertullianus: *quid ſecretò ante omnem cibum guſtes*: quod de muliere quadam Cyprianus, quæ *in arca Sanctum Domini repoſuerat, vt domi perciperet*: quod denique Baſilius de Eremitis Ægyptijs apertè ſcripſit. *Omnes in eremis ſolitariam vitam agentes vbi non eſt ſacerdos, Communionem domi ſeruantes, à ſeipſis communicant.*

Lib. 2. ad vxorem.

Serm. 5. de lapſis.

Ad Cæſaream Patriciam.

3. Sed quid multis moramur? Ipſorum doctrina qui numeri neceſſitatem ſtatuunt, numeri certitudinem tollunt. Illorum enim ſententia eſt, indignè communicantes rem Sacramenti non accipere, Corpus videlicet & Sanguinem Domini: ſed eos tantum hæc accipere, qui fide, ceteriſque virtutibus ritè præparati, accedunt. Iam verò quum nihil ſit facilius in numero communicantium, quàm vt vnus interdum aliquis iſque ſolus, ea fide & virtute præditus accedat, vt verè Corpus & Sanguinem Domini accipiat, reliqui vero indignè, hic quæritur, quid ille vnus accipit? Si totum Sacramentum, ergo ſine numero vna ſimulq; participantium. Neque enim alij (ſecundũ iſtos) verè participant. Sin ſymbola tantum, quanta hæc dementia, vt ab aliorum pietate mea pendeat communicatio,

nicatio,& nullo meo vitio re Sacramenti interius caream,qui Sacramentum ipſum forinſecus accipio? At certos nos reddit Apoſtolus, *vt probet ſeipſum vnuſquiſque, & ſic edat*, &c. hoc eſt abſque periculo iudicij aut damnationis. Per hos autē non ſeipſum tantū vnuſquiſque, ſed & proximum ſuum probare debet. Vana itaque & non ſibi conſtans eſt, horum hominum ſententia.

DE FREQVENTI CONFESSIONE SACRAMENTALI.

Oratio Catechetica Duaci habita.

NEceſſarias illas Confeſſionis Sacramentalis conditiones Auditores, & ſine quibus nulla eſt, ſed iterari ac repeti eam neceſſe eſt in poſtremo conuentu, ea quā potui breuitate perſtrinxi, & puram in verbis veritatem, doloris coniunctionem, ac grauiorum peccatorum eumucrationem integram, ex ſua planè vi atq; natura ei incumbere, oſtendi. Eſt quidem & præter iſta adhuc alia conditio, confeſſionem facturo non minus quàm cætera illa, neceſſaria, & ſine qua vtcumque præterea comparatus ac pænitens, facta n cōfeſſionem repetere, neceſſe habeat. E eſt, vt proprio Paſtori aut cuipiam delegate Sacerdoti, videlicet non cuilibet, ſed ius & poteſtatem in eum habenti, confi-

teatur. Secus ſi fieret, nihil facit etiamſi id ignoret cui confiteri petit. Sed de hac re alius eſt dicendi locus, quum de huius Sacramenti miniſtro diſputatur. Ad alias nunc illas veniamus cõditiones explicandas, etſi non perinde neceſſarias, huiuſmodi tamẽ, ſine quibus vitioſa & inutilis erit cõfeſſio. Illas eſſe diximus, humilitatem, verecundiam, fortitudinẽ. Accedit ad has quas diximus conditiones, vna alia quam ab alijs quidem qui in hoc diſciplinæ genere magno cũ labore & laude verſati ſunt, aut penitus prætermiſſam, aut non eo modo quo huius iuſtitutionis ratio poſtulat, tractatam animaduerti. Ea eſt, vt ſit hæc Cõfeſsio tempeſtiua ac frequens. Diſputant quidem & quàm diligentiſſimè ſcholaſtici Doctores de Confeſsionis tempore; ſed eatenus tantùm, quando & quo tempore ſub pæna noui peccati, ad confitendum obligamur. Quod certè cognitu eſt neceſſarium & vtile. Sed apud homines Chriſtianos, hoc eſt, eos
Rom. 8. qui non amplius *Spiritum ſeruitutis acceperunt in timore; ſed ſpiritum filiorum Dei in quo clamamus Abba Pater*, qui non iam ſerui ſed filij ſunt, etiam illud meritò quærendum, docendum, inculcandum erat, quid eos facere deceat, non ſolum quid oporteat: quid expediat facere, quid ſalutem promoueat, quid certam vocationẽ noſtrã faciat; non ſolum, quid quiſque facere ex præcepto debat, & quid ſub nouo peccato obſtringat. Meritò ergo in Confeſſionis tempore

pore indagando non id ſolum quæremus, quoties aut quando ex præcepto vel Dei vel Eccleſiæ, confiteri quis teneatur, ſed & illud præterea diligenter docebimus; quanti ſit periculi Confeſſionis vſum longius differre; quàm noxiũ, & Chriſtiano homine indignũ, rarò confiteri; quanti autem & quàm immenſi fructus, ſaluberrimum iſtud Sacramentum ſubinde frequentare.

Quod ad primum attinet, cadit quidem ſub præcepto Confeſſionis tempus, vel Eccleſiaſtico iure vel diuino. Eccleſiaſtico, vt quotannis ſaltem ſemel fiat confeſſio: ſicuti etiam vt quotannis, in Paſchate videlicet, ſumatur Euchariſtia. Apertum eſt hac de re decretum in Concilio Lateranenſi, cap. *Omnis vtriuſque ſexus*. Diuino, vt in articulo mortis, præſenti videlicet & magno confiteamur. Verbi gratia, graui morbo & periculoſo laborantes, longam nauigationem aggreſſuri, præliaturi, & huiuſmodi confiteri teneantur; ſi cuiuſpiam ſibi læthalis criminis noxij ſunt. Et hoc multipliciter probatur. Primum ex fine huius Sacramenti, qui eſt peccatorum remiſſio, hominis cum Deo reconciliatio. Quæ tunc ſanè neceſſariò facienda eſt, quando niſi fiat, nunquam facienda videatur. Alioqui apertè ſe mortis animæ periculo obiectat, ſuique ſpiritualis homicida meritò cenſendus eſt. Deinde videtur iſtud D. Iacobus inſinuare, qui extremæ vnctioni confeſſionem adiunxit. Quum enim

Confeſſionis tempus ex præcepto.

Iacob. 5. enim de ea mandaſſet, ſtatim ſubijcit, *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra*; que verba ad

De pænit. diſt. 1. cap. vltimo. hoc Sacramentũ pertinere grauiſſimi Doctores, Theodorus Cantuarienſis, Venerabilis

In cõment. Ibidem. Beda, & Theophylactus græcus, annotarunt.

Eſt etiam adhuc alius iure diuino confeſſionis caſus, vt olim antiqui Patres docuerunt, & nunc Eccleſia in Concilio Tridentino definiuit, videlicet, in ſumenda S. Euchariſtia. Tũc enim peccati ſibi mortalis conſcius confiteri tenetur, habita ſaltem confitendi oportunitate, quæ & in alijs caſibus intelligitur. Hoc Apoſtolus iubet. *Probet ſeipſum omnis homo*, &c. Quæ Apoſtoli verba hoc planè iubere, iam in alia oratione demonſtrauimus, dum de modo accedendi ad Euchariſtiam ageremus, ex patribus: Auguſtino, Baſilio, Heſychio, Gregorio Magno. Sed & ſimpliciter à Patribus hanc confeſſionem hoc caſu exigi, in eadem oratione ex Cypriano, Auguſtino, Chryſoſtomo, Ambroſio, & ex vſu Eccleſiæ antiquiſſimo, teſte Euſebio docuimus.

Seſſ. 13. cap. 7.

1 Cor. 11.

Hos quidem tres caſus celebriores ſcholaſtici ſtatuunt. Sed nunquid præter hos alius non eſt? Id nunc obſecro, diligenter diſpiciamus. Equidẽ non libenter à celebrioribus illis ſcholaſticis diſcedo, nec hic temerè aliquid definio. Sed id planè aſſerendum puto, eum ſi non in Deum ſaltem in ſeipſum, etſi nõ mortaliter, tamen grauiter peccare (niſi fortè non peccet grauiter, qui de animæ ſuæ ſalute aut

Confeſſionis frequẽtis ſtatus.

nullam

nullam, aut vulgarem & leuiſſimã curã habet) qui lætalis ſibi criminis conſcius, eiuſque dolore ac pænitentia affectus, habita ſanè confeſſoris oportunitate, primo quoque tẽpore non confiteatur. Rationes autem primò quæ hoc ſuadeant, perpendamus: Poſtea verò Doctiſſimorum Patrum ingentem nubem introducimus, qui quod certa ratio ſuadet, ſumma authoritate perſuadebunt.

Primũ itaque habet hoc in ſe peccati vis ac turpitudo, vt niſi quàm primum doleatur, ad nouum peccatũ impellat. De quà re grauis eſt illa & veriſſima (quamque ſi nihil aliud, certè vſus & experientia docet) B. Gregorij ſententia. *Peccatum niſi penitentia deleatur, ſuo pondere in aliud trahere. Vnde,* inquit, *& à Propheta Zacharia, talento plumbi comparatur*; & clamat peccator; *Factus ſum mihimet ipſi grauis*, &: *Iniquitates meæ ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me.* Et quis neſcit plurima peccata ita committi, vt ſint pænæ peccatorum præcedentium, eorum videlicet, quæ pænitentia tempeſtiua non delentur? Quare Dauid adulterio homicidium coniunxit, niſi quia de adulterio tempeſtiuè non penituit? Et horrenda illa quæ commemorat in gentibus peccata Apoſtolus, pænæ præcedentium erant. *Tradidit enim eos Deus in reprobum ſenſum, vt ea facerent quæ non conueniunt.* Quod quum ita ſit, debet quam citiſſimè deleri peccatum, ſaltem ne magis peccetur.

1. Ratio.

Moral lib. 25. cap. 12.

Zachar. 5.

Pſal. 37.

2. Reg. 12.

Rom. 1.

Sed

Sed reſpondent qui tres tantum prædictos caſus ſtatuunt, manere in peccato, non eſſe tantam cauſam alterius peccati, niſi quis actu continuet peccata: nam & exiſtens in gratia, in periculo eſt noui peccati, dicente Apoſtolo, *qui ſtat videat ne cadat*, & ſic ille etiam teneretur ſibi perpetuò metuere. At nos cōtrà dicimus, manente tantum reatu non actu, cauſam veram ſubſequentis peccati manere; Sic enim dixit Gregorius, *niſi pænitentia deleatur*, non dixit, niſi ab eo quàm primum deſiſtatur. Et hoc alibi apertius. *Qui peccatorem diu expectat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc vbi grauius impingat. Peccatum quippe quod per pænitentiam citius non deletur, aut peccatum eſt, aut cauſa peccati, ſimul & pœna peccati. Quod prius committitur peccatum eſt. Sed ſi citius pænitendo non tergitur, iuſto iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere, vt qui flendo & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare.* Ideo ergo manet peccati vera cauſa, quia peccatum non deletur, non quia continuatur. Manet enim in peccato à quo ceſſatur reatus, niſi remittatur. Vnde Auguſtinus. *Eorum peccatorum quæ manere non poſſunt, quoniam quum fiunt prætereunt, reatus tamen manet, & niſi remittatur in æternum manebit.* Remittitur autem per pænitentiam. Manebit ergo ſine penitentia, etiam ſi ab actu ceſſes. Manens autem reatus, Dei deſertionem & iracundiam prouocat.

Homil. 11. in Ezech.

De Nuptijs & cōcupiſ. lib. 1. c. 26.

Porro

Porro habet in ſe peccatū ſibi coniunctam animæ quandam cæcitatē, quæ gratię eſt ſubſtractio, manetq; illa, & noua ſemper peccata gignit, niſi remittatur. De hac Propheta. *Conturbatum eſt in me cor meum, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non eſt mecum.* Eleganter Auguſtinus. *Si quis furtum faciens ſtatim oculum perdidiſſet, omnes dicerent Deum præſentem vindicaſſe. Oculum cordis amiſit, & ei peperciſſe putatur Deus?* Et huic planè excæcationi, omnia peccata Auguſtinus attribuit. *Primum*, inquit, *peccatum eſt ſuperbia. Vltima pœna eſt ignis æternus. Inter illud primum peccatum, & hanc vltimam pœnam media quæ ſunt, & peccata ſunt & pœnæ peccatorum.* Manet ergò grauiſſima & certa noui peccati cauſa, dum prius per pęnitentiam non deletur. Potro quum ſcriptura dicat. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Et de ipſa pænitentia Apoſtolus apertè dicat, *Tu ſecundum cor impænitens tuum theſaurizas tibi iram in die iræ*, & hora mortis (quam ibi diem iræ Apoſtolus vocat) incerta eſt, *venitque* (vt nos monuit Saluator) *tanquam fur & latro*, ſaltem propter huius diei periculū, ſtatim pænitere debet, qui ſe pænitentia indigere animaduertit, eaque opportunè vti poteſt: nec diu rem differre, nè memoria peccati excidat, atque ita nullam pęnitentiam agat, maioribus & grauioribus pænis reſeruandus. *Conſtringe vinculis furem*, ait Chryſoſtomus, de prçueniendo die mortis. Reſpondent qui alterius ſententiæ ſunt, periculum hic

Pſal. 37.

Enarrat. in Pſalm. 57.

Eccle. 3.

Rom. 2.

Matth. 24.

Paræn. 2. ad Theodorum lapſum.

non

non quodcumque intelligi, ſed præſens & vrgens periculum. Homo autem extra corporis ægritudinem, in huiuſmodi periculo non eſt. Raræ enim ſunt repentinæ mortes. Neque verò tam attenti eſſe tenemur, ne peccatum memoria labatur, ſed ſatis eſt poſtea diligentiam adhibere, vt ea ad memoriã reuocentur. Contra verò. Animæ periculum præſens eſt,
Eccl. 3. de quo loquitur ſcriptura; Ait enim, *Cor durum habebit malè in nouiſſimo.* Durum videlicet & impænitens. Nec tam rarum eſt à peccato in peccatum prolabi, quàm eſt mors corporis repentina. Et monet nos ſcriptura vt attenti
Prouerb 4. ſimus. *Omni cuſtodia cor tuum.* Et Petrus. *Satagite in bonis operibus certam facere vocationem veſtram.*
2.Petr. 1.
1.Cor. 10. Et quum iubeat Paulus, *ſtantes videre ne cadant*, iubeatq; Saluator non Apoſtolus tantum, ſed
Marc. 13. & omnes, *vigilare & orare, ne inueniat nos Dominus dormientes,* ſi tanta inquam attentio adhibenda eſt ne peccemus; quis negare audebit eandem exigi, vt à peccato ſurgamus? Oramus quotidie, *libera nos à malo.* A quo malo, niſi peccato? & non quotidie tenemur à peccato ſurgere, à quo quotidie petimus nos liberari? Sanè voluntariè hæc & temere ab illis (pace tantorum virorum dixerim) dici videntur.

Sed alias rationes vide. Ex fine Sacramenti probant, in articulo mortis confitendum eſſe. Rectè. Ex eodem probatur & ſemper, id eſt, iuſta ratione id exigente. Finis Sacramenti eſt reconciliari Deo, vniri Deo. Hoc autem

non

non tantum in articulo mortis, ſed & ſemper exigitur. Neque enim ideo renati ſumus, vt in morte tandem pacem cum Deo haberemus, ſed vt per totam vitam hoc ageremus. *Vt ſeruiamus illi* (ait Zacharias & cantat Eccleſia) *in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ*. Ideo clamat Apoſtolus. *Obſecro per Chriſtum reconciliamini Deo*. Et rurſum. *Iuſtificati gratia pacem habeamus cum Deo* Et, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Non ſeruantur autem ab eo, qui peccati licet ceſſantis, reatu tenetur. Adhuc enim hoſtis Dei eſt, Satanæque mancipium. Quam autem eſſet ridiculum Sacramentum hoc pænitentię ideo inſtitutum eſſe, vt tantum in articulo mortis, reconciliaremur Deo? Huc accedit quod charitatis præceptum, quo iubemur diligere Deum, non obligat nos tantum in articulo mortis, ſed per totam vitam, quoties videlicet, aliqua ſe occaſio offert diligẽdi Deũ, & dilectionis huius debitę actũ producendi, vt quoties orandum, quoties ieiunandum, vel aliquod aliud opus pium exercendum, quod ſine charitate, nullum eſt. At charitatem habere non poteſt, qui in peccato eſt, quod pænitentia non deleuit. Sæpius ergo pænitendum.

Luc. 1.
2. Cor. 5.
Rom. 5.
Matth. 19.

Et hic ſanè patet via eorum Achilli reſpondendi, qui priores tantum caſus neceſſarios putant. Præceptum hoc, inquiunt, affirmatiuum eſt, quod non obligat ad ſemper. Reſpondetur enim, tunc huiuſmodi præceptum

obligare, quando datur decens & conueniens oportunitas illud exequendi: vt honorare parentes, quando nobis occurrunt, quando de eis loquimur; vt etiam amare Deum, &c. Non certè amplius nos de pænitentia dicimus. Recolit peccator ſe grauiter peccaſſe. Hic ſi delectetur commiſſo peccato, de nouo peccat. Si non delectetur, deteſtatur. Nam neutro modo affici, ſtupidi eſt. Imò ponimus eum à Spiritu Sancto moueri vt deteſtetur, & pænitentiam agat.

Hæ ſanè rationes, cogunt etiam aduerſæ ſententiæ patronos fateri, ſecluſo iure poſitiuo, teneri vnumquemque etiam iure Diuino eo tempore confiteri, quo ſecundum commune iudicium humanum, periculum imminebat obliuionis: Sed accedente iam Eccleſiæ præcepto, quæ iubet ſemel in anno confiteri, hoc ius Diuinum nobis exponi, & quantum ad neceſſitatem definiri, vt neceſſarium quidem non ſit, niſi ſemel in anno confiteri. Ego contra ſentio, non ideo hanc annuam confeſſionem ab Eccleſia præceptam, vt quid nobis neceſſarium & expediens eſſet, in iuris Diuini præcepto, definiret & determinaret Eccleſia, ſed voluit pænam grauiſſimam externam eis infligere, qui non ſemel ſaltem in anno hoc feciſſent, *vt viuens, ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens, Chriſtiana careat ſepultura.* Qua in re pænam Eccleſiaſticam, quæ magis deterret, pænæ Diuinæ adiecit; non quod iure Diuino neceſ-

Concil. Lateranse Can. 21. Cap Omnis vtriuſque ſexus.

ſarium

ſarium ſemper erat, iuſta ſe occaſione offeren-
te, ad vnicam anni totius confeſſionē, reſtrin-
gere voluit. Non enim fomes, ſed limes negli-
gentiæ lex illa eſt, vt de illo veteris legis præ-
cepto, *oculum pro oculo & dentem pro dente*, ſcribit Cōtra Fau-
Auguſtinus, *quod limes furoris, non fomes erat.* ſtum lib. 19
Sicuti etiam de ſumenda S. Euchariſtia olim cap. 25.
docuimus, quum de Eccleſiæ præceptis tra-
ctaremus, & quum ad illius Sacramenti fre-
quentiam, hortaremur.

At ſatis eſt (aiunt illi) vt conteratur cum
voto Confeſſionis. Eſt quidem ita, non data
confitendi oportunitate. At illa ſe offerente,
vt quid tergiuerſamur? Aut enim Contritio
illa tua iuſta & intenſa eſt, & tunc certè non
confiteberis tantum data oportunitate, ſed
etiam ſi non detur, ſtudioſè Confeſſariū quæ-
res: aut non eſt iuſta, ſed imperfecta aliqua
attritio: Illa ergo vt iuſta & perfecta fiat, ac- Soto 4 ſen-
cedere debet Confeſſio: Sola enim attritio tet. diſt. 14.
cum voto Sacramenti, non ſufficit ad gratiā. q. 1. ar. 1. & diſt. 17. q. 2
Quod ſi, *eadem eſt ratio Confeſſionis & apertionis* art. 5.
morborum corporis (vt docuit nos Baſilius) certè Reg breuis
ſi ille homicida ſui cenſendus eſt, qui medico q. 229.
vulnus tempeſtiuè non aperit, erit quoque &
is animicida, qui animæ vulnera quam primū
aperire & ſanare, detrectat.

At non erit, inquis, nouum peccatū mor-
tale, etiam ſi non conterar de peccato com-
miſſo, quoties eius vel memoria vel recorda-
tio, occurrit. Equidem nihil hic temerè dixe-

Enchirid. Cap. 79. rim. Sed quum prudenter moneat D. Auguſtinus, *quædam eſſe peccata, quæ leuiſſima putarentur, niſi in ſcripturis demonſtrarentur opinione grauiora,* profectò quæ ſcriptura (vt ante oſtendimus) tam ſeriò inculcat *de vigilando & orando,* &c. de peccati periculo fugiendo, de cuſtodia cordis omni cura adhibenda; monere nos illa debẽt negligentiam circa huiuſmodi, peccato idque grauiſſimo carere non poſſe. Sane peccatum Acediæ eſt. Nec enim grauior aut honoris Dei, aut ſalutis ſuæ negligentia, quam non ſurgere à peccato. Perſeuerentia porro in peccato, huic Acediæ coniuncta eſt, ſpecialis circunſtantia confitenda vt ſuprà ex Auguſtino docuimus, & ſpeciale peccatum ſicuti perſeuerantiæ donum ſpecialis virtus eſt.

At graue, inquis, conſcientiæ iugũm fuerit teneri toties ad confeſſionem. Reſp. non magis quàm præceptum iſtud. *Non concupiſces:* quod quam facile ſit audi diſputantem Chryſoſtomum, Hom. 8. de pœnitent. *multum,* inquit, *facilitatis habet fornacem fugere, ab igne longius recedere, quo ab igne ſis innocuus, ſic non concupiſcere, vt à mœchia ſis immunis.* Sicut igitur facilis caſtitatis cuſtodia eſt non concupiſcere, nullum autem præceptum durum, ita ſępius confiteri, facilis eſt virtutis cuſtodia, nullum autem præceptum durum. Denique ſi in cauſa ſalutis tutiſſima via tenenda eſt, nec ſe periculo quis obiicere debet, aut Deum tentare, planè ſiue mortale, ſiue minus aliquod peccatum ſit, omni ſtudio declinandum

dum eſt; nec quia nouum peccatum non eſt,
ideo aut vetera peccata conſuetudine augere
ac ſolidare, aut futuris anſam præbere, vllus
pie ac prudenter Chriſtianus voluerit.

Sed nunc patres audiamus, qui crebra niue
denſius a differenda pœnitentia ſanis ac pijs
admonitionibus, nos deterrent. Atque iſtud
quidem accuratè & eleganter D. Baſilius do-
cet. *Si ſeruus hominis eſſes, & propoſita eſſet ſeruis* Homil. 13.
libertas, nonne ad ſtatum diem accurreres, patronos Similia.
conduceres, & iudicum auxilium implorares, omni de- 1.
*niſque conatu ac omnibus viribus id vnum agens, vt in
libertatem vindiceris? & ad extremum etiam ipſam
alapam, ſummam ſeruorum plagam pro libertate per-
ferres? Cum autem te qui es mancipium peccati, præco
ad libertatem vocat, gratia ad agendam pœnitentiam
inuitat, impudenter reluctaris, necdum tempus eſſe di-
cis?* Rurſum. *Si aurum in pauperes erogarem, non ſanè* 2.
*diceret mihi, cras veniam & cras dabis, ſed iam iam ex-
poſceres largitionemque vrgeres, & iniquo animo procra-
ſtinationem ferres. Hîc quum animæ puritas tibi offe-
ratur, excuſationes prætendis, moras nectis, cauſaſque
enumeras? Cedo ſi quis medicus tibi reciperet, ſe arte* 3.
*quadam ac induſtria iuuenem te ex ſene facturum,
nonne deſiderares illam illuceſcere diem, qua hoc fieret?
At nunc cum pœnitentia promittat animæ tuæ vel noui
germinis renouationem, quam tu veterem effeciſti, con-
temnis benefactorem? At ſi bona res eſt peccatum, tue-
re ac tene hoc vſque in finem: ſin verò ei qui illud per-
petrat noxium eſt, quid rebus pernicioſis adhæreſcis?*
Contra eos verò qui vſque ad extremum ſpi-

 ritum

ritum, differunt pęnitentiam, *quid facis*, inquit, *tu cum multum valeas in agendo, iuuentutem tuam in peccatis traducis: vbi verò labore fracta fuerint inſtrumenta, tunc ipſa ad Deum adducis, cum iam illorum nullus ſit vſus.* Rurſum. *Quid expectas vt febris te ad pænitentiam vocet, cum neque ſalutaria verba amplius proloqui, neque quicquam auribus accipere, poteris? In capite morbus inhabitat, manus ad cælum tollere non potes. Quis tum te ex perturbatione mente captum ac ſtupidum, pænitentiæ commonefaciet? Tui mærore conficiuntur: alieni ſpernunt. Amicus etiam ad commonefaciendum tardus eſt, timens ne te magis perturbet. Quod ſi certè pænitentiam agas, & apertè gratiam ſuſceperis, talentum quidem habes, quæſtum verò non affers.* Rurſum, hanc eſſe inſignem diaboli fraudem, oſtendit. *Criminator ille ſapiens eſt ad mala perpetranda. Videt nos in diem viuere, & actiones omnes noſtras in id quod inſtat, peragi. Ideo hodiernum diem per fraudem nobis abripiens, ſpem nobis craſtini, relinquit. Quod ſi quidem peccatum hodie nos committere non cogit, iuſtitiam tamen in craſtinum vt reſeruemus, perſuadet. Atque ita quidem, præſens ſanè tempus per voluptatem ſubtrahendo, futurum verò, ſpei noſtræ relinquendo, ne ſentientes quidem è vita, expellit. Inſtar volucris cuiuſdam vafræ, quæ ſeipſam venatoribus cum eius pulli facilè ob teneritudinem capi poſſent, quaſi prædam quandam paratam obiiciebat, & ante manus eorum aſſiduè verſando neque ſe capi permittebat, neque tamen prædæ ſpem, venatoribus adimebat.*

Huiuſmodi verò Dilatores, vocat egregiè

Nazan-

Nazanzenus *caupones & inſtitores Chriſti, qui ex-pectant donec maiori contaminentur nequitia, vt maio-rem conſequantur remiſſionem.* Et paulo poſt. *Cur febrem præſtolaris benefactorem, & non Deum? cur tempus & non rationem? cur amicum inſidiatorem, & non deſiderium ſalutare? cur non poteſtatem, ſed vio-lentiam? cur non libertatem, ſed anguſtiam? Sit aliquid in medio gratiæ & exitus: vt non ſolum literæ delean-tur malæ, ſed & meliores inſcribantur; vt non ſolum gratiam, ſed & retributionem conſequaris.* Sed hæc, inquies, illi de Baptiſmo loquuntur, ſine quo nulla eſt ſalus. Agnoſco. Sed idem planè de pœnitentia, eſt intelligendum. Nec enim ſine ea, eſt ſalus poſt Baptiſmum peccantibus, & eadem eſt ratio, in dilatione vtriuſque. Ideo Chryſoſtomus, intempeſtiuam vocat ipſius Cain confeſſionē, qui niſi prolata prius à Deo ſententia, confiteri peccata voluit. *Maius eſt peccatum meum, &c. Sufficiens* (inquit) *confeſſio ſed intempeſtiua; Hoc enim facere oportebat tempore con-gruo, non poſt ſententiam latam. Vox ſanguinis fra-tris tui, clamat ad me de terra. Nullum enim eſt pecca-tum quantumcumque graue ſit, quod illius vincat mi-ſericordiam, modo tempore debito pœnitentiam agamus.* Et alibi. *Interim dum hic viuimus, quoniam in ægri-tudinem vitam trahimus, medicos congregemus, pecu-nias erogemus, & omni ſtudio incumbamus, vt ab ini-quitatis ægritudine liberati, ſani recedamus ex hac vita. Aequalem ſaltem animæ ac ſeruorum, curam habea-mus:* quos laborantes ſolicitè, diligenter curamus. Idem de pœnitentia agenda tempeſtiuè ſcri-

Oration. in S. Lauacrū.

Homil. 19. in Gen.

Homil. 76. in Matth.

De pænit. lib. 2. c. vlt. ſcribit Ambro. *Idē enim eſt quod differas? an vt plura peccata cōmittas? Ergo quia Deus bonus eſt, ideo tu malus? Aut diuitias bonitatis eius & patientiæ contemnis?* Serm. de pænitent. Et iterē. *Si tunc agere vis pænitentiam, quando peccare iam non potes, peccata te dimiſerūt, non tu illa.* Nempe vehementer notandum eſt quod Saluator Luc. 13. dixit, *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Et ſequitur mox parabola de ficu infrugifera. *Similiter* ait, id eſt, repentinus vobis ſuperueniet interitus. De quo ait Sapiens. Prouerb. 1. *Quum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, ego in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo.* Ideo clarè & apertè Saluator, quum in Math. 4. Euangelio dixiſſet, *Agite pænitentiam,* Addit, *Appropinquabit enim regnum cælorum.* Quod de iudicio mortis intellexit. Hinc grauiter ſcripſit Homil. 50. cap. 10. S. Auguſtinus. *Quiſquis poſt Baptiſmum aliquorum priſtinorum malorum opere obligatus tenetur, vſque adeò ſibi inimicus eſt, vt adhuc dubitet vitam mutare, dum tempus eſt, cum ita peccat & viuit? Nam vtique quod ita perſeuerans peccat, theſaurizat ſibi iram in die iræ.* Et paulo poſt. *Iudicet ergo homo ſeipſum in iſtis voluntate dum poteſt, nec detractet aut differat, aut dubitet confugere ad claues Eccleſiæ.* Quid, quod planè grauius eſt, de peccatis non dolere, quàm Homil. 46. ad pop. Antioch. ipſum peccare? Vnde Chryſoſtomus. *Peccantes non dolere, magis Deum indignari facit & iraſci, quàm peccare. Tu quidem hominem exacerbans, & amicos & vicinos & ianitores rogas, & pecunias impendis & multos abſumis dies accedens & ſupplicans. Deo autem omnium exacerbato, oſcitamus, & recedimus, &*

deliciis,

deliciis, ac ebrietati vacamus? Quomodo non inde ma-giseum irritamus? Itaque omnes clamant ſcripturæ, *ne differamus conuerti ad Dominum: quod tanquam fur & latro, mors nos occupat.* Et tamen ac ſi in portu nauigaremus, altum ſtertimus. Hinc verò conſuetudinem ac deinde quandam quaſi peccandi neceſſitatem, contrahimus. Vnde Auguſtinus. *Ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas: quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, tenet nos obſtrictos dura ſeruitus.* Denique hic ille puteus eſt, de quo orat Dauid. *Ne vrgeat ſuper me puteus os ſuum,* Quæ verba enarrãs Auguſtinus, *In puteum* (inquit) *cecidit qui peccauit, ſed ibi poſitus ſi confiteatur peccata ſua Deo ſuo, non ſuper eum clauſit puteus os ſuum. Si quum in profundum venerit contemnit, iam clauſit, iam mortuus eſt, perdidit enim confeſſionem. Vnde Sapiens. A mortuo, velut qui non ſit, perit confeſſio.* Qui pænitentiam differunt, dicuntur in ſcripturis, *in cathedra peſtilentiæ ſedere:* quem locum explicans Ambroſius: *Inueterati* (inquit) *in errore, & ſtudioſè flagitijs inhærentes ſedere dicuntur, qui audire dicentem nolunt, ſurgite poſtquã ſederitis, qui manducatis panẽ doloris. An ignoramus, quod tantam vim habeat inueterata conſuetudo peccandi, vt excludat naturam?* Et paulo poſt. *Sicut ij qui ſe in luto verſant, quò magis voluntantur, eò amplius inquinantur, ita qui ſemel ſe luto improbitatis aſperſerit, niſi ab eo velociter exiliat, grauius ſibi dedecoris ſui cænum per ſingulos dies lutulentæ*

Eccl.5. Math.24. Confeſſ. lib.8 cap.5. Pſal.68. Aug.enar. ibidem. Pſal.1. Enarrat. ibidem.

lentæ conuerſationis obducit. Noli ergo ſtare in peccato, non permaneamus in vitiis. Hæc ille. *Hodie ineſt ſcrupulus, hodie ſit confeſſio, hodie renuncietur ſcrupulo, hodie dimittatur, hodie laxetur*, ait B. Auguſtinus. De puteo quem diximus ſic ſcribit Gregorius Magnus in Moralibus. *Si adhuc longa conſuetudo non déprimit, nequaquam puteus os ſuum coanguſtauit. Tanto ergo facilius egreditur, quantò minori conſuetudine coarctatur.* Sed de pœnitentiæ dilatione, grauiter & copioſè alio in loco diſſerit. Vnde hic pauca ſubiiciemus. Ait ergo. *Cogitationes iuſtorum iudicia, ait Sapiens. Reproborum namque proprium eſſe ſolet, ſemper praua agere, & nunquam quæ egerint, retractare. Omne enim quod faciunt, cæca mente pertranſeunt, factumque ſuum niſi quum puniti fuerint, non agnoſcunt.* Et eleganti ſimili rem illuſtrat. *Sicut non ſentimus quomodo creſcunt membra, proficit corpus, mutatur ſpecies, &c. Hæc quippe omnia nobis neſcientibus aguntur in nobis; ita mens noſtra per momenta viuendi, ipſo curarum vſu à ſemetipſa permutatur, & non agnoſcimus, niſi vigilanti cuſtodia ad interiora noſtra reſidentes, profectus noſtros quotidie defectuſque, penſemus* Rurſum ſequenti capite, vbi multa in hanc ſententiam dixiſſet, ſubiicit. *Nec ad hæc agenda, prætermittenda ſunt tempora quibus vacat, quia ad hæc agenda poſt huius vitæ tempora, non vacat. Vacuè quippe à B. Iob non dicitur.* Neque *enim vltra in hominis poteſtate eſt, vt veniat ad Deum in iudicium.* Addit autem & paulo poſt. *Nunquã culpam ſuam reprobi, niſi in pœna cognoſcunt. Et quia pœna differtur, culpa deſpicitur.* Ne ſimus ergo ex repro-

Lib. de Ouibus cap. 6.

Moral. lib. 26, cap. 30.

Moral lib. 25. cap. 6.

Prouerb. 12

Cap. 7.

Cap. 8.

reprobis, qui arguente nos Spiritu Sancto, & ad pęnitentiam incitante, ei reſiſtimus, & Spiritui gratiæ, contumeliam facimus. Quos olim notauit Ieremias. *Attendi & auſcultaui: nemo quod bonum eſt, loquitur. Nullus eſt qui agat pænitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Nullo modo ergo differenda pænitentia, arguente peccatum Spiritu Sancto, vocante nos ad pænitentiam Deo, & datą agendi pænitentiam, ſicut in Eccleſia agitur, oportunitate. Ierem. 8.

DE S. AMATO EPISCOPO ET CONFESSORE.

Oratio ad Clerum in Vigilia dicti Sancti, in Eccleſia collegiata S. Amati Duaci habita, quum Author ibidem Canonicus eſſet.

Hieremias Propheta, quum ab imminenti toti populo clade, à Tyrannide Aſſyriorum, à futura totius gentis captiuitate, liberare ſuos vellet, quum à vijs iniquitatis (in quibus omnes ambulabant, à Sacerdote vſque ad Prophetam) ad vias iuſtitiæ reuocare conaretur, clamat ad eos in perſona Dei. *State ſuper vias, & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.* Nempe qui longam peregrinationem inſtituit, Ierem. 6.

tuit, de toto itinere diligenter inquirit; itinerarium ſibi comparat; ab ijs maximè qui idem iter confecerunt, ſe informat. Qui è portu ſoluunt, ab ijs qui iam in portum ex alto inuehuntur, ediſcere ſummo ſtudio ſolent, & tempeſtatum rationem, & locorum & prædonum. Denique natura affert, vt eos audè conſulamus, qui eiſdem periculis quæ nos ingrediemur, iam perfuncti ſunt. Atqui omnes in via, in peregrinatione, in itinere, poſiti ſumus; Ambulamus omnes ex hoc tranſitorio curſu, ad quandam æternitatem, vel beatitudinis glorioſæ, vel damnationis horrendæ. Ad hunc tam diuerſum viæ terminum, diuerſis

Prouerb. 28 itineribus tenditur. *Qui ambulat ſimpliciter ſeruus erit: qui peruerſis graditur viis, concidet ſemel. Melior eſt pauper ambulans in ſimplicate ſua, quàm diues in prauis itineribus.* Duæ ergo viæ ſunt, ſicut duo fines viæ. Sed & inter eas, maximum diſ-

Prouerb. 4. crimen docet Scriptura. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit, vſque ad perfectum diem. Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant.* Rurſum, *via peccantium, complanata eſt lapidibus.* De

Eccl. 21. Sapientia quę bonorum eſt via, dicitur *Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ.* Et ite-

Prouerb 3. Prouerb. 15 rum. *Iter impiorum quaſi ſepes ſpinarum, via iuſtorum abſque offendiculo.* Denique impiorum vox

Sap. 5. eſt. *Ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Iuſtorum contra. *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis.*

Pſal. 118. Sunt ergo Iuſtorum viæ lucidæ & perſpicuæ, pulchrę

pulchræ & pacificæ, planæ & perfaciles, adeoque iucundæ & delectabiles: impiorum contra, tenebroſæ, lapideę, ſpinoſæ, difficiles, & amaræ. In tanta tamen differentia, magna ſæpenumero fallacia, magna inuenitur deceptio. *Eſt enim via quæ videtur homini recta, noviſſima autem eius ducunt ad infernum.* Erit ergo valde operæpręcium, erit doctrina maximè ſalubris & neceſſaria, quæ ſit via hominis recta, quæ ſit propriè iuſtorum via, explicatè oſtendere. Ipſi ſanè gentium Philoſophi, *patriam ipſam in qua manendum eſt poſt hanc vitam, vtcumque viderunt* (ait Auguſtinus) *etſi de longinquo, etſi acie caligante, viam autem qua illuc eundum eſt, prorſus non viderunt, penitus ignorarunt.* Hæc enim recta ad ſaluté via, nullo humano ingenio, nulla aut arte, aut ſtudio humano, inueſtigari potuit. Sed quia per Prophetas alioſque miniſtros ſuos Deus hoc olim mortales docuit. & S. Ieremias in perſona Dei iubet nos *interrogare de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, vt ambulemus in ea*, ideoq; ſapienter Eccleſia veteres iuſtos nobis propoſuit, qui vias rectas fæliciter ambularunt, & de illis gratulabunda canit, *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas*, noſtrũ hodie iuſtum, S. Amatum, huius Eccleſię fundatorem ſpirituale, primum patrem ac magiſtrum inſpiciemus; quomodo per vias rectas ambulauerit, conſiderabimus; quomodo ad Regnum Dei fælicirer peruenerit, inquiremus. Ille iam portum tenet, nos adhuc in ſolo fluctuamus, ille periculis defun-

Prouerb. 14

De Ciuit. Dei lib. 10. cap. 29.

defunctus eſt, quæ nos quotidie aggredimur, Ille viam tantam confecit, quam nos terere neceſſe eſt. Examinabimus igitur ad noſtram inſtructionem, ad illius honorem, ad Dei gloriam. Primũ quas vias rectas ambulauerit. Secũdo quomodo per illas Dominus eum deduxit. Tertio quod & quale regnum Dei, Dominus ei oſtenderit.

Diſtributio
1. Dei gloriam. Primũ quas vias rectas ambu-
2. lauerit. Secũdo quomodo per illas Dominus
3. eum deduxit. Tertio quod & quale regnum

Via & vita S. Amati. Quas in pueritia, iuuentute, adoleſcentia, vias ambulauerit, nihil attinet dicere. Vix enim iſta ſub ſcientiam cadunt, iuxta illud Salomonis. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia.* Sicut illa tria nullum poſt ſe veſtigiũ relinquunt, ſic adoleſcentiæ actiones. Satis eſt quod illo adhuc puriori tempore, anno videlicet 665. *Senonenſis Epiſcopus* creatus fuit. Ad illam dignitatem eo tempore, ſola virtus, ſola eruditio, viam ſternebat. Ab Epiſcopis circumuicinis & populis eligitur, vt in vita eius habetur. Floruerunt eo tempore vicini Epiſcopi S. Eligius Nouiodunenſis, S. Andoenus Rothomagenſis, S. Leodegarius Auguſtudonẽſis, S. Amandus Cameracenſis, & S. Lambertus Traiectenſis, Epiſcopi. Nulla tunc ſecularis commendatio, ad hunc locum euehebat. Sed & laborioſa potius quàm honorifica, aut opulenta tunc temporis erat, Epiſcopalis functio. In hoc munere per annos 14. Deo ſeruiuit. Anno enim 679. eiectus eſt. Scribit Cyprianus

Prouerb. 30

prianus Epiſcopalem electionem, non niſi diuina ſemper ordinatione, fieri. *Credere* (inquit) *quòd incerti ſunt, qui ordinantur ſacerdotes in Eccleſia Dei, quid eſt aliud quam credere quod non à Deo, nec per Deum, ſacerdotes eius in Eccleſia conſtituantur? hoc eſt autem in Deum non credere*, &c. Hæc diuina prouidentia in Epiſcopali functione S. Amati, egregiè relucet. Eodem enim prorſus anno, quo S. Amatus in Epiſcopũ Senonenſem aſſumptus eſt, id eſt, anno 665. Erchenwaldus tunc Maior domus Franciæ, ſub Clotario Clodouei filio, & Theodorici fratre ſeniore, cum fratre ſuo Adalbaldo patre S. Mauronti, quem Patronum & fundatorem temporalem huius Eccleſiæ colimus, caſtrum Duacenſe reædificarunt; & infrà caſtrum, templum B. Mariæ, cuius templi adhuc particula eſt, ſacellum rubeum B. Virginis in hac Eccleſia, ſupra quod iacent corpora Sanctorum. Sicut ergo (ſi parua licet componere magnis) quo tempore Roma condita eſt, eo tempore ſub Achaz Rege Iuda prima prrſpicua de Chriſto ex virgine naſcituro, prophetia facta eſt, tum per Eſaiam apud Iudæos, tum per Sybillam Erythream apud gentes, vt (ſicuti notauit Auguſtinus) *Romani imperij & ſecundæ Babylonis, primum fundamentum cum venturæ Salutis mundi, prima prædictione clariſſima conueniret*; & quemadmodum iam Romano imperio, ad ſummum incrementum perducto, naſcebatur Chriſtus, Auguſto regnãte, pace per totum orbem conſtituta,

Lib. 4. epiſt. 9.

Ado in Chron.

Codex M. S. Amatẽſis

De Ciuit. Dei lib. 18. cap. 22. & 23.

ſtituta, in taberna meritoria olei fonte largiſſimè profluente, ſeruis omnibus quorum Domini inuenti ſunt, libertate donatis (quæ omnia vt doctè colligit Ado Vienenſis, eum perſpicue ſignificabant, qui ſub hoc Auguſto naſceretur, *pacem annuntians omnibus & ijs qui prope, & ijs qui longe*, fons miſericordiæ, liberator mundi) ſic eo tempore S. Amatus in Eccleſia claret Epiſcopus factus, quo tempore Eccleſia alibi extruitur, in qua multis poſt ſeculis Amati reliquiæ aſſeruarentur, Amati nomen celebraretur, Amati collegium excitaretur, & quidem eius impenſis, cuius pater Eccleſiã priorem extruxerat. Adalbaldus enim Mauronti pater cum fratre ſuo, Eccleſiam B. Mariæ extruxit, in qua poſtmodum eccleſia, collegiũ Maurontus quod videmus, erexit. Quis hîc ſingularẽ Dei prouidentiam non aduertit?

Ado ſub finem ætatis quintæ.

Epheſ. 2.

Sed nunc quas vias poſt epiſcopatum adeptum, ambulauerit, diſpiciamus. Vno verbo dicam. Viam crucis ambulauit: fecit quod Chriſtus dixit. *Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur me. Præparatio ad mortem pro Chriſto, mortificatio membrorum ſuper terram, ad omne periculum pro Chriſti nomine ſuſcipiendum, ſedato animo accedere, & erga hanc præſentem vitam, affectum non eſſe, hoc eſt* (ait S. Baſilius) *ſuam crucem poſt Chriſtum tollere*, Quatuor dicit, & hęc quatuor in S. Amato ſingulariter completa ſunt: Vt enim ab eo quod tertio loco poſuit Baſilius, incipiam, quàm ſedato

In regul. breu. ad quæſt. 6.

animo

animo ad omne periculum pro Chriſti nomine ſuſcipiendum acceſſerit, eius exiliũ oſtendit. Rebus in Republica perturbatis, patitur Iuſtus. Circa annum Domini 600. Clodoueus Dogoberti filius, tres reliquit liberos, Clotharium, Theodoricum, Chilpericum ſeu Hildericum. Mortuo poſt quartum Regni annum Clothario, ſuccedit Theodoricus. Eo vero propter tyrannidem à Francis ſubmoto, & in monaſterium detruſo, pariter cũ Ebronio maiore domus, Chilpericus ex Auſtria vocatus, regnat. Sed & eo paruo poſt tempore, propter inſolentiam interfecto, reſtituitur cum ſuo Ebronio, Theodoricus. Hoc inſtigante Ebronio, homine nefario, perfido, periuro, ad ſanguinis innocentis effuſionem nato (vt appendix Gregorij Turonenſis latè monſtrat, & poſt quem Franciæ Reges titulo tantum Reges erant, vſque ad Pipinum Caroli Magni Patrem, vt Sigibertus & ex eo Genebrardus notauit) & Sancti Epiſcopi & multi nobiles (vt notauit Ado in Chronicis) proſcriptione quadam Antoniana, vel in exilium pelluntur, vel etiam gladio cæduntur. Tunc S. Leodegarius Auguſtodunenſis Epiſcopus, poſt horrenda illi ab hoc Ebronio inflicta tormenta, nobili martyrio afficitur. Tunc S. Lambertus Traiectenſis Epiſcopus in Monaſterium Stabulaus dictum, relegatur. Tunc & noſter S. Amatus Senonenſis Epiſcopus planè indicta cauſa, nec ad vllam ſui defen-

S. Amati exilium.

ſionem admiſſus, ſolo vrgente Rege Ebroino, vt notauit Sigebertus in Chronicis, in monaſterium Peronenſe, cui tunc Vltanus S. Furſei frater, homo Hibernus pręfuit, ſimiliter retruditur. Sed vir ſanctus, animo fortiſſimo iniquum exilium ferens, Deo gregem ſuum commendans, non ſibi ſed ſuis condolens, recto itinere ad deſtinatũ ſibi locum graditur, neque ad dexteram flectens, neque ad ſiniſtram; ſicut vaccæ illæ fætæ, vitulis domi recluſis arcam Domini in agrum Bethſamitidem portabant. Hæc eſt iuſtorum via, de qua Pſalmiſta dixit. *Principes perſecuti ſunt me gratis.* Nempe (vt illa verba explicat Ambroſius) *vt qui nihil legibus debeat, grauiora latronum ſubire cogatur ſupplicia.* Hac via innumeri ſancti Epiſcopi ad cæleſtem patriam ambularunt. Hac via S. Chryſoſtomus Conſtantinopolitanus, bis in exilium pulſus: S. Athanaſius Alexandrinus tertiò vel quartò exulans: S. Hilarius Pictauienſis, tot etiam Romani Epiſcopi, Liberius, Siluerius, Martinus, alijque nonnulli, vt taceam duos Euſebios, Samoſatenſem, & Vercellenſem, tot etiam Orientis Epiſcopos, ſub Conſtantio & Valente, ac poſtremo vno tempore 334. Epiſcopos ab Hinmerico Vandalo Arriano, in Sardiniam relegatos, quos omnes Symmachus Papa aluit, & rebus omnibus neceſſarijs, donauit. Hanc ſanctorum viam S. Amatus Epiſcopus ſanctiſſimus, forti & conſtanti pede calcauit; Sic ille animo ſedato

Anno 680.

Prima S. Amati Cuſtodia.

Pſal. 118.

dato, ad quodlibet pro Chriſto periculum ſuſcipiendum, acceſſit.

Alia pars crucis poſt Chriſtum tollendæ (ait S. Baſilius) *eſt præparatio ad mortem pro Chriſto.* Quæuis enim ad mortem præparatio (de qua multa Philoſophi ſpecioſè magis quam ſolidè diſputarunt) ad veram gloriam aut ſalutem via non eſt, ſed præparatio ad mortem pro Chriſto, pro iuſtitia, pro veritate, pro lege Dei, cultu, & honore, ſuſcepta, illa demum crux hominis Chriſtiani eſt, qua Ducem noſtrum & liberatorem Chriſtum, ſequimur. Hanc S. Pontifex Amatus luculenter expreſſit, quum defuncto Vltano Abbate, S. Mauronto in cuſtodiam daretur. Erat tunc Mauroncus vir aulicus, & in familia Regis Illuſtris, nepos videlicet Erkenwaldi, qui ante Ebroinum ſub Sigeberto fratre Clodouei, & patruo Theodorici, maior domus fuerat. Quum is igitur perſpecta viri ſanctitate (de qua mox dicemus) de munere ſibi à Rege delegato, ſe excuſaret, dixit ei S. Amatus. *Ne tibi acerbum aut triſte, frater, videatur, quòd tuæ cuſtodiæ mancipatus ſim, qui paratus ſum quocumque iuſſerit Rex, vel in carcerem, vel in mortem, ire.* Hæc erat præparatio ad mortem pro Chriſto, id eſt, pro lege Chriſti, quę iubet obedire Regibus etiam dyſcolis, Ducibuſque ab ipſis miſſis. Sic ergo hanc crucis partem, fortiſſimè tulit.

Secunda cuſtodia ſub Mauronto.

Codex M. S. Amatenſis.

Addit S. Baſilius, ad crucem noſtram poſt Chriſtum tollendam pertinere, *vt ad præſentem*

vitam affecti non ſimus, id eſt, vt ad futuram ſemper anhelemus, ad eam votis & deſiderio toto feramur. Deniq; vt (quod Apoſtolus dixit)

Philip. 3. *conuerſatio noſtra in cælis ſit, vt quæ ſurſum ſunt*

Coloſſ. 3. *quæramus, quæ ſurſum ſunt ſapiamus. vbi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens, non quæ ſunt ſuper terram.*

Hanc partem hominis Chriſtiani, S. hic Præſul cumulatiſſimè præſtitit. Collocatus enim à S. Mauronto in monaſterio quodam ſuo

Meruilla. *Broilus* dicto prope *Meruillam*, oppidum collegij huius Amatenſis adhuc hodie proprium, non ſatis habens, communibus pietatis officijs cum fratribus ſibi ſubditis vacare, communibus precibus, vigilijs, ieiunijs incumbe-

Codex M. S. Amatẽſis re, *curauit ſibi iuxta templum commune, cellulam quandam orationis cauſa extrui, vbi cæleſtibus inhians, tanquam in quadam æternæ quietis ſpecula, Diuinorum contemplationi vberius & liberius vacaret.* Sic videlicet, ſe totum ad futuram vitam deſiderio ferri, ad præſentem vitam nullo modo affectum eſſe; cæleſtia meditari, terrena deſpicere; Denique æternum cogitare; à fluxis his & caducis alienum prorſus eſſe, luculentiſſimè demonſtrauit.

Quarta pars crucis à D. Baſilio deſignata, *eſt mortificatio membrorum ſuper terram*, De qua Apoſtolus: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper*

Coloſſ. 3. 2. Cor. 4. *terram*, & de ſeipſo ait, *ſemper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Nempe vt

Vita Chriſti. vita Chriſti quæ ærumnis erat plena, quę pauperiem

periem, quæ famem, quæ ſitim pertulit (*non habuit enim vbi reclinaret caput ſuum, eſuriit in deſerto, & ſitiuit ad puteum Iacob*) quæ verbera, quæ ſpinas, quæ alapas ſuſtinuit; quæ denique crucem, & in cruce clauos ac lanceam tulit; *in corporibus noſtris* (ait Paulus) non in ſola animi præparatione (quod eſt omnibus Chriſtianis commune) non in nuda gratiarum actione (vt ſomniant delicati hæretici) ſed *in ipſis* (inquit Paulus) *corporibus noſtris*, in liuore, macie, pœna, acerbitate corporea, manifeſtetur; & illuſtris atque conſpicua appareat; quod eſt eorum, qui verè crucem ſuam portant poſt Chriſtum. Videamus ergo an hanc crucis partem S. Amatus verè tulerit, vt ſic viam rectam tenuiſſe, viam Chriſti ſequutus fuiſſe, oſtendatur. Scribitur in vita eius tum per Surium edita, tum in Archiuis Eccleſiæ noſtræ. *Fecerat ſibi adhuc viuens ferream catenam ſane immanem, eaque corpus ſuum conſtrinxerat*. Habuit etiam hæc catena nodum ingentem, qui propriè renibus incumbebat. Hanc ob cauſam, cum huiuſmodi nodo ferreo, pingi vel ſculpi eum hodie paſſim videmus. O veram, o ingentem, o fortem & ſtrennuam pro Chriſti amore, pro caſtitatis ſtudio, pro pietatis incremento, S. Pontificis Amati in corpore mortificationem. Non contentus cilicio, non ſatiatus ieiunijs, non ſatis attennatus vigilijs, non ex qualibet ſeta confectis chordis aut funiculis, ſed catena eaque ferrea, ingenti, nodoſa, corpus

Matth. 4.
Ioan. 4.
Catena ferrea S. Amati.

 circun-

circundare, conſtringere, mortificare voluit. Magna Ioannis Baptiſtæ laus, quod *zona pelliſcea indutus ſit circa lumbos ſuos*. Magna virtus D. Hieronymi, *qui duro lapide nudum pectus percutere ſolitus fuerit*. Magna fortitudo Franciſci, qui vt caſtitatem conſeruaret, *tempore hyemali in foueam glacie plenam, ſeipſum immergebat*. Maior D. Benedicti, *qui in vepres & ſpinas, nudus inſiliit*, totumque corpus lacerauit; ſed maxima S. Amati laus, virtus, fortitudo, qui non momentanea aliqua, ſed aſſidua, nec mollioris materię, ſed ferrea catena, ſe conſtrinxerit. Quam exactè illud Chriſti ſeruauit. *Sint lumbi veſtri præcincti?* Et illud Pauli tenuit, *ſtate ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ*. Quam verè illud Dauidis vſurpare potuit, *oſſa mea ſicut cremium aruerunt?* Item illud Iob, *Cutis mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præ caumate?* ac poſtremo illud, *Propter verba labiorum tuorũ, ego cuſtodiui vias duras?* Nempe vt quod ſequitur fieret. *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea*. Hæc videlicet eſt via recta iuſtorum, hæc ſemita neceſſaria fidelium, iuxta illud Pauli, *Oportet nos per multas tribulationes intrare in Regnum Dei*. Et rurſum. *Nemo moueatur in tribulationibus iſtis. Ipſi enim ſcitis quia in hoc poſiti ſumus*. Ac denique illud Chriſti ipſius. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, Ipſorum enim eſt Regnum cælorum*. Ipſorum eſt, non perſequentium. Afflictorum, non affligentium; patientiũ, non abun-

Matth. 3.
In epiſt. ad Euſtochiũ.
In vita vtriuſque.
Luc. 12.
Epheſ. 6.
Pſal. 101.
Iob. 30.
Pſal. 16.
Act. 14.
1. Theſſ. 3.
Matth. 5.

abundantium; Denique cum varia aduerſitate in hoc mundo conflictantium, non perpetua rerum abundantia ac pace affluentium.

Sed quid? dicat aliquis. Hæne illæ viæ ſunt *pulchræ & pacificæ, lucidæ & perſpicuæ, planæ & perfaciles*, Denique *iucundæ & delectabiles*, quas iuſtorũ proprias initio ſermonis dixiſti? Planè tales ſunt, ſed ſpiritui non carni; ſed animo non corpori; ſed interiori homini non exteriori; Denique nouo homini non veteri. Per has enim vias, carni, corpori, & exteriori homini, aſperas, difficiles, iniucundas, animus iuſti manet rectus, hilaris, & perpetua veraque voluptate perfuſus, propter ingentem quo flagrat Dei amorẽ, & Chriſti Redemptoris charitatem, vnde Paulus. *In his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos*, & rurſum. *Charitas Chriſti vrget nos, æſtimantes hoc quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*. Hoc videlicet ſenſu, dixit idem Apoſtolus. *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur. Aporiamur ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur ſed nõ derelinquimur, deijcimur ſed non perimus, humiliamur ſed non confundimur*. Vides quaſi in vno ſubiecto contraria, ſed non reſpectu eiuſdẽ. Quod etiam alijs verbis paulo poſt, pulcherrimè proſequitur. *In omnibus exhibeamus nos ipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs*. Hæc ſunt mala corporis, ſed vide nunc adiuncta animi

Viæ iuſtorũ duræ & faciles.

Rom. 8.
2. Cor. 5.
2. Cor. 4.
2. Cor. 6.
2. Cor. 6.

bona. *In caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.* Deniq; ſtatim vtrumq; pulcherrima contentione connectit. *Per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiā & bonam famam: vt ſeductores & veraces: ſicut qui ignoti & cogniti, vt caſtigati & non mortificati: quaſi triſtes ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes.* Hæc eſt via recta iuſtorum, intus pulchra, foris horrida; intus lucida, foris tenebroſa, intus facilis & iucunda, foris amara atque difficilis; Denique vt ait D. Bernardus, *foris cruces, intus vnguenta.* Hanc viam S. Pontifex Amatus, in ſollicitudine Paſtorali, in diuturno exilio, in perpetua corporis mortificatione, fæliciter ac fortiter calcauit.

Venio nunc ad ſecundam orationis noſtræ partem, in qua exponendum mihi eſt, quid ſit quod de quolibet iuſto ſcriptura dicit, & quomodo in noſtro hoc iuſto, locum habet. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas.* Illud ſanè paucis verbis expediam, ne à tertia parte breuitate temporis, excludar. Planè per vias quas iam diximus, non ipſe ſe, ſed eum Dominus, qui ſuauiter diſponit omnia, ſuauiſſime deduxit. In exilium mittitur, ſed maximo ſuo bono. Alienæ cuſtodiæ mancipatur, ſed vbi maximas inuenit conſolationes. Laboribus varijs perfunctus eſt, ſed ad maximam & ſempiternam

piternam nominis ſui gloriam. Iacob domo paterna per 20. annos in Meſopotamia exulat, ſatiſque duram ſeruitutem ſeruijt; ſed qui *in baculo ſuo tranſiuit Iordanem, rediit cum tribus turmis*. Ioſeph in Ægyptum venditur, venditus in ſeruitutem datur; ſeruiens incarceratur, ſed fit Dominus totius Ægypti, & omnem ſuam cognationem à fame liberat. Moyſes *occiſo Aegyptio, fugit in terram Madian*, & paſcit oues ſoceri ſui; ſed reuertitur poſtea, Dux populi futurus & Deus Pharaonis. Et vt ad noſtra veniamus, *Lazarus infirmatur & moritur*, ſed ad maiorem Dei gloriam, reſuſcitatur. Chryſoſtomus bis exulat, ſed in primo exilio, innumerabiles per Armeniam ad Chriſti fidem conuertit, in ſecundo, Baſilico Martyri in gloriam coniungitur. Hilarius Pictauienſis Epiſcopus, iubente Conſtantio exulat in Phrygia; ſed & illic doctiſſimos de Trinitate libros per otium conſcripſit, & poſtea reuerſum tota Gallia incredibili applauſu, complexa eſt. Ita iuſtos deducit Dominus per vias rectas, & quod Paulus ait, *Iuſtis omnia cooperantur in bonum.* Sanè eodem modo S. Amatus per exilij occaſionem, primum Vltano Abbati viro ſanctiſſimo in cuſtodiam datus, ſanctitatis ſtudium mirificè auxit, *non minus verbis gratiæ* (vt in vita eius ſcribitur) *quàm alimoniæ ſubſidijs à B. Vltano confirmatus*. Erat autem hic Vltanus S. Furſei frater, *& ex monaſtica probatione, ad eremiticæ vitæ perfectionem peruenerat*, vt ſcribit Beda. Cui in

Gen. 36. Gen. 40. Exod. 2. Ioan 11. Rom. 8. Hiſtor. Anglic. lib. 3. cap. 19.

extrema etate & eremitica perfectione coniunctus S. Amatus, non dubium quin mirabiles in pietate progreſſus, cum tali vitę ſocio, fecerit. Deinde in S. Mauronti manus traditus, viri non minus pietate quam ſanguine clari, & à S. Amando, ad ſinceriorem Dei cultum iam antea conuerſi, primum cum eodem in *Cœnobio Hamatico* prope Marcennas, vitam ſanctiſſimè geſſit, & cum S. Rictrude eiuſque filia Euſebia, tanquam alter Hieronymus cum Paula & Euſtochio in rure Bethleemitico Diuino cultui totus vacauit; poſtea verò tanta apud ſuum cuſtodem Maurontum authoritate & gratia valuit, tantam ſanctitatis opinionem apud illum nobiliſſimum virum conſecutus eſt, vt non ſolum Monaſterio ſuo Broilo in territorio Letiæ, nuper ab eo à fundamentis extructo, fratribuſque illic Deo ſeruientibus, Præfectum eum conſtituerit, ſed præterea, *vniuerſum patrimonium ſuum longè ampliſſimum, per publica chartarum inſtrumenta eidem conſignauerit, & viro Apoſtolico ſeipſum & quicquid in ſeculo habuit, ad pedes depoſuerit.* O quanta virtutis vis, quanta ſanctitatis veræque pietatis, energia? Si Leo ferociſſimum Re-

Codex M. S. Amatēſis

Sanctorum in hac vita virtus.

1. gem Attilam, toti Italiæ vaſtitatem inferentem, vultu perterrefecit, oratione fregit.
2. Gulihelmum Aquitaniæ Ducem totius Galliæ pacem infeſtiſſimè perturbantem, ſolus S. Bernardus ſua authoritate compeſcere, &
3. ad officium reuocare potuit. S. Ambroſius,

maximum

maximum tyrannum ne Italiam inuaderet ſanctitatis ſuæ reuerentia, deterruit. Gainam 4.
Gothum & Arianum, ab Imperatore Arcadio Eccleſias petentem, ſua præſentia vt à poſtulato deſiſteret, fecit Chryſoſtomus. Eocha- 5.
rich Alemanorum Rex ferociſſimus Gallias vaſtaturus, in ipſo ingreſſu à S. Germano Antiſiodorenſi Epiſcopo vultu & oratione, repreſſus eſt. S. Malachias in Hibernia Epiſco- 6.
pus, competitorem ſuum cum armata multitudine ad eum eiiciendum, accedentem, ſola præſentia & verborum conſtantia, retrocedere coegit. S. Nortbertus Archiepiſcopus Mag- 7.
deburgenſis, ciuium ſuorum inſolentiſſimam rabiem, ſola ſua præſentia, compeſcuit. Sola 8.
fama aduenientis S. Nicolai Myrenſiũ Epiſcopi, maximum tumultum & ciuilem ſeditionem in oppido quodam Lyciæ, compeſcuit. Plenæ ſunt his exemplis hiſtoriæ ſacræ, adeoque in ipſo fœmineo ſexu, vt patet legenti vitas S. Mariæ Oegniacenſis, S. Coletæ Virginis, S. Catharinæ Senenſis, & S. Hedwigæ Duciſſæ Poloniæ. Certè Rainerius Marchio homo ferociſſimus, dicere ſolebat. *Non Imperator, non aliquis mortalium, tantum mihi metum incutere poteſt, quantum me Romvvaldi Abbatis, terret aſpectus. Ante eius quippe vultum, neque quid dicam ſcio, neque quibus me defendere valeã, inuenio.* Quòd ſi verò ſic impios deterret iuſtorum pietas, vt ab impietate eos vel conuertat, vel certè reuocet ac retrahat; quantò magis apud pios

In vita S. Rómvvaldi tom. 3. Surij.

& timen-

& timentes Deum illa valebit, vt mirabiles ſui amores excitat, vt animos eorum ſibi totos conciliet, & arctiſſima neceſſitudine coniungat? Denique vt ad pietatis incrementum prouocet, ac perfectionem trahat? Dubitari non poteſt quin S. Maurontus patrimonium ſuum Marchanienſi Monaſterio vbi matrem & ſororem habuit, vbi illæ facultates ſuas omnes Diuino cultui conſecrauerunt, libenterquoque impendiſſet, & maternæ pietati manus adiutrices porrexiſſet; ſed tanta apud illum S. Amati authoritas & gratia fuit, tanta virtutis eius vis & magnitudo; tanta pietatis eius præſtantia & excellentia, tanta denique ſanctitatis eius Apoſtolicæ reuerentia, vt ſe ſuaque non niſi illi fratribuſque eius mancipauerit, vt perpetuum fratrum Deo ſeruientium eius nomini collegium erexerit, ac fundis ampliſſimis dotauerit. Sic S. Amatum *deduxit Dominus per vias rectas*, vt pauperem exulem, cuſtodis ſui patronum fecerit, eiuſque ſanctæ memoriæ iam à mille ferè annis, inſigne hoc ſacerdotum collegiũ integrum conſeruauerit. Quod adhuc in tertia ac poſtrema orationis noſtræ parte, magis eluceſcet.

Monaſterium Marchemenſe à S. Rictrude matre S. Mauronti fundatũ.

Addit Scriptura. *Et oſtendit illi Regnum Dei.* His verbis Scriptura Iuſtitiæ mercedem iuſto repoſitam, exprimit. Eſt autem merces hæc, gloria, honor, corona. De gloria dicit Dauid. *Miſericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* Miſericordiæ reſpondet

Pſal. 83.

gratia,

gratia, quia *cui vult miſeretur*; veritati reſpon- Rom. 9.
det gloria, quia *iuſtus & verax eſt Dominus, vt non obliviſcatur operis veſtri*, ait Hebræis Paulus. Hebr.
Ideo ſequitur apud Dauidem. *Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* De honore dicit Apoſtolus. *Gloria & honor & pax, omni operanti* Rom. 2.
bonum. De corona etiam dicit, *bonum certamen certaui, &c. Repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ.* Hanc 2. Timo. 4.
gloriam, hunc honorem, hanc coronam, *Regnum Dei* Scriptura vocat, quia videlicet, eius Regni pars eſt, & ad illud pertinet. Simili ex cauſa, ipſa gratia quæ non niſi via & medium eſt ad regnum Dei conſequendum, vocatur Regnum Dei, dicente Apoſtolo, *Regnum Dei* Luc. 17.
intra vos eſt, id eſt, gratia diuini Spiritus, quo alimento ad Regnum Dei peruenire poteritis. Videamus nunc ergo quæ ſit hæc gloria, quis honor, quæ corona, quam huic Iuſto ſuo Dominus oſtendit. Et quidem immarceſſibilis illa gloria in altera vitæ ſanctis collata, orationis noſtræ & notitiæ limites, excedit. Neque enim, *vel oculus vidit, vel auris audiuit, vel in* 1. Cor. 2.
cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Sed & in hac mortali vita, in hac militante Iuſtorum Eccleſia, ad ipſorum commilitonum & imitationem excitandam, & conſolationem augendam, iuſtos ſuos Deus glorificat. Vnde illa vox Iuſti in Pſalmis. *Apud te laus mea in Eccleſia magna*, id eſt, Pſal. 21.
Catholica, ait Auguſtinus.

De qua ibidē dicitur. *In medio Eccleſiæ laudabo te*, quod

te, quod de Iuſtis in hac vita canit Eccleſiá. Sicut ergo Iuſti in medio Eccleſiæ laudant Deum, ſic & viciſſim, Deus in Eccleſia magnâ laudat iuſtos, glorificat & celebrat illos varijs & illuſtribus miraculis, vel adhuc viuentes hanc vitam, vel certè ea defunctos, & ad meliorem tranſlatos. In vtraque autem vita ſic S. Amatum glorificauit Deus, *& oſtendit illi Regnum ſuum*; id eſt, partem gloriæ regni ſui; ad quam plenius capeſſendam, eum poſtea euocaret.

Illuſtre eſt & à varijs ſcriptoribus celebratum, in vita eius in noſtris Archiuis vetuſtiſſimis aſſeruata, in vita eius apud Surium 13. Septembris Die natalis eius (nos enim nunc Tranſlationem ſeu eleuationē eius celebramus) in vitis rebuſque geſtis Epiſcoporum Cameracenſium & Atrebatenſium, quæ in Archiuis Eccleſię Atrebatenſis hodieq; aſſeruātur, de S. Amati adhuc viuentis ſanctitate; miraculum ſeu teſtimonium diuinum. Quo tempore è monaſterio Peronenſi S. Amatum Maurontus abduxit, vt ſuæ eum cuſtodiæ manciparet, & per Cameracum (vt ad pagum Auſtrenandenſem iret) Vindiciano Epiſcopo Cameraci tunc ſedente tranſiens, vbi ad diuerſorium ventum eſt, cæteris alio abeuntibus; ſolus S. Amatus ad Eccleſiam S. Mariæ hoſpitio proximam, tendit; vbi Deum oraturus, dum cappam ſuperiorem manicaſque exuere vellet (fatigatus enim itinere materiale onus

Sanctitatis S. Amati teſtimoniū miraculoſū

le onus

le onus depoſuit, vt ſpirituale leuius fieret) intrantique in locum obſcurioré, lumen oculorum ſolis ſplendore perculſum (vt fieri ſolet) obtunderetur, eaſdem manicas & cappam minus clarè quid ageret perſpiciens, radijs ſolaribus per rimas quaſdam intrantibus, quaſi perticæ parieti adiunctæ ignoranter impoſuit; qui etiam radij illas ſuſtinebant, non ſecus ac ſi firma ſuſtentacula fuiſſent. Hoc miraculum ſubſecutus paulo poſt Maurontus, de ſuo captiuo quid ageret ſollicitus, quum vidiſſet, quanta eſſet viri ſanctitas, & quam Deo chara, facilè cognouit. Quare omni cum honore ſuſceptum, non vt captiuum iam aut exulem, ſed vt Patrem ac patronum deinceps eum tota vita veneratus eſt, ſicut in ſuperioribus iam diximus: Nec in vita tantum; ſed & poſt mortem, maximo ſemper eum honore proſecutus eſt. Non contentus enim in ipſa Eccleſia D. Petri oppido ſuo Meruillæ propria honorificè eum tumulaſſe, aliam propinquam Eccleſiam (quæ & adhuc hodie, etſi ſemidiruta extat) in honorem S. Amati exædificauit, in qua eum multo magnificentius depoſuit. In qua quidem prima huius Sancti eleuatione & tranſlatione, magnam illius gloriam præſente S. Mauronto, Deus manifeſtauit quia (vt noſtra archina habent) multi tunc cæci viſum, ſurdi auditum, contracti greſſum, recipiebant. Quum autem anno Domini 870. id eſt, 180. annis poſt tranſitum S. Amati propter

S. Amati prima tranſlatio.

propter Danorum perſecutiones & irruptiones. (De quibus hoc tempore Ado, Sigibertus, alijque chronici, multa referunt) fratres de S. Amato (ſic enim priſco more Canonici olim vocabantur) Duacum Meruilla venirēt, corpus B. Amati patroni ſui huc ſecum deferentes, & in ſui iuris Eccleſia B. Mariæ in fundo S. Mauronti prope caſtrum poſuiſſent (eſt autem illius Eccleſiæ pars vetuſtiſſimum illud B. Mariæ ſacellum, hodie rubeum dictū in orientali parte hujus Eccleſiæ ſitum) quarto anno poſt, dicta perſecutione ceſſante, per Ioannem bellum Cameracenſem Epiſcopum, conſenſu, & authoritate Caroli Calui Francorum Regis, & Arnulphi Comitis Flandriæ, corpus S. Amati in feretro honorifico in dicta Eccleſia repoſitum fuit; ipſique fratres S. Amati, cum omnibus ſuis antiquis priuilegijs, fixam hic Duaci ſedem poſuerunt. Atqui creſcente magis ac magis S. Amati honore, ac reuerentia, partim propter cultum Diuinum exactiſſimè ſemper in hoc ſuo collegio celebratum, partim etiam propter varias & innumeras opitulationes ad eius corpus factas, (quod etiam aſſidua in hunc vſque diem peregrinorum huc quotidie ferè aduentantium copia, etiam adhuc loquitur) Ducentis annis poſt, Anno 1078. ſub Gregorio 7. Romano Pontifice, Philippo Francorū Rege, & Rob. Comite Flandriæ, per Gerardum Cameracenſem Epiſcopum, expenſis VValteri Caſtellani corpus

S. Amati ſecunda tranſlatio, cum toto collegio.

S Amati tertio trāſlatio ſolennis.

corpus B. Amati in nouo feretro (quale nunc habet) multò quàm antea magnificentiori, nempe interius quidem ligneo vt à principio, ſed alio exterius plumbeo, & tertio deſuper marmoreo repoſitum, & ſubtus altare maius transpoſitum fuit XIIII. Calendas Nouembris, id eſt hodie. Tranſlationem enim eius nunc celebramus, non diem natalem.

Sed & centum viginti annis poſt, Anno Domini 1206. eodem die menſis Octobris, alia & maximè ſolemnis huius Sancti eleuatio, ac tranſlatio facta eſt. Quum enim eo primum tempore aucta hæc eſſet Eccleſiā, & in eam quam nunc habet formam ac magnitudinem extructa, ideoque Feretrum D. Amati loco admodum demiſſo & obſcuro iaceret, facta eſt quarta & poſtrema eiuſdem S. corporis, in eum quo nunc eſt locum eleuatio & tranſlatio celeberrima. Radulphus enim Atrebatenſis Epiſcopus, præſentibus & aſſiſtentibus Gerardo Cathalaunienſi, & Goſuino Tornacenſi Epiſcopis, item varijs Abbatibus, Nicolao Marcheanenſi, Aquicuitenſi, Haſnouienſi, de Ciſion, de Hennin, S. Amandi, cum magna parte conuentus & capitulorum dictarum Eccleſiarum, triduario ieiunio præmiſſo, quum prius de pulpitio ſeu ſuperiori loco, extra villam Atrebatum verſus facto, ſanctum corpus populo confluenti, oſtenderetur (neque enim vel Eccleſia, vel artium eius capere multitudinem poterat) corpus

S Amati quarta & vltima trāſlatio maximè ſolennis.

ipſum (retento ſeorſim capite ſicut & nunc habetur) eodem prius feretro denuo reconditum, in ſacellum quod nunc *corporum Sanctorum* vocatur, locum eleuatum & ſublimem tranſtulit. Quam tranſlationem, eodem quo ſuperior fuit die factam perpetuis temporibus fratres S. Amati religioſè & maxima ſolemnitate, concelebrant. Sic *Iuſtum ſuum deduxit Dominus per vias rectas, ſic oſtendit illi Regnum Dei, ſic in Eccleſia magna laudauit & honorificauit ſanctum ſuum.*

Quid nunc ſupereſt fratres chariſſimi & Auditores Chriſtiani, niſi vt nos quoque cum S. Amato patre ac patrono noſtro beatiſſimo, vias rectas ambulemus? vias lucidas, non tenebroſas; pulchras non deformes; faciles & iucundas non difficiles & amaras; id eſt, vias virtutis non iniquitatis? Præluxit nobis S. Amatus, & crucem ſuam fortiſſimè ferendo, Chriſtum Saluatorem noſtrum, non procul ſed prope, ſequutus eſt. Clamat ad nos. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Exilium ego, iacturam bonorum ac honoris, pro Iuſtitia pertuli; vigilijs ac ieiunijs ego vacaui; Orationi ac meditationi in mea cellula plurimum temporis impendi; corpus meum caſtigaui, & catena ferrea conſtrinxi: Denique ad futuram vitam ſemper anhelaui, præſentem contempſi: Vos quæſo nolite committere, vt quem verbo patrem ac patronum vocatis, factis negetis.

S. Amati ad ſuos adhortatio.

Si arcta illa & anguſta via quã vobis præmonſtraui, vires veſtras ſuperare videtur; at ſaltem dum in Eccleſia mea Diuino cultui quotidie vacatis, piè ac religioſè id officium explete: Deum in corpore veſtro honorificate; & veſtimenta veſtra non coinquinate; à crapula & ebrietate ſacerdotibus indigna, abſtinete; auaritiam clericorum peſtẽ, fugite; mutuam charitatem (fratres enim eſtis) ſuper omnia retinete; ſuperbiam & animoſitates, hæreticis & gentibus quæ Chriſti gratiam ignorãt, relinquite; ſic pro filijs imò pro fratribus meis, vos agnoſcam. Sic patronus veſter & apud Deum interceſſor, fuero. Sic deducet vos quoque Dominus ſicut me deduxit, & oſtendet vobis Regnum ſuum: in hac vita gratiam, in futuro gloriam. Quod nobis omnibus & ſingulis concedat, qui eſt benedictus in ſecula.

DE HÆRESIS IN GENERE GRAVITATE, ET HORVM TEMPORVM hæreſeon multiplici enormitate,

Oratio præliminaris in Controuerſiarum auſpicatione ad Auditores habita, Duaci Ian. 9. an. 1574.

FVit ſemper in Eccleſia Dei (Auditores) doctrina fidei maximè neceſſaria: nec vlla magis aut vtilis diſciplina, aut laudabilis induſtria, aut illuſtris ingenij & ſtudiorum exercitatio ha-

bita eſt, quàm quæ in fidei veritate, integritate, & maieſtate explicanda, aſſerenda, & illuſtranda, verſata eſt. Optimè illi de Eccleſia meriti ſemper viſi ſunt; ſummam illi laudem perpetuò conſecuti ſunt; proximè illi ad Apoſtolicam, imò ad Chriſti Saluatoris functionem accedere ſemper exiſtimati ſunt; qui in fide Chriſtiana, Catholica, Orthodoxa, ita labores ſuos ac ſtudia collocarunt, vt vel eam docendo traderent, & explicarent; vel difficiliora indagando aperirent, vel denique oratione & viuæ vocis miniſterio, illuſtrarent. Quum enim varia ſint fidei & veritatis illius æternæ, vel ſimpliciter priuatim docendæ, vel accuratius in ſcholis inueſtigendæ, vel acriùs de ſuperiori loco exornandæ, munera atque officia; in ſingulis profectò ingens eſt vtilitatis fructus & laudis cumulus. Etenim hi omnes illud Saluatoris propriũ quaſi atque præcipuũ munus exercēt, de quo ipſe dixit. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc in mundũ veni, vt teſtimoniũ perhibeam veritati.* Quod quidem ab eo quàm diligentiſſimè factum fuiſſe, & ipſe ad Iudęos commemorat, dicens; *Ego ſemper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt:* & Euangeliſta refert, narrans, *quòd circuibat Ieſus omnes ciuitates & caſtella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni:* Hoc denique pręcipuum illud munus eſt, quod eius in terris vicem ac locũ gerentibus, mandauit, dicens. *Euntes docete omnes gentes; docentes eos ſeruare omnia*

Studij theologici partes.

Doctrinæ theologicæ excellentia.

Ioan. 19.

Ioan. 18.

Matth. 9.

Matth. 28.

niſ quæcunque mandaui vobis Neque verò minus fuit hoc munus vtile, quàm eſt illuſtre. Admonens enim Apoſtolus Timotheum ſuum, *vt attenderet ſibi atque doctrinæ*; addit: *Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Quo quidem vno, quis fructus vberior cogitari aut expectari poteſt? 1. Timo. 4.

At enim, quum in omni hac doctrina Sacra, quam Theologiam dicimus, ſit ſemper iſtud veriſſimum; vt nobilitate operis, & amplitudine fructus, nulli aut arti, aut ſcientiæ, aut labori cedat, omnes ſuperet; tùm verò in ea Sacræ doctrinæ parte, quæ circa hæreſes profligandas, & fidem Orthodoxam aſſerendã, verſatur, vel maximè ac potiſſimùm iſtud locum habet. Etenim quum veritas tam res diuina ſit, vt Saluator ipſe ſe veritatem eſſe pronunciauerit, dicens; *Ego ſum via, veritas, & vita*: veritatem autem non omnem aut quamlibet, vt nec viam quamuis aut vitam qualemcunque; ſed viam, veritatem, ac vitam illam intellexerit, quæ ad Deum ducit, quæ Deus eſt; conficitur ſanè, hæreſis profligationẽ & Orthodoxæ aſſertionem, rem eſſe maximè diuinam; vtpote quæ veritatem docet, falſitatem repellit; illam quæ Deo & rebus diuinis aduerſatur. Rurſus, quum fidei integritas tam ſit vtilis & neceſſaria, vt ſine ea, *impoſſibile ſit placere Deo*; idéoque fundamentum & baſis ab Apoſtolo vocetur earum rerũ omnium, quæ ſperamus & expectamus; tam euidens eſt, vt

Hæc ſum potiſſima S. theolog. pars.

Ioan. 14.

Hebr. 11.

dici non ſit opus, de integritate fidei & Orthodoxa, doctrinam longè eſſe vtiliſſimam.

Fidei maior quàm morũ cura in Eccleſia. Huc accedit, quòd in Sacra de moribus & vitæ præceptis doctrina, multa etiam prudenter & laudabiliter, non ſolum neceſſariò, tolerantur & diſſimulantur interdum ab Eccleſia. *Nam ad ſanam doctrinam pertinet*, ait Auguſtinus, *vt canes in Eccleſia propter pacem Eccleſiæ, tolerentur.* Et rurſum alibi. *Aliud*, inquit, *eſt quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur.* At verò, in fidei doctrina, nihil vnquam tolerandum, nihil diſſimulandum, iudicauit Eccleſia; nihil vel minimum admittendũ, quo eius illa integritas, puritas, & perfectiſſima vnitas, vlla ex parte violaretur: memor profectò grauiſſimi & Apoſtolici illius verbi. *O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ.* Et rurſum. *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiuiſti in fide.* Quo ſanè factum eſt (quemadmodum ſcribit Baſilius) *vt qui ſunt in ſacris literis educati, ne vnam quidem ſyllabam diuinorum dogmatum prodi ſinant; ſed pro illorum defenſione, ſi opus ſit, nullum non mortis genus amplecti parati ſint.* Idcirco etiam (vt meminit contra Ruffinum Sanctus Hieronymus) *etiam propter vnum verbum aut duo quæ contraria fidei ſunt, multæ hæreſes abiectæ ſunt ab Eccleſia.* Imò, *nihil periculoſius his hæreticis eſſe*, ſcripſit Gregorius Nazanzenus, *qui quum integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo ac ſi veneni gutta, vnam illam ac ſimplis*

[Margin notes: De fide & oper. cap. 5 — cõtra Fauſtum lib. 20 cap. 21. — 1. Timo. 6. — 2. Timo. 1. — Theodo. hiſt Eccleſ. lib. 4. c. 17. — Apolog. 3. — In tract. de fide.]

ſimplicem fidem dominicæ & exinde Apoſtolicę Traditionis, inficiunt. Tanta videlicet debet eſſe in fidei integritate Religio, vt ne verbo quidem eam violare, fas ſit. Nam quum in cæteris diſciplinis, *liberis verbis loquantur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis, offenſionem aliquam religioſorum aurium pertimeſcant; nobis tamen ad certam regulam loqui fas eſt; ne verborum licentia etiam de rebus quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.* Hæc Auguſtinus. Itaque quum in morum quidem & vitæ agendæ ratione, etiam enormia crimina interdum tolerentur, exiguę certè peccatorum labes & maculæ, nunquam deſiderentur (*ſi enim dixerimus quia peccatum non habemus*, dixit vir ipſe ſanctiſſimus) *nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*) longè aliter in fidei ratione, ne verbo quidem ab eius Regula aberrare fas eſt: ſed & leuiſſimus quiſque error ſollicitè exploditur. Sic ſanè in Euangelio, *ſinuntur Zizania creſcere vſque ad meſſem* in agro dominico, & rete Apoſtolicum *ex omni genere piſcium trahit*, quin de ipſam vnitatis Cathedram occupantibus, dicitur. *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* Contra verò, de hæreſi & fidei inuiolatæ integrite; *Auferte malum* (ait Apoſtolus) *ex vobiſmetipſis*: &, *vtinam abſcindantur qui vos conturbant*: denique *hæreticum hominem poſt vnam aut alteram correptionem deuitari*, pręcipit. Ioannes autem Apoſtolus, *ne Aue quidem ei dicendum* monet. *Quicunque enim* (ait) *ei Aue dicit, communicat operibus eius*

De Ciuit. Dei lib. 10. cap. 23.

1. Ioan. 1.

Matth. 13.

Matth 23.

1 Cor. 5.

Gal. 5.

Tit. 3.

Epiſt. 2.

malignis. Adeò latum magnumque diſcrimen eſt in morum vitio, & fidei corruptela; vt quum vtrumque perniciem adferat, & animam perdat; alterum tamen etiam in Eccleſię columnis toleretur; nec in minimo quopiam feratur alterum: patiatur Apoſtolus *prædicari*
Philip. 4. *Chriſtum ſiue per occaſionem, ſiue ex voluntate*; pro-
Ioan 10. hibeat Chriſtus, *alienorum vocem* vel *audire* tantùm; imò iubeat, diligenter *attendere à falſis*
Matth. 7. *Prophetis*: clametque, *nolite credere, nolite exire.* Quæ quidem omnia demonſtrant, deteſtandum quoddam & pernicioſum imprimis malum hæreſim eſſe, fidei verò illibatam quandam & verè ſacroſanctam eſſe oportere integritatem & puritatem: quam quidem vel ex minima parte violare, ſummum ſit nefas, enorme penitus flagitium, execrandum ſacrilegium.

Iam verò, ſi ſemper iſta vera ſunt, & ſemper extremum quoddam malum hæreſis eſt; quid de hac infælicissima ætate noſtra cogitandum vobis, dicendum mihi eſt; in qua non verbo vno aut altero, fidei integritas violatur, non aliqua fidei pars, eáue in rebus aut minus neceſſarijs, aut illuſtribus, vellicatur; (quod tamen ipſum nullo modo ferendum erat, ſed totis etiam Chriſtianis pectoribus, deteſtandum & anathematizandum) verum incredibili quadam, & plus quam proiecta ſceleratiſſimorum hominum audacia, totis mendaciorum & putidiſſimarum hæreſum rapſodijs, ſides

fides penè vniuerſa peſſundatur; vndique & ex omni parte audaciſſimè impugnatur; in rebus plane ſummis & diuiniſſimis ſingulari impietate euertitur? vt non tam hæreſis, quã Apoſtoſia quædam, aut Atheiſmus potiùs, eorum animos occupaſſe videatur, qui hodie fidei integritatem violare ſunt auſi.

Sed ne impetu magis quam ordine feratur Oratio, quum hodiernus is dies (auditores, quod quidem vobis omnibus, mihi, huic Scholæ noſtræ, huic celeberrimæ Academiæ, fauſtum fęlixque ſit) ad Controuerſiarũ huius temporis Profeſſionem me vocat; & de modernis hæreſibus diſſerendi atque docendi prouinciam, auſpicari iubet; operępræciũ me facturum putaui, ſi ante certamen ipſum, & tantæ diſputationis ingreſſum, de huius Inſtituti noſtri ratione, de huiuſce profeſſionis noſtræ vtilitate, dignitate, atque in hoc etiam rerum motu neceſſitate, pauca hodie prælibarem. Illud verò, aptiùs aut efficacius me facere non poſſe exiſtimaui, quàm ſi primo quidem loco, de ipſo hæreſis malo in genere pauca dixero; deinde verò de horum temporum hæreſibus copioſiùs diſcernero. Docebũt enim illa duo, quàm ſit labor vtilis, quàm opera illuſtris, quàm neceſſarium ſtudium, Controuerſias horum temporũ nos quidem publicè profiteri, vos autem ſedulò & attentè excipere. Hoc igitur dum facio, diligenter quæſo quod facitis, attendite.

Quàm tetrum ſit, pernicioſum & enorme malum, hæreſis, multis quidem argumentis oſtendi poteſt; ſed vt id quod (vt ego quidem cenſeo) præcipuum in hoc genere eſt, breuiter perſtringam, videtur certè omnis hæreſis, omne in ſe malum complecti, & completa quędam eſſe malitia, vel potius, malorũ quoddam compendiũ. Quum enim duæ ſint pręcipuæ virtutes, Deoque gratiſſimæ, adeoque cæterarum omnium virtutum radices & fundamenta, fides & charitas; ſic vtrique aduerſatur hæreſis, vt fidem penitus tollat; malitia autem & maleuolentia perpetuò flagret. Eſt enim hæreſis, ſi rectè rem perpendas, quædam infidelitas, & vera totius fidei, abnegatio. Eſt prætereà ſemper cum ſuperbia, inuidia, odio, contemptu, & incredibili quadam philantia, coniuncta. Ex his igitur duobus, hæreſis enormitatem expendemus.

Hæreſis quidem eſt atheiſmus.

Ac primùm ſanè hæreſem omnem infidelitatem quandam eſſe, adeóque Atheiſmum, non difficulter oſtendi poteſt. Nempe ſic ἄθεον & abſque Deo eſſe, vt Deum penitus non agnoſcas, tam rarum eſt & inauditum ſcelus, vt qui eò amentiæ prolapſi fuerint, tanquam monſtra & portenta hominum, habiti ſint: paucisſimiq; inuenti fuerint, Diagoras neſcio quis, Hippias, Nicanor, & vnus aut alter alius, quos propter portentoſam raritatem, nominatim nobis hiſtoriæ prodiderunt, & inter noſtros, Clemens in Stromatibus. Alioqui

ſanè ſemper ab orbe condito, Deum in Theſi omnes gentes coluerunt: Alij certis & præſcriptis ritibus; ſiue cruentis & rudioribus, vt apud Scythas & incultas alias gentes; ſiue mollioribus & magis politicis, vt Græci ex Philoſophorum placitis, Romani ex Sybillinis libris & Numæ Legibus, Galli ex Druidũ inſtitutis, Ægyptij ex Sacerdotum ſuorum doctrina, Perſæ ex Magorum præceptis, Indi ex Brahmanorum & Gymnoſophiſtarũ decretis. Alij denique etſi promiſcuo cultu, coluerunt tamen, & Barbari vocantur. *Nulla enim tam fera, tam immanis, vnquam natio fuit* (ait Tullius) *quàm non imbuerit religio deorum.* Ideóque vniuerſum hominum genus in quatuor quaſi ſectas (quod ad Dei cultum attinet) diſtribuit Epiphanius, & poſt eum Damaſcenus: in Barbariſmum, quo illi laborabant qui promiſcuè Deum vel Deos colebant, *feceruntque* (quod Iſraëlitis diſertè in Deuteronomio prohibetur) *ſinguli quod ſibi rectum videbatur*, in Scythiſmum, qui cruenta & crudelia habuit ſacrificia; in Græciſmum, qui plures Deos colebant; & in Iudaiſmum, qui ſolus erat ante Chriſti aduentum verus Dei cultus. Adueniente autem Chriſto, *iam non eſt amplius* (vt Paulus ſcripſit) *Gentilis & Iudæus, Barbarus & Scytha, ſed omnia in omnibus Chriſtus.* Itaque, vt cæpi dicere, omnes ab orbe condito gentes Deum in Theſi colendum putarunt, & aliquo demum modo coluerunt. Semper fuit Atheiſ-

1. Tuſcul.

In princi- pio Panarij

Deuet. 12.

Quatuor totius orbis Sectæ.

Colo. 3.

Atheiſmus execrabilis. Quo nomine adeò malè audiebant Chriſtiani, propter nouam Euangelij prædicationem ab omnibus illis quatuor ſectis diuerſam, vt S. ille Martyr Polycarpus, exclamare coactus fuerit in pleno tribunali. *Deus tollat atheos*: vt meminit

a. Apolog. 1 b. In Apologetico. [a] Iuſtinus Martyr, & poſt eum [b] Tertullianus. Sed omnium gentium, Græcorum, Scytharum, Barbarorum, illud vnum crimen erat, quod errarunt in Hypotheſi: quod *Deum non vt Deum, glorificauerunt aut coluerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Quod quidem tantum crimen fuit, vt Apoſtolus Epheſios ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ *homines ſine Deo in hoc mundo*, vocaret. Non quia nullum Deum colerent: ſed quia, nec verum Deum colebant, nec rectè. Alioqui ſanè & ex ipſis Epheſijs & ex reliquis gentibus (quas ibi omnes alloquitur Apoſtolus) plurimi etiam vnum Deum agnoſcebant, ſicuti ex multorum & Poetarum & Philoſophorum veterum teſtimonijs, demonſtrat Iuſtinus Martyr, in libro περὶ Θεοῦ μοναρχίας. Celebre quoque illud Sophoclis hominis Athenienſis, dictum eſt. εἷς ταῖς ἀληθείαις, εἷς ἐστι Θεὸς, ὃς τὸν οὐρανὸν ἐποίησε, καὶ τὴν γῆν. De quo ſanè vno Deo quia præclarè Plato Philoſophabatur, vocat illum [a] Iuſtinus Martyr *Philoſophum Chriſtianum*, [b] Clemens Alexandrinus, & poſt eum [c] Theodoretus ex Numenio, *Moyſen Atticum*. Eundem tamen, quia in hypo-

Rom. 1.

Epheſ. 2.

a. Vbi ſuprà b. In Stromatibus. c. De curat. græc. affect. lib. 2.

hypotheſi errauit, & multum à ſolida & tota veritate, deflexit, *condimentarium hæreticorum*, ſicuti & alios omnes Philoſophos, *Patriarchas hæreticorum*, appellat Tertullianus: & eum cum cæteris gentibus ἀθεὸν ἐν τῷ κοσμῳ pronunciat Apoſtolus. Eſt ergo Atheiſmus, non ſolum nullus, aut plurium Deorum cultus; ſed etiam, ipſius veri atque vnius Dei, non verus, non legitimus, cultus. Et hac ſanè de cauſa, hæretici ipſi ἄθεοι à Patribus vocantur. Sic enim Eunomium ἄθεον, appellauit S. Hieronymus in Epiſtola ad Pammachium & Oceanum, contra errores Ioannis Hieroſolimitani. Sic Arrius vocatur ἄθεος apud Athanaſium, & Aëtius in hiſtoria Eccleſiaſtica, hoc quaſi nomine inſignitus fuiſſe, perhibetur. Eſt enim profectò idem in hæreticis, qui in Barbaris, Græcis, & Scythis, Atheiſmus. Maximè tamen Barbariſmum ſapiunt omnes hæretici. Hæreticorum enim proprium eſt id agere, id credere, id docere: non quod præcipitur, nec quod oportet, ſed quod ipſis videtur, quod ipſi volunt, quod ipſimet elegerunt. Hoc enim ſonat vox *hæreſis*, quæ electionem notat. Hic ille fuit Donatiſtarum morbus, vt ſodalis ipſorum Ticonius, refert. *Quod volumus, ſanctum eſt*. Hinc etiam Manichæis eodem morbo laborantibus (communis enim omnium hæreticorum eſt) rectiſſimè dixit Auguſtinus. *Apertè dicite vos non credere Chriſti Euangelio. Nam qui in*

In Præſcrip.

Serm. 2. contra Arrianos.

Socrates lib. 2. c. 8.

αἵρεσις

Cõtra Fauſtũ lib. 17. cap. 3.

qui in Euangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Euangelio, creditis. Quod ſanè vnum, vt omnium inter gentes errorum, ita omnium in Eccleſia hæreſum, fons eſt. Idcirco enim, *nihil vel Græciæ ſcholæ, vel Romana eloquentia* (vt notauit Proſper) *circa inueniendum*

Cõtra Collatorem cap. 26.

ſummum bonum & dignoſcendam veritatem efficere potuerunt, quia ſemetipſis ducibus vtebantur. Idcirco etiam (vt ſcripſit Auguſtinus) *inter Socraticos & à Magiſtro diſcipuli, & inter ſe condiſcipuli diſſenſerunt, quia vbi cuique viſum eſt, ibi finem boni poſuerunt.*

De Ciuit. Dei lib. 8. cap 3.

Hæc eſt illa execrabilis in religione ἐπιεικεία & moderatio, ita Deum colere vt ipſe velis, & vt tu colendum arbitraberis, quæ certa eſt totius religionis, peſtis & ruina. Quantò rectius ipſe Ethnicus Socrates? cuius ſententia erat (vt meminit Auguſtinus) *ſic Deum coli oportere, quo modo ſe ipſe colendum eſſe præcepit.* Non quidem νόμῳ πόλεως & pro cuiuſque regionis ac ciuitatis lege (vt illud Socratis narrat * Xenophon) ſed ex ipſius Dei lege, imperio, ac voluntate. Alioqui (vt ex Socratis dicto infert Auguſtinus) *qui alio modo Deum colere vult, quam ſe colendum ipſe dixerit: non vtique Deum colit, ſed quod ipſe finxit:* idolum mentis & phantaſmatis ſui. Qui autem idolum colit, quum *idolum nihil ſit in hoc mundo*, profectò nihil colit, eſtque *ſine Deo in hoc mundo.* Ex quo iterum ſequitur eſſe hæreſim, atheiſmum.

De cõſenſu Euangeliſt. lib. 1. c. 18.

* Libro 4. ὑπομνημάτων.

Vbi ſuprà

1. Cor. 8.

Ephe. 2.

Iam verò adeo omnis hæreſis idololatria eſt, proindeque Apoſtoli iudicio, atheiſmus, vt pro-

vt propterea idolis gentium, hæreſes recta linea ſucceſſiſſe, paſſim Sancti Patres tradiderint: neque etiam Sacra Scriptura tacuerit. Quicquid enim de euertendis idolis Prophetæ prædixerunt, quicquid de fugiendo idolorum cultu præceperunt, id totum non de illis manufactis tantum, ſaxeis & ligneis, aureis & argenteis, ſed & de hæreſibus in Eccleſia Chriſti expoſuit ſæpius D. Hieronymus, in commentarijs ad Ezechielis cap. 8. ad Oſeæ cap. 11. ad Zachariæ cap. 13. ad Danielis cap. 5. Ad cuius ſententiam accedit S. Auguſtinus, ſuper illa Pſalmiſtæ verba; *Non erit in te Deus recens*, atque item in Ioſue, vt taceam Vincentium Lyrinenſem, qui vtrumque in hac parte copioſè ſequitur. Sanè inſigni Dæmonis fraude, & certo dolo, in Eccleſiam Chriſti deſtructis idolis, hęreſes irrepſiſſe, & tota temporum ſeries docet, & diligenter præterea notarunt Sancti Patres. Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 51. Cyprianus in lib. de vnitate Eccleſię, & Authot operis imperfecti in Matthæum Homil. 48. nec alia de cauſa hęreticos *Satanæ miniſtros* Appſtolus vocat, & *Magiſtros mendaces*, Petrus nuncupat. *Diabolus autem eſt mendax & pater eius, & quum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Omnis enim hæreſis de ſuo loquitur. Sola veritas Catholica, communis & omnium eſt: *Nec mea, nec tua* (ait Auguſtinus) *nec huius, nec illius, ſed omnium noſtrum quos ad eius communionem publicè vocat Deus.*

Enarrat. in Pſal 80.
Quæſt. 29. ſuper librũ Ioſue.
Cap. 27. Hæreſes idolis ſucceſſerunt.
2. Cor. 11.
2. Pet. 2.
Ioan. 8.
Confeſſ. lib 12. c. 25

Figmen-

Figmentum proprij cerebri, commentum & idolum, vnaquęque hæreſis eſt. Alius Marcionis, alius Manichæi, alius Arrij, Deus eſt, qualem ſibi quiſque animo finxit, non qualem Diuinitus reuelatum, Eccleſia tradidit. Hæc ſunt idola & Dij alieni, poſt quos abire vetat mandatum. Iſti ſunt de quibus Moyſes præcauens, prædixit. *Noui recenteſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Omnis enim hæreſis noua eſt, *quia & antiquior ſemper ac prior eſt, veritas* (vt docet ſæpe Tertullianus) & antiquitate ſemper caret ipſa falſitas, vt pote quæ diu nunquam in Eccleſia permanet, vt literæ Apoſtolicæ docent.

Hieron. in Ezech. c. 8.

Deuter. 32.

In Præſcrip. & lib. 4. aduerſus Marcionē.

Quin & propterea omnis hęreſis idolum eſt, quia ſe pro Deo venditat omnis hęreticus, ſibi credi flagitat, etiam vniuerſa repugnante totius orbis, Eccleſia: dicente videlicet vno hæretico; *Ecce hic eſt Chriſtus:* Et: *ſcio me mea dogmata habere de cælo,* quæ dixit & ſcripſit Lutherus; clamante altero hæretico: Ecce illic eſt Chriſtus, *& ſacrilegæ temeritatis eſſe, pronuntiare, vltimum iam Eliam in perſona Lutheri veniſſe, ac ſi præciſa eſſet manus Deo, ne quem præſtantiorem parem ue poſtea emittat:* quæ ſcripſit poſt Lutherum Caluinus; ægerrimè ferens vltimum Eliam Lutherū à ſuis dici, quia & ipſe alius vult Elias eſſe. Quanquam ſanè & multis retrò ſeculis, Manichæi magiſtro ſuo hanc laudem præoccuparunt. *Hoc enim* (ait Auguſtinus) *quaſi proprium atque præcipuum Authoris ſui laudibus*

In lib contra Regem Angliæ.

In Admonit. vlt. aduerſus VVeſtphal. pag. 1147.

Contra epiſtol fundamenti cap. 13.

bus tribuunt, quod dicant illa quæ ab antiquis figuratè in libris de diuinis myſteriis poſita ſunt huic qui vltimus, venturus erat, ſoluenda & demonſtranda eſſe ſeruata. Et propterea poſt illum iam neminem Doctorem Diuinitus eſſe venturum. Hæc Auguſtinus. Et quis neſcit tantundem de Mahomete in ſuo Alcorano dici? Adeò denique idolum eſt hęreſis, & verè idololatra eſt omnis hęreticus, ac ſine Deo in hoc mundo, vt D. quidem Hieronymus, *hominem hæreticum eodem planè loco quo gentilem ſe habere* ſcribat: iuxta illud ſanè Saluatoris; *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus.* D. verò Auguſtinus *longè infideli deteriorem hæreticum* eſſe aſſerat: iuxta illud profectò B. Petri dictum. *Melius erat illis non cognoſcere veritatem, quàm poſt agnitionem retrorſum recedere.* Quanquam tamen non ea tantum de cauſa quod retrocedat, & fidem datam frangat, peior idololatrę hęreticus eſt, ſed & inde quoque quod *grauius ſcelus eſt Eccleſiam ſcindere, quàm idolis ſacrificare*, vt Nouatum admonuit Doctiſſimus ille Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus. Quod etiam pęna ſchiſmatis grauior, quam idololatrię in ſcriptura veteri declarat. *Idololatria enim gladio punita eſt, ſchiſma hiatu terræ, ſepultis Authoribus viuis, & cæteris cæleſti igne conſumptis: vbi non dubitatur ſceleratius fuiſſe commiſſum, quod grauius erat vindicatum*; vt ſapienter ſcribit Auguſtinus. Nempe quum totius religionis in Deum fundamentum ſit obedientia, & illud quod Apoſtolus dicit, *captiuare in-*

In principio Dial. contra Luciferi.

Matth. 18.

De Ciuit. Dei lib. 21. cap. 25.

2. Pet. 2.

Euſeb. hiſt. Eccleſ. li. 6. cap. 36.

De bapt. contra Donat. lib. 2. cap. 6.

2. Cor. 10.

tellectum in obſequium Chriſti, vnde ſequitur, *ve-* In Præſcrip. *ram religionem* (vt ſcribit Tertullianus) *dubitabile non eſſe*, ac propterea, nec diſputabilem; ſola hæreſis omnem obedientiam tollit, *& quicquid animo errante cum ſuperbia vel tumore cogitando imaginata fuerit, religionis nomine obſeruat*, atque ita, non Auguſt. de vera Relig. cap. 38. Deum, ſed *ſua phantaſmata, colit*: qui ſane (ait meritò Auguſtinus) *deterior quidam & inferior eſt ſimulacrorum cultus*. Si quid enim in fide Catholica agnoſcit hęreticus, id non ex fide à Deo reuelata per Eccleſię miniſterium, ſed ex ſuo arbitrio tanquam probabile & ſibi non aduerſum agnoſcit: & opinatur, non credit. Quæ quidem omnia ſatis demonſtrant (nam in ſingulis prolixos eſſe non licet) ita fidei aduerſari hęreſim, vt omnem planè fidem tollat: nec id tantum efficiat, vt minus ſe rectè fides habeat, ſed vt nulla planè fides ſuperſit: ſitque propterea omnis hęreſis, quidam Atheiſmus.

Iam verò ſic Charitati, alteri illi pręcipuæ atque primarię virtuti, ex diametro repugnat hæreſis, vt ne veſtigium quidam charitatis vllum, in homine hæretico perſiſtere valeat. *Non enim habet Dei charitatem, qui Eccleſiæ non dili-* De Bap. cōtra Donat. lib. 3. c. 16. *git vnitatem*: ait grauiſſimè Auguſtinus. Ac ne quidem habere poteſt. Quum enim charitas ſit proprium & præcipuum donum Spiritus Rom. 5. Sancti (*diffunditur enim illa in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*) profectò quia extra Eccleſiam, extra vnitatem, extra Corpus Chriſti, Spiritus S. non eſt, in hęreticò qui

Eccle-

Eccleſiæ non diligit vnitatem, Charitas Dei eſſe non poteſt. Ideo conſtanter alibi aſſeuerat Auguſtinus. *Credamus fratres, Quantum quiſque amat Eccleſiam Chriſti, tantum habet & Spiritum Sanctum.* Proinde aptiſſimè vocauit Apoſtolus Iudas, hæreticos *qui ſeipſos ſegregant, animales, ſpiritum non habentes.* Sunt quidem & in Eccleſia animales & carnales homines, qui non percipiunt ea quæ ſunt Spiritus Dei: habent tamen ipſum Spiritum Dei, vt multi animam humanam habent, qui eius tamen vſum legitimum, neſciunt. At verò hæretici ita animales ſunt, vt ne habeant quidem Spiritum Dei. Eſt enim huius Spiritus vnitas in vinculo pacis, quod omnes hæretici violant ac diſrumpunt. Adeò denique ab omni charitate, ideoque & virtute (radix enim omnium virtutum eſt charitas, vt vitiorum, cupiditas) alieni ſunt hęretici, vt è ſolis ſceleratis & improbis hominibus, hæretici fiant. Sic enim poſt beatum Cyprianum in libro de vnitate Eccleſiæ, grauiter & (vt ego quidem arbitror) veriſſimè ſcripſit vir ille doctiſſimus diuus Auguſtinus: *Ex his hominibus hæreticos fieri, qui etiam ſi eſſent in Eccleſia, nihilominus perirent.* A quo non eſt diuerſum quod ſcripſit beatus Apoſtolus Ioannes. *Si fuiſſent ex nobis*, vtique boni & veri filij Dei, *manſiſſent nobiſcum.* Neque enim, qui ſuper petram, & Chriſti amorem, ſed *qui ſuper arenam*, & rerum caducarum voluptatem, *domum ſuam ædificauit*, irruente procella damnum ſuſtinuit.

Tract. 32. in Ioan.

Cap vnico.

Lib. de vera religio. cap. 6.

1. Ioan 2.

Matth. 7.

ſtinuit. Nec ſolida grana, ſed leues paleas, omnis doctrinæ ventus circumfert. Videtis ergo vt vna ac ſola hæreſis omnem fidem euertat, charitatem expellat, vel certè deperditę prorſus & eliminatæ iam ante acharitatis argumentum ſit; ideoque vniuerſi mali complementum quoddam & compendium, quaſique altera per Antiphraſim pandora, cenſenda ſit. Poſſent quidem iſta pluribus demonſtrari. Sed vereor ne præſtitutę breuitatis modum, etiam hæc pauca exceſſerint.

Venio nunc itaque (Auditores) ad alteram illam Orationis meæ partem, quę vt magis eſt neceſſaria, ita vti ſpero nec iniucunda erit: ſi tamen præſentium malorum, quibus nec adhuc emerſimus, iucunda eſſe poteſt recordatio. Nempe de præſenti hæreſi, & de horum temporum inſania paulò copioſiùs agemus; non quidem vt eam Oratione illuſtremus, ſed vt variam eius atque multiplicem turpitudinem, ante oculos veſtros ponamus, indeque huius noſtri inſtituti ac Profeſſionis ſiue neceſſitatem, ſiue vtilitatem, ſeu vultis etiam dignitatem, demonſtremus. Quæ enim hodie vniuerſum penè Chriſtianum orbem occupauit, non tam hæreſis quã Apoſtaſia, & quaſi alterum fidei diluuium, tot & tam varijs nominibus eſt deteſtanda, tantas & tam graues habet execrationis cauſas, vt nec vnde ordiri hanc telam debeas, nec vbi Oratio exitum inueniat, facilè ſcias: ſi quidem omnia quæ hic

dici poterant, & pro iuſtæ ſanè indignationis dolore, dici meritò debebant, non dico exornare & illuſtrare, ſed vel percenſere & commemorare quis vellet. Quid enim eſt, quod aliquando hæreſem illuſtrem fecit, hoc eſt inſigniter nequam, nobiliter flagitioſam, egregiè pernicioſam, cuius etiam nomine horũ temporum hæreſes illuſtres non ſint? imò verò palmam & coronam impietatis non ferant? Solet hæreſis mendax & procax eſſe, meretricia fronte, ſi tamen fronte, Scripturas deprauare, addere, tollere: Patrum ſcripta corrumpere: Catholicam columnijs, conuitijs, atque mẽdacijs traducere, proterere, obruere. At quæ vnquam hæreſis huiç noſtræ par fuit, aut quidem eſſe potuit?

Quantam Scripturarum farraginem in omni dogmate Catholico, iſti belli homines & quam variè corrumpunt? Primum totos libros è Sacro Canone eradunt. Machabeorum volumina, D. Iacobi, Petri, & Ioannis poſteriores epiſtolas, pro Apochryphis cenſeri volunt: & totius orbis Cenſores è Sacrorum Scriptorum Senatu, mouent. Patrum ſanè hac in re ſuorum, veterum hæreticorum, menſuram implentes; Marcionis & Manichæi: quorum hic totum vetus Teſtamentum, & ex Euangelio Matthæi Caput primum, aliaſque particulas, codices eſſe & ſcripta diuina, negauit: ille & Lucę Euangelium ſuſtulit, ſuo quodam ſuppoſito, & ex 14. Paulinis Apiſtolis 9.

tantum retinuit. Vt taceam Arrianos qui idẽ in Epiſtolam ad Hæbreos attentarunt, & Aetium qui tantundem ferè in veteri Teſtamento auſus eſt; vt de his quidem [a] Theodoretus & [b] Epiphanius, de illis [c] Auguſtinus & [d] Tertullianus, ſcribunt atque commemorãt. Nunc verò Scripturas quas retinent, quot & quàm indignis modis deprauant. Modò nouis ſuis, eiſdemque hodie permultis verſionibus, peruerſionibus dicerem, inaudito ſcelere ſic loqui Sp. S. faciunt, ſicut ipſi volunt: ſuumque nobis pro Dei verbo, obtrudunt. Neque enim ſic Tigurina vt VVittembergenſis, non ita Geneuana vt Francofordienſis, verſio habet. Aliter vertit Lutherus, aliter poſt eum Zwinglius: differenter ab vtroque Caluinus: ac poſtea ab omnibus Beza, vt taceam quod ſæpius ac ſubinde ſuas iidem verſiones cudunt atque recudunt; fingunt atque refingũt. Vt idem planè his accedat, quod de Marcionitis ſcribit Tertullianus. *Quotidie reformant Euangelium ſuum, prout à nobis quotidie reuincuntur, aut erubeſcunt ipſi de magiſtro ſuo vbique traducto.* Quæ quidem ita ſe habere, partim copioſè deſcribit Fridericus Staphylus Apologiæ prioris part. 2. partim domeſtica nos noſtrarum calamitatum exempla, docuerunt. Iam verò ipſos textus quos integros relinquunt, quàm graui ſcelere contaminant, dum nouum illis & à verbo Dei alieniſſimum ſenſum affingunt, & in Eccleſia Dei inauditum? Deficeret me tempus,

a. In præfat. in epiſt. ad Hebreos
b. Hær 76.
c. Hær 46.
d. libro 4. cont. Marcionem.

Libro 4. aduerſus Marcionẽ.

pus, ſi harum rerum infinita exempla (quæ quidem facilè proferre poſſem) hoc iam loco ac tempore, producerem. Sed fiet iſtud commodiſſime atque pleniſſimè in tota hac futura noſtra Profeſſione: maximè verò in harum quas iam auſpicamur, Controuerſiarum, tractatione. Adeò verò res hæc certa & explorata eſt, vt quidam etiam Catholici ſcriptores, de locis ſcripturarum ab hæreticis hodie turpiter deprauatis, * volumina expreſſa conſcripſerint, eademque loca in natiuum ſuum ac germanum ſenſum, magno & laudabili ſtudio reſtituerint. Quod quidem inter cæteros ex parte præſtitit Renatus Benedictus, in ſua Panoplia Euangelica.

* Vide Antidota noſtra Euangelica & Apoſtolica poſtmodū edita.

Quod ad Conciliorum, Pontificum & ſanctorum Patrum ſcripta attinet, quid illa dicam ab iſtis hominibus corrumpi, deprauari, & in ſenſus alieniſſimos, obtorto collo trahi? Fecerunt id quidem initio copioſiſſimè, & more veterum hæreticorum; quem perpetuum fuiſſe Patres Sextæ Synodi proclamant. Quam diu ſcilicet vel pro ſe ſtare Patres adhuc exiſtimarent; vel horum nominibus ac prætenſa Authoritate abuti, adhuc ſuis rebus & alliciendo in ſuam naſſam paulatim populo, commodum exiſtimabant. Quo in genere inſignis eſt illa ſancti Auguſtini deprauatio, quā Authore Luthero, Auguſtana confeſſio coram Germaniæ Principibus magna confidentia citauit, eandemque poſtea maiori impudentia non

ſolum typis excuſit, ſed in certis etiam Colloquijs tueri ſemper voluit, quia ſic videlicet ſemel dixerat Lutherus. Pro eo enim quod ſcripſit Auguſtinus: *Dimitti concupiſcentiam in Baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur*, quæ eſt Catholica & orthodoxa ſententia, aiunt illi dicere Auguſtinum, *dimitti peccatum in Baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt non imputetur*: quæ eſt horum hominum hæretica ſententia, de imputatiua non vera per Baptiſmum peccatorum remiſſione, ex qua mox conficiunt, imputatiuam ſuam iuſtificationem. Tanti momenti fuerat, pro *concupiſcentiæ* vocabulo, *peccatum* nefariè ſuppoſuiſſe. Excelluerunt in hoc genere duo in noſtra Anglia peſtilentes ſeductores, & pſeudoepiſcopi, Iuellus Sariſburienſis, & Hornus Vintonienſis. Quorum vterque (ſed Iuellus magis) editis vernacula lingua opuſculis, aliquot mendaciorum centurias in ſola Scripturarum & Patrum maximè corruptione, breui tempore conflarunt; ab orthodoxis & Catholicis Anglis Louanij tunc agentibus, eorum mendacio etiam editis libris propalantibus adeò manifeſtè deprehenſi & euidenter conuicti, vt poſt aliquot reſponſiones fruſtrà tentatas (replicantibus ſtrenuè Catholicis) à Principe tandem, pro pleniſſima & abſoluta reſponſione, crudele edictum obtinuerint, de huiuſmodi Catholicorum libris nullo modo ſub grauiſſima pœna, vel in Regnū importandis, vel à quopiam

De Nupt. & concup. lib. 1. c. 25.

Angli Proteſtantes magiſtri mendaces.

Catholicorum libris edicto reſpondetur.

illic retinendis. Et ſic quidem tum omnes ferè Proteſtantes in ipſo huius certaminis initio, tum etiam noſtri iſti Domeſtici vſque ad dicti certaminis exitum admirabilem, in Patrum corruptelis ſtudioſè verſati ſunt. Adeo ſanè vt hoc ipſo nomine vir doctiſſimus, nobilis & prudentiſſimus Fridericus Staphylus, poſtquam toto & amplius decennio Lutherum audiuiſſet, & ad amplos honores ab ipſis Lutheranis Principibus capeſſendos inuitaretur, deprehenſa Patrum deprauatione per Lutherum & alios eius ſectatores, à tota tandem Lutheranorum & Proteſtantum factione, ſeſe abripuerit, & ad Catholicæ matris gremium, piè ſe receperit. Verum enimuerò quum huiuſmodi fraudes, mendacia & corruptelæ diu valere non poterant (veritas enim temporis filia) maius aliquid auſi ſunt. Vniuerſos enim Patres & Concilia ad vnum omnia (o facinus incredibile) prorſus repudiare, & ab omni Authoritatis pondere, ac loco deijcere, non ſunt veriti. Quod quidem qua audacia ab illis factum fuerit, in primis hiſce (quas tractare inſtituimus) Controuerſijs, declarabitur.

Vide Ioan. Lureſium Cleuenſem in vita Staphyli.

Sed prætereo Scripturas & Patres, in quibus licet maiori ſcelere, non ita tamen aperto & paſſim cognito, verſantur. Ad notiora venio. Nempe quæ notiſſima ſunt Catholicæ fidei dogmata, quæ vulgo fidelium compertiſſima, quæ ad ipſam fidei regulam puſillis magniſq;

communem pertinentia; mendacijs tamen & calumnijs impudentiſſimis, alia eſſe quã ſunt, mentiuntur. Et quia veritatem ipſam orthodoxam ſolidè impugnare non poſſunt, falſos & erraticos ſenſus quos impugnent, ſceleratè confingunt. Profectò enim qui vniuerſum illud graſſantium hodie hęreſum chaos, & vaſtum quaſi Oceanum, penitius introſpiciet; videbit multò maximam illarum partem, ex putidis & meris calumnijs, ex luculentis & ſplendidis mendacijs, eſſe conflatam. Quarũ rerum, ſi pauca de multis exempla audire liceat, quis neſcit eos & Pelagianorum ſuperbiam, circa naturę vires relictas; circa concurſum liberi arbitrij cum gratia, & circa bonorum operum meritum; Manichęorum ac Tatianorum ſordes, circa Cęlibatus defenſionẽ; Donatiſtarum dẽnũ furorem, quia infamem concubinarium à ſacris altaribus arcemus, Catholicę doctrinę impingere? Nam quod in quęſtione ipſa de gratia & libero arbitrio, de iuſtificationis noſtrę cauſa formali, de poſsibilitate obſeruationis mandatorum, de conſignandis per Eccleſiam ſcripturis; alijſque quæſtionibus grauiſſimis, ſtatum Controuerſiæ & ipſum τὸ κρινόμενον (in aſtutia ad circumuentionem erroris) prorſus immutant, inuertunt, atque peruertunt, ſoli doctiores, nec illi ſemper omnes, fortaſſe animaduertunt. Quoties verò (notioribus enim inſiſtam) & de Iudaica pædagogia, & de Phariſaica ſuperſtitione, &

Veteres hęreſes Catholicæ falſò impoſitio.

Cõtrouerſiarum ſtatus inuerſi.

ne, & de cultu denique gentilitio Catholicam accuſant; dum ritus Apoſtolicos & Eccleſiæ inſtituta, pro mandatis hominum, & egenis huius mundi elementis, traducũt? Huc enim pertinere, ſtata ieiunia, feriarum obſeruationes, Diuorum inuocationes, imaginum venerationem, ſtolidiſſimè indicant & clamoſiſſimè vociferantur. Quid grauiora illa referam, quòd fidei dono diuinitus infuſo nihil nos prorſus tribuere; quòd Chriſti paſſioni ac meritis nos omnia derogare; quòd plus vni ſancto Antonio, aut ſancto Chriſtophoro, quàm ipſi Chriſto deferre; quod Romanum Pontificem in terris pro Deo colere; quod ſacras vtriuſque Teſtamenti ſcripturas, nullo in precio nos habere; inuidiosè clamitent & ſceleratè mentiantur? Nam quod in imaginum cultu, & Sanctorum inuocatione, de idololatriæ nos grauiſſimo ſcelere arceſſunt, aſſerentes nos ſaxa & homines mortuos pro Dijs colere; vſitatiſſimum apud ipſos eſt, & tamen ſceleratiſſimum, planeque Ethnicus quidam ſeu furor ſeu error, qui idem olim circa Martyrum memorias & cultum, Chriſtianis obiecerunt; vt videre eſt circa Polycarpi reliquias apud Euſebium, & in Iuliani Apoſtatæ obiectis apud Cyrillum. Quam vero in ſacratiſſimorum myſteriorum cultu *ἀρτολατρείαν* nobis impingunt, etiam Ethnicum furorem ſuperat. Illi enim *infanticidia & magias* (vt refert Tertullianus & poſt eum Auguſtinus

Mendacia manifeſta.

Lib. 4. c. 14.

Libro 10. contra Iul.

In apologet & lib. 4. aduerſus Marcionē.

nus de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 53. & Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis) *Cereris quoque & Bacchi cultum* (vt commemorat idem * Auguſtinus) Chriſtianis propter hoc myſterium inſcienter obiiciebant: iſti verò non pari inſcitia, ſed maiori blaſphemia, panis piſtorij cultum & Deum impanatum, clamitant. Piget profectò, in eorum commemorandis mendacijs pergere. Illud cõfidenter dixerim, nullam eſſe doctrinę Catholicę partem quam vellicent (vellicant autem partes omnes vt mox dicemus) in qua pro erroris fundamento, nobile mendacium non ſtruant. Et (vt pauca adijciam) quot & quanta ſunt quæ in vna pænitentiæ doctrina de nobis mentiuntur? Nos videlicet dicere ac docere; Contritionem oportere ſufficientem eſſe, & quę ſceleribus commiſſis prorſus reſpõdeat, vt huius Sacramenti pars eſſe poſſit. Nos docere in Confeſſione, ſingulorum & omnium peccatorum plenam ſemper enumerationem eſſe neceſſariam, ſiue ea meminiſſe poſſumus, ſiue non. Nos in ſatisfactione docere, per iniunctas pænas compenſari pænas æternas: Denique in tota pęnitentia, altum eſſe apud nos de fide ſilentium; & ſpem veniæ nos omnem excludere. Hæc illi de Catholica doctrina aſſerunt; ſic illi de nobis ſplendidè mentiũtur: tot illi in vnius Sacramenti doctrina, egregia mendacia ſimplici plebeculæ perſuaſerunt. Sed mihi credite (Auditores) tot & tanta

* Lib. 20. c. 13. cont. Fauſtum.

Mendacia circa Pænitentiam.

ſunt

ſunt horum hominum mendacia, circa Religionis orthodoxæ doctrinam, aliter ab ipſis quàm verè à nobis aſſeritur, ſingulari fraude repræhenſam, vt non quidem Orationis tantum modum excedant; ſed & nullo etiam immenſo volumine, commodè illa compræhendi valeant. Itaque huic rei inuitus, vt de cæteris aliquid dicam, hunc finem impono.

Ad alia venio, quibus hodiernæ hæreſes, quàm ſint peſtilentes, breuiter demonſtrabo. Hæreſis omnis etiam in re leui & minoris momenti, tamen ſemper pernicioſa & deteſtabilis eſt habita, ideoque (vt modo ex D. Hieronymo diximus) *etiam propter vnum aut alterum verbum, hæreſes ab Eccleſia eiectæ ſunt.* Quæ autem hodie graſſantur hæreſes, tanquam febris quędam hectica totum religionis corpus occupant, omnes ſanæ doctrinæ partes corrūpunt, ſacratiſſimas etiam & maximè vitales partes, ſua peſte corripiūt, idque adeò infeſtè vt quæ Catholica ſummè veneratur, & ſummo habet in præcio, illæ maximè ſuggillent, damnent, abominentur. Quod paucis nunc rerum grauiſſimarum exemplis oſtendo. Quid in cultu diuino & vniuerſo religionis obſequio, Sacro Miſſæ officio, venerabilis Euchariſtiæ myſterio, habet Eccleſia, habuitue vnquam excelſius, ſacroſanctius, diuinius? Nonne huc & huius vnius in cultum, omnis ille templorum magnificus ſplendor, altarium vniuerſus decor, cæterarum

Hæreſis hodierna vniuerſum religionis corpus occupauit.

I. Externus totus cultus abolitus.

terarum rerum quę huc pertinent multiplex apparatus, totuſque Chriſtianorum externus cultus, ſacerdotum veneranda inſtitutio, Sacramentorum omnium varius vſus, vel omnino deſtinatur, vel in eo vno conſummatur atque perficitur? Quas verò in hoc vnum myſterium blaſphemiarum moles, quæ conuitiorum & maledictorum plauſtra, inuexerunt? Quid apud ipſos deſpicabilius, quid execrantur & abominantur magis? Rurſum quid in doctrina fidei magis neceſſarium, & ſalutare, quàm rectus Sacramentorum vſus? Hunc autem vniuerſum non tam illi peruer-

2\. terunt, quàm penitus euerterunt. Ex ſeptem

Sacramentorum doctrina tota conuulſa.

enim duobus tantùm retentis, illa ſic deformarunt, vt alterum quidem illorum ad Cœnę Dominicæ inane nomen redegerint (vt taceam quod varijs ſacrilegijs profanarint) Al-

3\. teri (Baptiſmo ſcilicet) fructum & vim omnē

Ordo Eccleſiæ perturbatus.

ademerint. Sacrum Eccleſiæ Ordinem, quem ſummo in honore eſſe voluit Chriſtus, ſic illi in ordinem redegerunt, vel potius omni Ordinis dignitate ſpoliarũt, nihil vt iam ſit apud eos vilius & execrabilius, homine initiato: Nec ad contemptum tantum; ſed etiam ad necum & immanes cruciatus, hoc vnum ſatis ſit, ſacerdotem eſſe, vel (vt illi loquuntur) ſa-

4\. crificulum raſum. Iam verò, de eo quod in

Hierarchiæ Eccleſiaſticæ caput indigniſſimè violatũ

vniuerſo hoc Ordine ac Hierarchia ſupremũ eſt, & quē nos pro Chriſti vicario, pro ſummo in terris iudice, pro Apoſtolico capite agnoſcimus

mus,quid putatis illis animi eſſe? An eos mediocriter illum ſpernere, an leuiter contemnere? Imó vero totis inuidentię atque malitiæ faucibus,inflatis ſuperbię buccis, dilatantes ſicut infernus os ſuum, hunc virum Apoſtolicum,ſolum iam Apoſtolicę ſedis Antiſtitem; ipſiſsimũ eſſe Antichriſtum,audaciſsimè dicunt, procaciſsimè defendunt, pertinaciſsimè etiam ſcriptis libris, paritérque impudentiſsimè atque ſtultiſsimè contendunt.

Omitto alia: Quod fidem iuſtificantem ad vanam & pernicioſam fiduciã; & ad ſolas Dei promiſsiones appręhendendas contraxerint; bona opera omni merito & retributionis æternę præmio,ſpoliauerint; mandatorũ Dei obſeruationem impoſſibilem eſſe dogmatiſauerint; relicta ad agonem carnis vitia verè eſſe in renatis peccata, omnes eorum actus iuſtos contaminare, denique verè peccatores in iuſto Dei iudicio ex ſua natura baptiſatos omnes conſtituere, aſſeruerint; imo præclara multa pietatis exercitia,ſtata ieiunia, præſcriptas orationes,peregrinationes ad loca ſancta, pro impia ſuperſtitione, condemnauerint. 5. Præcipuorũ fidei dogmatũ corruptela.

Parum eſt quod in rebus ad ſalutem maximè neceſſarijs pernicioſi & peſtilentes, in fidei ſacroſanctis myſterijs prophani, in Eccleſiæ miniſtris,ſacrilegi ſunt. Etiam in Angelos & beatos illos ſpiritus,violentas manus iniiciũt. Nam & cognitionem illis rerum noſtrarum demunt, & curam atque amorem noſtri negant; 6. Angelorũ dignitati detractum.

gant; & quicquid illis cultus exhibetur, id in Dei contumeliam verti, præpoſterè docent.

7. Mortuis fratribus iniuria irrogata.

Penè prætermiſeram, quod & defunctis fratribus luculentas iniurias faciunt, dum Orationes, eleemoſynas, ſacrificia quę pro illis fiunt, iuxta perpetuum Eccleſię Catholicę morem, & Apoſtolorum inſtituta, ſceleratè damnant. Sed caput totius blaſphemiæ & abominationis eſt, quod nec ipſius Dei optimi Maximi ſupremam maieſtatem, intactam reliquerint.

8. Ipſa Dei Maieſtas blaſphemata.

Nam & illum cum impuriſſimis Manichæis, Authorem & effectorem (non ordinatorem tantum) mali atque peccati eſſe docuerunt. Eius autem omnipotentiæ, arrogantiſſimo furore, limites poſuerunt; eum aſſerentes, *ab ordine rerum iam poſito & conſtituto recedere non poſſe, nec aliquid facere quod ei repugnet: imò nec amplius quicquam poſſe efficere, quam quod in ſacris Scripturis, apertè ſe facturum prædixit.*

Caluinus Inſtit. lib. 4 cap. 17. n. 24

9. Beatiſsima Trinitas violata.

Quid quod nec à ſacratiſsima Trinitate ſibi temperarint, ſed illi quidem, quos hoc nomine Antitrinitarios & Tritheitas nuncupant, horrendas nec hoc loco nominandas blaſphemias, in ſacratiſsimum Numen, ore plus quam Sathanico, euomuerint; ipſe verò Caluinus, noua etiam & nefanda hac in parte dogmata, orbi propinauerit, quorum vnum illud eſt de filij Dei αὐϑεσία. Quicquam ne his malis adiici poteſt? Aut ſi vlla hæreſis Atheiſmus cenſenda eſt (vt modo demonſtrauimus) eritne aliquando aut fuit vnquam grauior, verior, & ex-

& execrabilior Atheiſmus, quàm qui hodie per has hæreſes regnat?

Videor fortaſſe multa enumeraſſe. Sed plura profectò prætermiſi quam dixi. Nihil enim de liberante gratia in fatalem neceſsitatem permutata, de libero arbitrio in ſeruum redacto, de cælibatus & virginitatis virtute heroica vel Angelica potius, in promiſcuam penè fornicationem, certè in illicita poſt diuortiorum coniugia (altero adhuc coniugum ſuperſtite) & alicubi etiam quibus Bernardini Ochini arridet doctrina, in polygamias conuerſa: Nihil de Eccleſiæ ipſius docentis, atteſtantis, aut aliquid fidei determinantis, voce neglecta, iudicio comtempto, Authoritate penitus conculcata; nihil de ipſa tota Eccleſia, tam paſtorum quam populorũ prorſus Anticriſtianiſimi damnata, nec à paucis ſeculis, ſed ab ipſa vſque Apoſtolorum ætate; nihil de innumeris alijs dico, quæ nec ſingula orationi complecti, nec memoria retinere, valeo.

10. Alia adhuc dogmata adulterata.

Dialog. 21

Pene auſim dicere nullam olim hæreſim extitiſſe, quæ quidem circa Eccleſię corpus, & extra Chriſti perſonam verſatur, quam noui iſti hodie cacangelici, non renouarint, & Herculeo ſanè labore, tanquam Cerberum ex inferno non reſuſcitarint. Quis neſcit eos cum Pelagianis, infantibus Chriſtianorum parentum abſque baptiſmi Sacramento, promittere vitam æternam? cum Manichæis

11. Veteres hęreſes reſuſcitatæ.

docere aquam Baptiſmi nihil ad ſalutem facere? Liberum arbitrium tollere? & concupiſcentiæ naturalis malo nimium exaggerato, peccati perpetuum & ineuitabilem fomitem, ſeu *fornacem potius* (vt Caluinus loquitur) *incenſam, quæ ſcintillam & flammas efflat, vel ſcaturiginem, quæ aquas ſine fine egerit*, tribuere? Deum denique Authorem mali ponere? cum Donatiſtis propter vitia cleri & Eccleſiæ, ſiue vera, ſiue falſa, à clero & Eccleſia nefario ſchiſmate ſeſe ſeparaſſe? in ſolis actu bonis & ſanctis Eccleſiam ponere? Eccleſiá toto orbe perijſſe, ac in paucis remanſiſſe? Catholicam non ex totius orbis communione, ſed ex omnium mandatorum & Sacramentorum obſeruatione vocari, aliaque permulta dicere ac docere? cum Eunomio, & (vt refert * Theodoretus) cum Simone Mago ſolius fidei ſufficientiam (operum iuſtitia contempta) docere? cum Vigilantio reliquias Sanctorum contemnere? cum Iouiniano virginitatis meritum & voti obligationem, damnare? cum Aërio Orationes pro defunctis & ſtata ieiunia, negare? cum Anomæis & eodem Aërio legibus Eccleſiæ, teneri nolle? cum Nouatianis ſoluendi peccata plenam & veram poteſtatem ab Eccleſia tollere? cum Iconomachis & Manichæis ſanctorum imagines ferre non poſſe? cum Iuliano Apoſtata cultum Martyrum idololatriam cenſere? cum Pepuzianis & Marcionitis, Ordinem in Eccleſia confundere? Denique cum Beren-

Inſtitut. lib. 1. cap. 1 num. 8.

* Fabul. hæret lib. 1.

Berengario, Albigenſibus, VValdenſibus, Veicleffitis, & Huſſitis, cum Abailhardo, Almarico, alijſque olim damnatiſſimis hæreticis, omnia ferè ab illis aſſerta dogmata iam renouaſſe?

Sunt hæc omnia notiſſima. Nam ſecretiora illa quæ alunt monſtra, quæque ſibi inuicem Cadmæi iſti fratres impingunt, vt ſibi ipſis inuicem notiſſimi, rerumque ſuarum mutuò conſcij, hoc iam loco ſtudiò prætermittimus, aliàs ipſa inter profitendum (Deo dante) in lucem producturi. Hęc eſt illa noſtri temporis Babylon meretrix magna, quæ ſub omni ligno frondoſo diuaricata eſt pedes ſuos, & fornicata eſt cum amatoribus multis, quęque derelicto fonte aquæ viuæ, effodit ſibi ciſternas has veteres, non valentes tenere aquas. Hæc eſt illa procax meretrix, quæ infantem vult diuidi. Sic illa hodie Chriſti inconſutilem tunicam, furore plus quàm Barbarico in partes innumeras, fœdiſſimè diſcerpſit. Sic & nouas hæreſes in dies cudere, & obſoletas iam multiſque ſeculis ſepultas, ab orco reuocare non deſtitit.

Babylon meretrix magna.

Quòd ſi verò quanta rerum inſcitia, quam inſulſis & ſtolidis argumentis (maximè in primis illis huius Apoſtaſiæ annis) quam lubrica inconſtantia, quanta opinionum ac ſententiarum varietate, diſſonantia, planeque pugna irreconciliabili, quibus fraudibus & technis vſi fuerint, quanta etiam impuden-

tia, quo progreſſu nō iam ad vnā reformatam, ſed ad quāplurimas deformatiſſimas religiones ac ſectas peruentū ſit, vt hanc ſuā *Suſceptā*, tandem aliquando ſtabilirent, & idolum tam multiceps orbi cōmendarēt, copioſè hic & explicatè diſſererē, me quidem dicentē tempus deficeret, vos autem hanc fœdā religionis faciem, nō tam hęreſim quam Atheiſmū, Sathaniſmū, & merum eſſe Antichriſtianiſmū, meritò iudicaueritis. Sed hæc in Profeſsionis huius noſtræ progreſſu, Deo dante, prę̄ſtabūtur.

Quis ex hęreſi fructus capiendus.

Quæ ſanè ita quum ſint, imò longè grauiora, tetriora, & abominanda magis ſint, quàm ego aut dixi, aut dicere valem; quid nobis animi, quid noſtri officij eſſe oportere, exiſtimatis? Sanè eum fructum, quem proprium hæreſes ſecum afferre ſolent, ſedulò carpere nos conuenit. Sapientiſſimus enim rerum Moderator Deus, quemadmodum, *Sapientiæ ſuæ magis congruere vidit, ex malis bona facere, quam nulla mala eſſe permittere*, ſic magnum hoc hæreſis malum non aliter permittit, quàm vt inde bonum faciat. Videte autem quale & quantum bonum. Sicut enim animi vis ſeu facultas duplex eſt, intellectus & voluntas; ita vtrique facultati ex vno hæreſis malo, ingens bonum acceſſit. Nam quum intelligentiæ auctum lumen prudentiores, voluntatis ad virtutem capeſſendam, incitatio maior meliores nos faciat, ipſius hæreſis fructus hic eſt, vt illa & diligenter inſpecta cautiorem, & for-

Auguſtinus enchirid. cap. 27. & de Ciuit. Dei lib. 22. cap. 1.

& fortiter ſuperata, illuſtrem Orthodoxum reddat. Mirabili ſanè Dei conſilio, vt quum hæreſis omnis inſigni Sathanæ fraude ad fidem euertendam, & Charitatem radicitus extirpandam, adinuenta & inuecta ſit (ſicuti modò demonſtrauimus) contra, & ad illam magis ſtabiliendam, & ad hanc illuſtrius commendandam, hæreſis valeat. Ac de poſteriori quidem iſto, apertè per Apoſtolum ſpiritus Sanctus dixit. *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſint inter vos, manifeſti fiant. Nemo enim æſtimet bonos poſſe de Eccleſia decedere* (ait B. Cyprianus) *Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam, procella ſubuertit, Inanes paleæ tempeſtate iactantur, Inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur.* Vt in fornace aurum, ſic in hæreſi, Catholicus probatur. Turbata aqua ſordes deſpumat, & purior poſt agitationem efficitur. Hic itaque vnus hæreſis fructus eſt; vt quantò hęretici ſceleratius religionem omnem diſſipant & conuellunt; tantò nos mordicus magis & conſtantius auitam fidem complectamur, nec ab ea nos diuelli aut minis aut blanditijs, aut vi aut dolo ſinamus. Nulla enim maior laus, quàm in media hæreſum procella, immunem te ab hæreſi ſeruare. Gloriatur in Domino S. Hieronymus, *quod ab ipſis incunabulis Catholica eſſet lacte nutritus.* Et addit. *Nemo magis Eccleſiaſticus eſt, quàm qui nunquam hæreticus fuit.* Similiter & ſanctiſſimus Baſilius. *Licet reliqua,* inquit, *vita noſtra digna ſit cuius gratia ingemiſ-*

1. Cor. 11.

Libro de Vnitate Eccleſiæ.

In Epiſt. ad Pāmachiū & Oceanū de error. Origen.

Epiſt. 79.

ingemiſcamus, tamen de hoc vno in Domino gloriari auſim, quod nunquam falſas opiniones habuerim de Deo, neque aliter ſentiendo, animi iudicium in fide mutauerim. Præclara ſanè laus, illa maximè ætate, in qua præter Eunomianorum, Macedonianorum, Nouatianorum ſectas & ſchiſmata, *totus penè orbis* (vt ſcribit Hieronymus) *ſe ingemuit Arrianum.* Alter eſt idemque ampliſſimus, & huic magis loco proprius fructus, vt quantò ſe falſitas obtrudit magis, tantò clarior & illuſtrior eluceſcat veritas. Nempe faciunt omnes hæreſes, vt in controuerſiam vocata dogmata, accuratius examinentur, examinata fortius confirmentur: confirmata illuſtrius commendentur, ſic denique commendata, firmius retineantur. *Hæreticorum quippe inquietudine* (ait S. Auguſtinus, vir vnus vel maximè illam expertus, & in ea compeſcenda exercitatiſſimus) *vt ſcripturas vigilantius perſcrutemur, vnde ne ouili Chriſti noceant, illis poſſit occurri, tanquã de ſomno ignauiæ, noſtra excitatur induſtria. Ita per multiplicem gratiam ſaluatoris, etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus conuertit in adiutorium.* Hæc ille. Rurſum alibi. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur, & ab aduerſario mota quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio.* Hæc ille. *Vtamur ergo hoc diuinæ prouidentiæ beneficio* (vt monet alibi idem celeberrimus doctor) *vtamur*

In dial. aduerſus Luciferianos.

Epiſt. 105.

De Ciuit. Dei lib. 16. cap. 2.

In libro de vera Relig. cap. 8.

mur hæreticis, non vt eorum approbemus errores, ſed vt Catholicam diſciplinam aduerſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiam ſi eos ad ſalutem reuocare non poſſumus. In hoc enim proſunt, quod ad verum quærendum carnales Catholicos, ad verum aperiendum, Spirituales excitent. Quod quidem ita ſe habere, quis hodie non videt? Quam multa nunc intelligimus, cernimus, palpamus; quæ quidem ante Controuerſias has natas, ne per ſomnium quidem cogitabamus? *Nunquid perfectè de Trinitate tractatum eſt* (ait Auguſtinus) *antequam oblatrarent Arriani? Nunquid perfectè de pænitentia tractatum eſt antequam obſiſterent Nouatiani? Nunquid perfectè de Baptiſmate tractatum eſt, antequam contradicerent foris poſiti rebaptizatores?* Sic, & multò ſanè magis, de dogmatibus illis omnibus, quæ ab hæreticis hodie impugnata modò commemoraui, perfectè nunquam diſputatum & tractatum fuit, antequam illa dogmata in Controuerſiam iſti foris poſiti Proteſtantes vocaſſent. Et hoc ſanè ſenſu verum eſt, quod *veritati Euangelicæ, lucem magnam præſentes Controuerſiæ, attulerunt*: non quod hoc nomine hæreticis ipſis aliquid debeat Eccleſia (vt vaniſſimè Confeſsionis Auguſtanæ architecti aliique Proteſtantes gloriantur, *multum ſcilicet ipſis debere Eccleſiam Dei, de illuſtratis multis doctrinæ Euangelicæ articulis*, &c.) ſed quod ipſius veritatis natura illa eſt, Deique pariter ſic eam ordinantis prouidentia, vt ex contra-

Enarrat. in pſal. 54.

 dicen-

dicentium hęreticorũ inquietudine, mutuoq; conflictu magis illuſtretur veritas: ipſius videlicet, veritatis Magiſtris magis euigilantib⁹, & tum indagandæ tũ explicandæ, veritati ſollicitius incumbentibus. Itaq; vt olim Donatiſtis Auguſtinus, ſic nos Proteſtantibus, hanc vanam laudem & gratiam aucupantibus, reſpondemus. *Non ipſis ſed Deo, hinc potius agimus gratias. Vt enim hæc omnia, hæretici vel loquendo vel legendo,* vel diſſerendo vel ſcribendo, *pro cauſa noſtra magis illuſtranda promerent atque propalarent, veritas eos torſit, non charitas inuitauit.* Eſt ergo iſtud orthodoxæ doctrinæ (licet ex mala cauſa) præclarum adiumentum, & totius literaturæ ſacræ, ampliſſimum ornamentum.

Contra Donat. poſt Collat. cap. 34.

Nulla verò eſt diſciplinæ Theologicæ pars, quæ ex præſentium Controuerſiarum diligenti tractatione, vehementer non illuſtretur & exornetur. Etenim ſi ſcripturas ſpectes, quum *illa Scripturarum loca diligentiſſimè memoriæ mandanda ſunt* (vt ſalubriter monuit Auguſtinus) *quæ contra præſentes hæreſes valent plurimùm,* quantam ediſcendis optiméque intelligendis ſcripturis, occaſionem hæc Controuerſiarum tractatio ſuppeditabit, quum nulla non ſcripturæ loca, hęreſes hodie aliqua ex parte contaminarint? Quod ſi dogmata & ſcholaſticã paleſtram conſideres; quam varia, quámque erudita & vtiliſſima exercitatio ex his tibi Controuerſijs, quum de peccato originali, totaque hominis Chriſtiani iuſtificatione agetur

Controuerſiarum doctrina quã vtilis.

Tract. 2. in epiſt. Ioan.

agetur,depromi poteſt? Ad hiſtoriæ Eccleſiaſticæ accuratam cognitionem ſic præſentes Controuerſiæ inuitant,vocant,impellunt, vt qui in iſtis ſtudioſè verſatus fuerit,illius peritiſsimus euadat neceſſe ſit. Nec enim ſine maxima & locupletiſſima rerum hiſtoriacum ſupellectile conquiſito, perluſtrari & diſcuti præſentes Controuerſiæ poſſunt. Ad linguarum ſtudium ſic te excitat Controuerſiarum examen, vt nunquam te hodie Theologũ & Orthodoxæ aſſertorē ac vindicem profiteri ſatius ſit,quàm abſque trium linguarũ ſaltem mediocri cognitione, ad eius vel tractationē publicam,vel diſciplinā accuratam,accedere.

Quæ ſanè eo loco quum ſint; optimè illi ac preclariſſimè de Republ.hac Belgica, ac de iſta præſertim celeberrima Academia Duacenſi meriti ſunt;qui nouo quidem ſed neceſſario & ſaluberrimo inſtituto, Controuerſiarum Profeſſionem in ſchola hac Theologica, erexerunt. Neque enim omnibus vel integrũ vel tutum eſt,imò ſaluberrimis decretis interdictum eſt, ipſarum hæreſum fontes & origines,ipſaque pernicioſiſsimorum librorũ Authentica inſpicere; vel etiam dogmata Controuerſa per ſe priuato vnumquemque ſtudio, expendere, tractare,conuincere. Nec tamen tanta peſtis curari non debuit,quę in intimis Reipublicæ viſceribus graſſatur,& *ſerpit tanquã cancer*,clanculum ſe inſinuans, inſidioſè blandiens, à leuioribus incipiens, ad ſupremá im-

Profeſſionis Controuerſiarũ neceſſitas.

pietatem propellens. Itaque vt olim contra Philoſophos Chriſtianam fidem miro ſtudio exagitantes, & varijs ſtrophis ac ſophiſmatibus Ortodoxæ fidei ſimplicitatē ac puritatem contaminantes (vnde *omnium hæreticorum Patriarchas Philoſophos* appellauit Tertullianus) nobilis ſchola Alexandriç erecta eſt, cui diutiſſimè prçfuerunt nobiliſsima Eccleſiç lumina, Pantçnus, Clemens, Origenes, Dionyſius & alij; ita hodie contra hçreticos omnem fere Religionis Orthodoxç partem vellicantes, & vndiq; oggannientes, ſapienti conſilio hçc Controuerſiarum profeſsio inſtituta eſt, quç illorū fraudes omnes in ſingulis Controuerſijs aperiret; Orthodoxæ partes omnes ſolidè defenderet; Paſtores animarum ſaluberrimè contra ouium certiſſimam peſtem inſtrueret; ipſas oues egregiè contra hçreſes muniret, Sacrç paginç ſententias ab illorū deprauationibus vindicaret; ſuúmque verbo Dei verum atque germanum ſenſum reſtitueret; Hiſtorias, Patres, Concilia, & vniuerſam purioris (vt loquuntur) Eccleſiç antiquitatem, pro Orthodoxa ſtare demonſtraret.

In Prçſcrip.

Ad quam ego his diebus, vtriuſque Senatus Academici & Ciuici iudicio aſſumptus, quod operç ac ſtudij prçſtare, quem fructum afferre valeam; equidem incertum habeo. Illud tamen vnum conſtanter aſſeuerare nō vereor; ſi quid in re theologica valeo, poſſum, intelligo, id me in hoc diſciplinç genere potiſ-

ſimum

ſimum ſcire & intelligere. In quo quidē genere, vt aliquid ſcirem, Sanctæ Theologiæ ſtudium ab ineunte ætate ſponte amplexus ſum; vt haberē ſanè quo Orthodoxam fidem, in qua puer natus ſum, aduerſus circumlatrātes hęreticos in medio quorū educatus ſum, ſtrenuè defenderē. Neque verò minor mihi nunc voluntas adeſt, eam alios docendi, atque aduerſus Eccleſiæ hoſtes propugnandi ſtudiū, quam olim aderat eam priuatim diſcendi. Imò certè (vt quod res eſt dicam) libentiſſimè id doceo quod olim auidiſſimè didici. Hęc eſt enim profectò illa ſcientia, *quam ſemper ſine ſimulatione didici, & ſine inuidia communicaui.* Quapropter ſi in hac obeunda prouincia, voluntatis propenſio alacris quicquam valet (quæ in rebus arduis præſtādis vel maximè valere ſolet) eam certè in me maximam & vehementiſſimam hic adeſſe, exiſtimetis velim. Quum enim in hac profeſſione, duo potiſſimū ſpectare (ni fallor) Profeſſor debeat; primum hęreticos quàm maximè traducere, eorum fraudes, mendacia & imperitiā, blaſphemias & errores, & id genus alia aperire, oſtendere, & demonſtrare, arguere & refutare; Deinde Auditorum, & præſentis temporis neceſſitati, atque vtilitati, in toto docendi genere hæc omnia accommodare; illud profectò ſemper libentiſſimè feci, iſtud eo nunc libentius faciam, quantò me huiuſmodi Auditores habere certius intelligo, qui nihil prius nihil antiquius

quius habent, quàm in orthodoxa & Catholica fide, nequicquam vndique circumlatrantibus hæreticis ſanos & integros perſiſtere: alios etiam vt idem præſtent, docere & monere poſſe. Itaque omnia de nobis optima ſperare licet. Faciet profectò veſtra in audiendo ſedulitas & aſſiduitas, vt ego in docendo minimè futurus ſim piger aut perfunctorius.

HÆRETICORVM HODIE ET VETERVM PHILOSOPHORUM comparatio, circa quæſtionem de vera Iuſtitia,

Oratio ad vniuerſam de Iuſtificatione Christiana doctrinam in Scholis traditam præliminaris.

Cyprianus de Vnitat Eccleſiæ. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 15. Chryſoſt. in Matth. homil. 48. operis imperfecti.

SApienter obſeruarunt maiores noſtri (Auditores) *idolis gentium, Chriſtianorũ hæreſes ſucceßiſſe.* Quę obſeruatio quum latè pateat, eò potiſſimum valet, vt nos doceat per hæreticos, illud poſt Euangelij lucem Satanam tentaſſe, quod antea per idolorum cultum tentauit, effecit, obtinuit. Homines nempe, quorum ſemper ſaluti hoſtis capitalis inuidit & inſidiatus eſt, à veritatis cognitione & vera pietate, quum extinctis falſis cultibus amplius non poſſet, per falſas doctrinas, ſanctiſſimo Chriſtianiſmi nomine velatas, abducere conatus eſt. Idola autem quibus hæreſes ſucceſſerunt, non ſaxa tantum

tantum & ligna, quæ pro Dijs gentes coluerunt, nec fabuloſa ac myſtica ſolum de Dijs Theologia, ſed & ipſa Philoſophorum vana phantaſmata, atque inania commenta, tàm de Angelis & Dæmonibus, quam de ſummo bono ac beata vita, intelliguntur. *Eſt enim iſte alius deterior & inferior ſimulachrorum cultus* (ait Auguſtinus) *quo phantaſmata ſua homines colunt, & quicquid animo errante, cum ſuperbia vel tumore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine obſeruant.* Illa ergo à Poetis tradita atque conficta, falſa religione; iſta à viris, vt ſibi videbantur ſapientibus, adinuenta, falſa ſapientia homines imbuebant. Ac illa quidem ſimpliciorum animos, vana ſuperſtitione obſtrictos tenebant. Hæc magnis & præclaris ingenijs in errorem pertrahendis, ſubſeruiebant. Vt non ſine cauſa Scæuola Pontifex ſtatuerit, *Philoſophorum placita celanda eſſe, quia non congruunt ciuitatibus.* Varro autem non ſit veritus edicere. *Expedit falli in religione ciuitates.* Quare illi ex vera Dei ignoratione, creaturas pro creatore, colebant; hi, *quum verum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum, glorificauerunt.* Vtrumque hoc Satanæ opera, *qui operatur in filiis diffidentiæ*, confectum eſt. Veritate autem ipſa, è cælis tandem toti humano generi patefacta, & ſanctiſſima noſtra religione conſtituta, per hæreſes *tentauit inimicus homo, bono ſemini ſua ſuperſeminare Zizania*, & veritati errorem, religioni ſuperſtitionem, ſupponere.

De vera relig. cap 38.

Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 4. c. 27.

Rom. 1.

Epheſ. 2.

Matth. 13.

Atque

Atque olim quidem per ſingulas ferè ætates vbertim & plenè; hodie verò ſtudioſiſsimè atque diligentiſsimè id præſtitit. Nam horum temporum hæreſes, quum partim in veræ religionis odium ſimpliciorum animos abſtractos, varia ſuperſtitione eos liberaſſe videri volunt; partim grauiora ingenia quadam ſapientię opinione in ſuas partes attraxerint, vtroque modò Satan maximas hodiê animarum ſtrages dedit.

Hæret. hodie duplex. impoſitu.a.

1. Sed religionis odium extincto ſacerdotio, ſublato ſacrificio, violatis Sacramentis, maximeque Authoritate Eccleſiæ deſpecta & conculcata inuexit; & vulgus hominum noua rerum omnium facie, ritibus, ceremonijs, totaque politia nouâ illexit.

2. Sapientiæ, eruditionis, & pietatis opinionem, in ſola Iuſtificationis doctrina, ſedatis, & modeſtis ingenijs perſuaſit. In hac enim vna doctrinæ parte, quaſi noua Academia erecta, multa noua decreta, de natura, de gratia, de fide, de mediatore, de virtutum ac vitiorum cauſis, merito diſcrimine; denique de vera iuſtitia, & vnica ad beatitudinem via, tradiderunt; aſſerendo, diſputando, definiendo, quæ maiorum noſtrorum memoria vel ignorata, vel malè explicata fuiſſe, illi affirmant. Atque hoc in loco, vt Socrates olim tota reliqua tam falſæ religionis ſuperſtitione, quam de rerum principijs confuſa labyrintho, totaque Iouica (authore Mileſio) contempta diſciplina, iuxta illud ſuum, *quæ*

Lactant, libro 3. Auguſt de Ciuit. Dei lib. 8 c. 21. Theodor. de Curat. græc. affect. lib. 1.

ſupra

Supra nos, nihil ad nos, Pythagoricam & Italicam longo tempore interruptam diſciplinam renouauit, & ad ſummi boni atque fælicitatis humanę indagationem, animum applicuit; ſic Lutherus & alij horum temporum magiſtri noui, intermortuam quandam de vera Iuſtitia, veraque beatitudinis via, doctrinam reſtauraſſe, & primi poſt Apoſtolos ſapienter intellexiſſe, dextereque explicaſſe, videri volunt, & inflatè iactitant: Oſtendam igitur hoc loco, comparatione breui Philoſophorum veterum & hæreticorum hodie inſtituta, ſeductorem Satanam non minus in iſtis quam in illis, efficacem fuiſſe. Theſis.

Vnus igitur Socrates, qui hanc de beata vita & ſummo bono diſciplinam diu intermortuam ſuſcitaſſe perhibetur (vt in re medica Hippocratem feciſſe ſcribit Plinius, quum ab Æſculapij ætate illa ars iacuiſſet) eam ſapientiæ opinionem & laudis exiſtimationem conſecutus eſt, vt hic ſolus, *oraculo Delphico ſapiens* ſit iudicatus; vt *huius ætate ac tempore, ſe natum fuiſſe*, maximæ fælicitatis loco duxerit Plato; vt hic denique Plato ſectator eius ſtudioſiſſimsu, *diuinus* fuerit cognominatus; Vt poſtremò contra hunc ſolum eiuſque diſcipulos, contemptis alijs omnibus diſputandum ſibi diligenter Auguſtinus noſter iudicauerit, quando veterem omnem Philoſophiam, à veritate aberraſſe, oſtendere voluit. Ab altera parte. Vnus hodie Lutherus Iuſtitiam

Natural. hiſt. lib. 26. cap. 2. & lib. 19. c. 1.

Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 8.

Lutherus Socrati cōparatus.

tiam fidei multis antea ſeculis(vt ſui affirmãt) penitus ignoratam, ita primus intellexerit, explicuit, illuſtrauit, vt vel hoc ſolo nomine, Maximus religionis reſtaurator, nouus Euangeliſta, alter Elias à ſuis prædicetur: vt hoc accepto beneficio, plurimum illi debere Eccleſiam Dei, vt denique hanc vnam rem initio commendationem maximam apud omnes bonos, Luthero attuliſſe Confeſſioniſtæ Auguſtani ſcripſerint.

Apolog. Confeſſ. Auguſt. art. 11.

Sed expendamus an melius de Eccleſia Dei, Lutherus iſte, quam de humano genere, Socrates cum ſuis meruerit. In vniuerſa Socratica diſciplina, nullũ axioma in ſpeciem laudabilius aut verius, quàm *in virtute ſummum bonum poni, & illam propter ſe expetendam eſſe.* Quod quidem retinuerunt Peripatetici ac Stoici licet ſenſu, aut ſaltem verbis differentibus: ipſi quoque Academici vt cætera: approbando, non aſſerendo. Inſipienter tamen & imperitè omnes. Quum enim virtuti nullum prẹmium pollicentur, niſi ſolius honeſtatis & laudis; & conſequenter, nullam peccato pænam minantur, niſi ſolius turpitudinis; factum eſt profectò, vt vim virtutis neſcierint, cuius præmium ignorarunt. Si enim quanti apud remuneratorem Deum vera virtus valeat, exploratum habuiſſent; neque tam exiliter de virtutis præmio, iudicaſſent, neque tam exiguis finibus eius formam ac rationem, comprehendiſſent. Quid verò hodie Lutherus?

Socraticorum in primario dogmate error.

rum? Sola fide & vnica mediatoris Iuſtitia credenti imputata contentus, nihil ad iuſtitiam hominis facere, nullam iuſtitiæ laudem ac mercedem promereri virtutes reliquas, affirmat. Iſtud verò non imperitè tantum, ſed & impiè. *Ego* (inquit Cato) *ſi ſapiens ſum ideo ſum ſapiens, quod naturam ducem tanquam Deum, ſemper ſequutus ſum.* Stultiſsimè id quidem, qui à terra iſta mentis oculos attollere non potuit, qui & ipſam (quam ſequi aiebat) naturam corruptiſſimam, & peccati non virtutis ſeminarium eſſe neſciebat; qui denique quicquid in naturæ bono ſupererat (non enim in vniuerſum peccato primigenio ſublatum eſt) illud tanquam Deum ſequeretur, quum opus illud Dei eſſet, & à largitore Deo profectum, non Deus ipſe; nec tamen adhuc ſingulare eius opus & adiutorium, quo vera virtus perficitur. Stultè, inquam, & miſera veri Dei ignoratione cogitata, à Philoſophis hæc ſunt. Cic. de Senect.

Sed maxima hodie Lutheri & ſuorum impietas eſt, Dei dona quibus natura ſanatur, quibus vera virtus conſummatur, non agnoſcere, obſcurare, tollere. Illud ſaltem præſtitit Philoſophia, vt minus mali illius ſectatores eſſent. Virtutem enim dum colunt, etſi nec rectè nec completè, à vitijs tamen multiplicibus, eo modo abſtinuerunt. Hæc autem noua hodie doctrina, de corruptione naturæ nondum per gratiam ſanata, de fomite in renatis reliquo qui veri nominis peccatum ſit (vnde Hæret. hodie impietas in primario doctrinæ Capite.

Gg non

* Caluinus in com. ad Rom. 7. v. 18. & ſeq.
* Beza Annotat. in 2. Cor. 3. v. 8.
Hæretici hodie Philoſophis deteriores.

non imperfecta *tantū ſed & immūda ac fœda ſit, omnis renatorum iuſtitia) de nulla virtutum niſi imputata bonitate (habere quippe iuſtum virtutis deſiderium ſed ſemper in efficax) ac denique * Spiritum Dei datum eſſe vt credamus, non eſſe datum vt legem præſtemus, facit ſanè vt ſint homines peſſimi. Ineptus quidem ille, & bis miſer, qui Philoſophorum tantum præceptis imbutus, maximo conatu currit, ſed extra viam & curſu inani; tam viribus deſtitutus, quàm rectam viam finemque viæ ignorans. Sed ter impius ille, qui viam & finem viæ in recta religione (quæ fons pietatis eſt) edoctus, viribuſque donatus vt currat, abijcit tamen Lutheri placita ſequutus, & aſpernatur illas; & cum largitoris iniuria parum validas vociferans, aut deſperata vitiorum victòria vitijs indulget, ſola Domini indulgentia confiſus; aut virtutem ciuiliter colens, hominibus non Deo, officium præſtat, quia præmium virtutis à remuneratore Deo, non exſpectat. Deteriores igitur hac ex parte & veræ pietatis hoſtes magis infenſi ſunt horum temporum ſectarij, eo ipſo in dogmate quod illis omnium & ex verbo Dei certiſſimum, & hominibus maximè ſalutare eſt viſum; quam meliores illi Philoſophi eo quoque in dogmate, quod ad veram ſapientiam maximè accedere videbatur.

At inquiunt illi, iuſtitiam & virtutem nequaquam

quaquam nos deſtruimus. Docemus enim *Stoicorũ & hæret. hodie doctrina ſimilis.*
pijs quidem operibus ſedulò iucubendũ eſſe,
ſed gratuitas operas collaudamus, quæ ex ſolo
Dei amore & animi gratitudine profectæ,
mercedem nullam appetunt. Sic ſanè Stoici, *Cic. de Senect.*
quorum illa vox eſt, *virtutem vtcúmque ſuis præmijs ſpolietur, imò etiam rapiatur, vexetur, extermine- tur, egeat, tamen ſeipſam multis ſolatiis oblectare, maximeque ſuo decore ſe ſuſtentare.* Ita ſanè iſtis cum
prophanis hominibus, philoſaphari libet. At
aliter diuino ſpiritu inſtructus Apoſtolus, cu-
ius illa vox eſt. *Si in hac vita tantum in Chriſto ſpe- rantes ſumus, ſi mercedem à* Chriſto poſt hanc *1.Cor.15.*
viram non ſperamus; *miſerabiliores ſumus omni- bus hominibus.* Virtus ergo (ait Lactantius)
mercedem ſuam à Deo Iu. ice accipiet: quam ſi tollas, *Diuinarum Inſtit lib.5.*
nihil poteſt in vita hominum tam inutile, tam ſtultum videri, quam virtus. Prorſus ergo hæc noua do-
ctrina, virtutem omnem ad ſtultitiam redigit, *Virtutẽ ad ſtultitiã redigunt hæretici.*
cum Carneade Academico. Diſputans enim
ille apud Tullium contra Iuſtitiam, *Iuſtus,*
(inquit) *ſi aut equum ſaucio, aut tabulam naufrago non ademerit, quum in periculo vel hoſtium, vel nau- fragij verſatur, ſtultus eſt. Ipſi enim pereundum eſt* *Cic. de Rep. lib.3. apud Auguſt. de Ciuit. Dei lib.2. c 21.*
niſi fecerit. Cur enim ſic diſputauit (ait Lactantius)
niſi quia ad hanc vitam temporalem referebat omnia, virtutiſque præmia quæ ſunt æterna & immortalia, *Lactant. lib.5.*
non videbat? Qui autem Iuſtitiæ præmium, in-
iuſtitiæ pænas reddi firmiter credit, vitam
potius præſentem, quàm Iuſtitiam deſeret.
Et quis non videt omnem penè hodie Iuſti-

tiam,ſtultitiam videris, poſtquam mercedis deſperatio, noua fiducia, & ſola iuſtificans fides,hominum pectora poſſidere cæpit? Planè diſputatio Furij vel Carneadis potius,apud Marcum Tullium, *ſapientem non eſſe qui iuſtus ſit, & naturalem iuſtitiam in crimen venire, ciuilem vero iuſtitiam, ſapientiam quidem eſſe (quia leges publicæ eam tuentur, quas vir ſapiens non violabit) ſed iniuſtam & violentam*, per hanc huius nouæ doctrinæ fiduciam & ſalutis certitudinem,prorſus obtinuit. Sublato enim metu omni Iuſtitiæ diuinæ (hunc enim vt conſcientijs hominum eximeret, ſpecialem ſuam fidem atque fiduciam adinuenit Lutherus) actiuam illam Dei iuſtitiam qua in peccatores animaduertit, prorſus exhorrens & exoſam habens (vt alio in loco ex ipſius verbis oſtendimus) & erectis hominum animis, *ad indulgentiæ fiduciam, diuinæque erga ſe beneuolentiæ cognitionem certam* (quibus verbis ſuam fidem ſaluantem definit Caluinus) non vera tantùm pietas Dei legibus præſcripta, ſed & ea quam natura dictat, rectè & honeſtè viuendi ratio, apud huius ſectæ homines, extincta iacuit; ſolæque leges publicæ in officio illos continere potuerunt. Quanquam & illas quoque è medio tollere non eſt verita, procaciſſima horum temporum hæreſis. Docuit enim diſertè Lutherus, *hominem Chriſtianum nullis legibus teneri.* Legum ergo ſapientia huic homini non ſecus quàm Carneadi, iniuſta eſt viſa.

Orat. ſeq.

Iuſtit lib. 3 cap. 2.

In lib. de liber. Chriſt.

Magnum

Magnum tamen hic diſcrimen eſt, quòd Carneades iſtud diſputando in Senatu aſſeruit more Academico (pridie enim pro iuſtitia perorauerat) iſte autem vt dogma Euangelicum & doctrinam cæleſtem (*omnia enim ſua dogmata è cælo ſe accepiſſe* affirmare & ſcribere, furcifer non eſt veritus) hoc dogma ſuis tradidit. Quare & fructus longè diuerſi, Lutheri doctrinam hodie & Academicas illas olim diſputationes, ſequuti ſunt. Erroris illæ magiſtrę fuerunt, impietatis iſta.

In lib. contra Regem Angliæ.

Sed parum adhuc eſt, horum temporum ſectarios vel virtutum ſtudium cum Stoicis depreſſiſſe, quum illud maxima cõmendatione erigere ſeſe exiſtimabant, vel verã Iuſtitiã ad ſtultitiã cũ Carneade, redegiſſe. Etiam ad Atheiſmũ hęc doctrina peſtilens ducit, à Stoicorum placitis incipiens, ſicut olim Epicuri veſana dogmata, à Stoicorũ quoque propoſitis aſſumpta, ad eundem deducebant. *Ira non eſt in Deo vt puniat malefacta, quia paßio eſt Deo indigna*, aiebant Stoici Zenonem ſequuti. Aſſumpſit Epicurus; *Si ira in Deo non eſt, nec etiam gratia aut beneficentia, qua benefacta remuneret; ideoque nec habet ipſe negotium nec alijs exhibet, ſed nihil curans ſeipſo beatus eſt* Ex hac Stoicorum propoſitione & Epicuri aſſumptione, concluſit Diagoras & Cyrenæus Theodorus, non eſſe Deum. *Si enim nullo affectu mouetur, ſi nulla cogitatio, nullus ſenſus, nulla cura ei ineſt, quæ intelligibili naturæ ſunt propria, prorſus non eſt.* Sed hoc præcipitium nec

Veterum atheiſmus à philoſophorum placitis cæpit.

Lactantius in lib. de Ira Dei.

Stoicus cogitauit,nec prȩuidit Epicurus; Vnde factum eſt,vt veterem Academiam,Socratem,Platonem deſerentes, ad damnatũ prius Protagorȩ atheiſmum,ſectatores ſuos imprudentes reducerent.

Nouus atheiſmus ex hæreticorũ hodie placitis ortus.

Idem hodie nouis impietatum Magiſtris accidit. *Bona virtutum opera nulla mercede retribuit Deus; imò vitijs magis quā virtutibus accenſenda ſunt,* ait Caluinus etiam contra ipſos Lutheranos, qui etſi non vitȩ æternȩ,aliam tamen & multiplicem bonorum operum,mercedem agnoſcunt. Si bona opera non remunerat, malefacta eum punire quis cogitabit? pulchrè Lactantius. *Illud nemo de Deo dixit vnquam, iraſci eum tantummodo, & gratia non moueri. Eſt enim diſconueniens Deo, vt eiuſmodi poteſtate ſit præditus qua noceat & obſit, prodeſſe verò ac benefacere, nequeat.* At hoc omnes hodiè noui ſeductores, Deo attribuunt. Volunt enim eum pœnis æternis peccata mortalium, vt iuſta mercede,punire. Nolunt eum virtutes iuſtorum æternȩ vitæ retributione, vt vera mercede,donare. Sed vnus Caluinus,in Atheiſmi barathrum præcipiti curſu rapit & rapitur. Tollit enim pijs metum omnem diuinæ iuſtitiæ, & ſolam reuerentiam ad ſalutis negotium admittit, vt ſeqq. diſputationibus latius explicabitur. Vt quid ille timor tollitur, & perpetua fiducia gratuitæ beneuolentiȩ ſubſtituitur,niſi quòd vt remuneratorem bonorum Deum negat,ita nec vindicem malorum illum agnoſcit? Ve-

Inſtitut. libro 3. c. 15.

In libro de Ira Dei c. 3.

Inſtitut. lib. 3. cap. 2. num. 22.

rus

rus Atheiſmus eſt iſte, quo omnis è medio tollitur religio. Prorſus enim coniuncta ſunt ſapientia & religio. Hæc ſpectat ad filios & amorem exigit. Illa ad ſeruos & timorem poſtulat: connexa hæc ſunt, nec vnum ſinè altero eſſe poteſt: Deus enim nec cognoſcitur niſi à filijs, nec colitur niſi à ſeruis. Qui Deum patrem neſciunt, ſimiles ſunt filijs abdicatis, qui hęreditatem patris non aſſequuntur. Qui ſcientes, vt dominũ non colunt, ſimiles ſunt ſeruis fugitiuis, qui pœnam ſempiternæ mortis nō effugient. Et veteres Philoſophi olim, & noui ſectarij hodiè, Deum cognouerunt, ſed vt dominum non coluerunt, nec glorificauerunt, *ſeruientes ei in timore.* Sic veram religionem qua Deo, vt domino ſeruitur, qua colitur & glorificatur Deus, hodierna hęreſis ſublato diuinę iuſtitię timore, ſuppoſita perpetua indulgentię fiducia, negata boni operis mercede, penitus ſuſtulit, & rectà ſuos ad atheiſmum deduxit. Pſalm. 2.

Sed & alia illorum dogmata ad idem barathrum impellunt. Negant libera voluntate operari iuſtos bonum, quia bonum opus, ſola gratia facit. Quod videns Lutherus, intulit quoque nec ipſum malum liberè fieri, ſed impellente natura tota vitioſa. Addit Caluinus, vt Stoicorum fatum & connexionem cauſarum ſtultitia excederet, impietate ſuperaret, Deum *ad omne flagitium non permittendo tantum, aut deſerendo aut ordinando; ſed planè efficaciter operando, for-*

Alius atheiſm' nouus

Inſtitut. lib 1. c. 17. n. 6. & ſeqq. & c. 18 n. 2. Lib. 2. c. 4. n. 2. & ſeq.

Apud Theodoretum de curat græc. affect. lib. 5. *do, fortiter impellendo, ac demum ab æterno deſtinando, concurrere.* Sic quod Plato videre & arguere potuit, *non eſſe Deum authorem malorum, aut ſi eſt, Deum non eſſe; quando Deo nihil magis eſt Deo propriũ, quàm ſua bonitas,* hoc Caluinus & videre & aſſerere, & defendere, nihil exhorruit. Sic ille poſt Protagoram atheiſmi vexillum erexit, & orbi Chriſtiano peſtilens ſeductor, illuſit.

Eſt hic igitur aliud Satanæ ſtratagema obſeruandum, quo per hęreticos hodiè, ſicut per Philoſophos olim, homines ſeduxit. *Ille nempe* Diuinarum Inſtit. lib. 3 (ait Lactantius) *inſidiatur vniuerſis. Sed eos qui Deum neſciunt, errore impedit, ſtultitia obruit, tenebris circunfundit; eos autem qui Deum ſciuit, primum dolis & aſtutia aggreditur, vt cupiditate ac libidine irretiat, ac peccati blandimentis deprauatos, impellat ad mortem. Quod ſi dolo nihil profecerit, vi & violentia deijcere, conatur.* Primum horum perſuaſa Deorum multitudo effecit, quę vana ſuperſtitione homines obſtrinxit. Alterum non in falſa tantum, ſed & in vera religione effectum dedit, & vt latam viam ambularent, tam vera quam falſa Dei cognitione imbutos, impulit. Sed illis nocendi artibus, partim à natura ipſa deprehenſis, partim multoque excellentius vera pietate diuinitus data deluſis, tertium aggreſſus eſt, nouaque & mirabili fraude tam per Satanæ ſtratagema ad omnem pietatem ſenſim tollendam. quoſdam olim Philoſophos, hoc nomine indignos (Epicureos) quam per noſtræ ætatis hæreticos, Chriſtiano nomine indigniſſimos, ipſam pietatis opinionem & rectè viuendi neceſ-

neceſsitatem, (quam ſibi omnes perſuaſam
hactenus habebant) hominũ animis eximere,
tentauit. Quod vt efficeret, ſuos ſatellites
egregijs iſtis paradoxis inſtruxit, [a] *cogi hominẽ* a Luth. de
ad malum naturæ impulſu. [b] Dei quoque volunta- capt. Babylon.
te, actione, deſtinatione, huc vnumquemque b Cal. locis
ferri atque propelli. [c] Viribus gratiæ naturam citatis.
non reparari, vt *opera legis præſtet, ſed tantummodo* c In Annot. ad 2. Cor. 3
vt credat. [d] Nec adiutorem, ſed liberatorem tan- ver. 3.
tum, mediatorem hominum Chriſtum fuiſſe. d Cal. Inſt. lib. 3. c. 17.
Diuina gratia quã agnoſcere coguntur, [e] non num. 2.
liberè ſed ſpontanèe tantùm quo vt bruta e Cal. Inſti. lib. 2. cap. 3
agunt modo, vnumquemque trahi. Studia num. 8.
virtutum inania ad ſalutem eſſe, nullam iu-
ſtitiæ partem continere: ſupremo numini ad
æternam fælicitatẽ capeſſendam accepta non
eſſe: ſolam fiduciam perpetuam deſiderari, ſo-
la certitudine ſalutis & gratię, nitendum eſſe.
Hæc eſt illa vis & violentia quam cæteris
fruſtra tentatis, auſus eſt tandem inferre Sa-
tanas. Et ne tanta impietas (qua nulla maior
cogitari poteſt) à melioribus ingenijs atque
animis prima ſtatim facie repudiaretur, laruas
pietatis impoſuerint ſectarij multas & varias.
Sic enim oportuit turpiſſimam beſtiam orna- Laruæ hæreticorum
ri, ne à quoquam quę eſſet facilè agnoſceretur. ad ſummã
Primũ paterna ſummi Dei liberalitas illuſtra- impietatẽ obtegendã
tur, qui omnia gratuitò propter filium donat.
Et ideo (ait Beza) *gratiã præſtandi legẽ non dat, vt ſuã* Annot. in
miſericordiã indignis oſtendat. Deinde mediatoris 2. Cor. 3.
fides extollitur, pręciũ orbis ab illo perſolutũ ver. 3.

commendatur. Illius iuſtitia, integritas, perfectio, noſtra ſingulorum deputatur. Accedit diuinus ſpiritus, non qui intus cor tangat, mentem imbuat, illuminet, accendat; ſed qui dona illa gratuita obſignet, & certitudinem illam atque fiduciam ab hoſte perſuaſam, ſuo teſtimonio confirmet, ſtabiliat, roboret: ne vlla ſit amplius ambigendi cauſa, ne vllus ſuperſit pietatis ſtimulus, peccati horror aut Dei timor; quo tandem perculſus ſapias & reſipiſcas. Sed nos in ſeqq. Diſputationibus has laruas omnes fauente Chriſto, detrahemus, impietatem variam detegemus, beſtiam in apertum productã, verbo Dei ingulabimus.

Fingitur à Poetis (qui ante natum Philoſophiæ nomen pro ſapientibus ſunt habiti) Iuſtitia terras deſeruiſſe, poſtquam Saturnus è Regno ſuo per Iouem filium ſummo ſcelere expulſus eſſet, pariterque aureum ſeculum deſijſſe, creſcente in immenſum ad exemplum impij Regis, omnis generis impietate. Contaminata hodie per nouos dogmatiſtas vera iuſtitiæ doctrina, & libertate Euangelica, quam illi prædicant ſuperinducta, rurſum terras deſeruit iuſtitia. Quæ vt olim abiens veritatem ſecum traxit, & pulſo Saturno reliquit hominibus errorem, ignorantiam, cæcitatem, multiiudine Deorum ſtatim inuecta; ſumpto à Ioue & Iunone, alijſque eius ſeculi impijs & potentibus hominibus, exordio; ſic hodie ſublata Iuſtitia multiplici peſtilentum hęreſum

Iterũ terras Aſtræa reliquit.

hæreſum fætu, ſeu hydra potius, orbem Chriſtianum compleuit. Odium Iuſtitiæ Dei actiuæ quod Lutherus conceperat (vt ipſemet fatetur) fiduciam iuſtificantem peperit. Fiducia, pietatis ſtudium ſuſtulit. Sublata pietas, cæcitatem mentibus inuexit, lumen fidei extinxit, & obſequium fregit; fractum & violatum fidei obſequium, ſuperbiam generauit. Generata ſuperbia, tot hæreſum portenta quibus hodie mundus agitatur, fabricauit; vt illud iam Prophetæ propemodum obtineat, *Iuxta numerum ciuitatum tuarum, facti ſunt tibi Dij tui Iuda.* Sic ſeneſcente mundo, exulat iuſtitia, extinguitur veritas, opprimitur pietas, iacet religio, refrigeſcit charitas multorum: vt verum eſſe poſſit, quod veritas prædixit. *Putás ne quum veniet filius hominis, inueniet fidem in terra?* Satis opinor manifeſtum eſt, id per ſectarios hodie ad Iuſtitiæ & virtutis vim totam excindendam, Satanam egiſſe, quod per falſę ſapientiæ Magiſtros, ac falſę religionis inſtituta, olim perfecit.

In 1. præfat. oper. ſuorum.

Ierem. 2.

Luc. 18.

Sed erit hæc Satanæ operatio, *qui operatur in filijs diffidentiæ iniquitatis myſterium*, in nouis hodie ſectarijs magis adhuc illuſtris ac perſpicua, ſi concertationes illorum præſentes de vera Iuſtitia Philoſophorum certaminibus de ſummo bono conſimiles eſſe, pari errore & contentione progreſſas fuiſſe, oſtendamus. Arguet enim vtriuſque ſimilitudo, eiuſdem authoris & Magiſtri, efficaciam. Poſt varias de ſum-

Epheſ. 2.

2. Theſſ. 2.

Veterũ philoſophorũ certamina de ſummo bono.

de ſummo bono diſputationes vanas & friuolas, vna tandem extitit ſententia *Philoſophorum voce digna*, ait Cicero, quæ in virtute & honeſtate illud ponit. Hanc enim huiuſque actionem ſummum extremum & vltimum bonorum eſſe, ad quod natura peruenit, & in quo conquieſcit, hanc per ſe eſſe expetendam, cætera propter hanc ſummis Philoſophis totique veteri Academię placuit, Socrati, Platoni, Speuſippo. Sed hanc tam celebrem ſententiam non eodem modo, qui hos ſequuti ſunt vel acceperunt, vel tradiderunt. Ariſtoteles, Xenocrates, & Theophraſtus, Peripatetici veterum ſententiam proximè aſſecuti, ſic virtuti eiuſque actioni, ſupremum locum tribuerunt; vt alia tamen animi & corporis bona eſſe, & *ad beatæ vitæ complementum, expetenda* aſſererent. Et hæc quidem animi & corporis propria, tanquam prima ſecundum naturam; vt ingenium ſcientiam in animo, in corpore incolumitatem, conſeruationem omnium partium, valetudinem, ſenſus integros, vires, pulchritudinem, doloris vacuitatem, cæteraque his ſimilia; propter ſe expetenda, & ad beatæ vitæ complementum, acceſſiones eſſe, paruas quidem & exiguas, & quibus carere beatus poſſit, aliquas tamen & veras iudicarunt. Quia ſine illis beatus, non tamen beatiſſimus, exiſteret vir bonus. Alia vero fortunæ bona & extra hominem poſita, vt parentes, liberos, propinquos, patriam, diuitias,

De finibus lib. 5.

tias, expetenda quoque, non tamen ſummo bono contineri, aut ad eius complementum, deſiderari. Ab hac peripateticorum explicatione ſic receſſerunt Stoici authore Zenone, vt virtutem eiuſque actionem non ſummum tantum, ſed & ſolum bonum ſolumque propter ſe expetendum, aſſererent. Cætera præter virtutem ipſam ſeu animi, ſeu corporis bona, *nec bona, nec expetenda dici debere, ſed commoda, & ſecundum naturam* appellari, voluerunt. Atque ita eius vitam, qui cum virtute illa coniuncta haberet, non meliorem, non beatiorem illo, qui eis careret, ſed *magis eligendam atque præponendam*, affirmabant: eſſe enim illa corporis aut fortunæ aduerſa, non mala aut fugienda, *ſed aſpera & incommoda* vocanda: vitam tamen in perpetua virtutis actione cum illis omnibus coniunctam, perfectè beatam atque fælicem eſſe. Atque hanc Stoicorum diſſentientem ſententiam, verbis tantum non re differre ſuſtinet Cato Stoicus apud Ciceronem: nec ipſe abhorret Cicero 1. de legibus. Sed magis euidens fuit aliorum Sroicorum à peripateticis repugnantia, qui Ariſtonē Chium ſecuti, præter vitia atque virtutes, negarunt rem vllam eſſe vel fugiendam, vel expetendam; ſed omnia eſſe paria planeque indifferentia, præter vtrumque hoc genus. Atque iſtæ aliæque controuerſiæ de ſummo bono, Academicorum ſectam pepererunt, *qui nihil percipi in rebus omnibus poſſe certum & exploratum*, id eſt, quod

Stoicorum ſentētia 1.

De finib. lib. 3.

Stoicorum ſententia altera.

Academicorum ſententia.

quod ita ſit verum vt falſum eſſe nequeat; pro certo tamen & explorato (ſaltem plerique) tenuerunt; etiam de hoc ipſo an certum eſſet dubitantibus alijs.

Quibus ita breuiter explicatis videamus nunc, vt noui hodie Magiſtri Lutherum ſequuti, principale hoc dogma de vera hominis coram Deo Iuſtitia, tradiderint & explicuerint. Placuit Luthero in ſola fide iuſtitiam ponere, poſtquam didicerat illo vocabulo non illam iuſtitiam qua Deus iuſtus eſt, & malefacta punit, ſed nec illam qua iuſtos facit iuſtitiæ donum impartiens, ſed ſolam Mediatoris iuſtitiam nobis imputatam, intelligi debere, eamque fide apprehenſam veram eſſe iuſtitiam fidei qua iuſtificamur, id eſt qua iuſtitiam & ſalutem coram Deo, conſequimur. Sed hanc tanti viri ſententiam, non eodem modo qui eum ſequuti ſunt, acceperunt. Reliquias enim præter fidem virtutis, ipſam maximè charitatem eiuſque actiones, Philippus Melanchthon huius Socratis alter Plato, vel alter Platonis Xenocrates, & qui eum ſequuti ſunt molliores Lutherani, vel etiam Melanchthonici dicti, ad iuſtitię Chriſtianæ complementum, prorſus accedere debere affirmarunt. Quare & eſſe ad ſalutem neceſſaria bona virtutum opera, nec ſine illis fidei iuſtitiam conſtare poſſe, etiam hodie docent Maioriſtæ horum diſcipuli. Sed Flaccus Illyricus, tanquam alter Zeno Stoicus, hanc

Hæreticorũ variæ ſententię de vera iuſtitia.

In Repetitione Confeſſionis Auguſtanę.

hanc mollitiem deteſtatus, non ſolum à Iuſtitiæ & ſalutis efficientia, ſed etiam ab omni eius complemento, bona opera arceri vult. Nec defuerunt ex eius ſocijs, *Nicolaus Amſdorfius & Nicolaus Gallus, qui ea etiam ad ſalutem pernicioſa eſſe aſſererent, & docerent. Illo ſanè Ariſtone Chio duriores, qui cætera præter virtutem paria quidem indifferentia tamen cenſebat, ſiue adeſſent, ſiue abeſſent. Nec ab horum ſententia multum abeſt Caluinus, qui *ſtante operum Iuſtitia, ſtare fidei iuſtitiam non poſſe, ſed illa ſtante banc neceſſario ſubuerti*, acriter contendit. Sed vt ad noſtros primi generis Stoicos redeam, negeant illi quidem ad veræ Iuſtitiæ complementum, bona opera accedere, non damnant, nec repudiant tamen. Et hoc pro magno ſcilicet virtuti donauit Illyricus. *Verum*, inquit, *eſt non excludi bona opera ac virtutes ne adſint, ſeu vt quis vetetur eas habere, ſed negantur vel eſſe media apprehendendi ſalutem, vel planè ad eam neceſſaria.* Multum illi ſcilicet debet iuſtitia, quod ſaltem non ei prohibetur comitem ſibi adiungere, virtutem. Cæterum vt Stoici veteres animi & corporis bona, ne paruas quidem ad beatæ vitæ complementum acceſſiones eſſe, vt ſaltem beatior ille eſſet, qui eam cum virtute coniuncta haberet concedere voluerunt; ſic nec noui hodie Stoici, vel minimam eſſe ad veram coram Deo Iuſtitiam ex bonis operibus, acceſſionem concedunt. *Qui bona opera ad ſalutem*

In Theſib.

Lutherani Stoici.

Inſtitut. lib. 3. c. 11.

In defenſ. contra Tiletanum cap. 6.

affert.

In claue Script. par. 2 tit. de varia prædicat. bonorũ operum. *affert, ſuas ille opes oſtentat*, ait Illyricus, *ſola fide vt mendica manu opus eſt, qua Iuſtitiam accipias & ſalutem apprehendas.* Quare & *blaſphemiam eſſe* pronuntiat, *ſi quis dicat magis iuſtum & Deo gratum fuiſſe Ioannem Baptiſtam, quàm Magdalenam aut Latronem in cruce: quia par fuit in omnibus ex ſola fide, remiſſio peccatorum.* Planè vt apud Ciceronem negat Stoicus, M. Attilio Regulo ab hoſtibus interfecto, beatiorem fuiſſe L. Metellum, qui tres filios Conſules videns in maxima gloria, domi defunctus eſt.

De finib. lib. 3.

Lutherani Peripatetici. Aliud autem adhuc eſt Lutheranorum genus magis Peripateticon, è quibus eſt Martinus Chemnitius in Examine, qui nec bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria cum Melancthonicis audent aſſerere, nec tamen à Iuſtitiæ complemento prorſus remouent: ſed contra rigidos illos & Stoicos Illyricanos, meliores illos & magis Deo gratos non verentur dicere, qui pariter cum fide morum ſanctitatem colunt, quàm qui ſola fide abſque bonis operibus, ad ſalutem aſpirant: Illyricanos iſtos pro Epicureis & Phanaticis hominibus, habentes.

Noui Academici. Nec poſtremò deſunt noui hodie Academici, qui in tanta opinionum turba de vna Iuſtitia atque ſalutis via, quaſi nihil in toto hoc genere tam verum percipi poſſet, quod non etiam falſum apparere queat, illud aſſerunt: *in vnaquaque religione ac ſecta retento fundamento, ſaluari vnumquemque poſſe.* Quę autem opinatio

natio non tam Academica incertitudo, quàm certus & verus Atheiſmus, cenſeri debet. Quis ergo dubitabit in tanta & tam conſimili circa ſummi boni in ſola virtute conſtitutionem olim, circa Iuſtitiæ & ſalutis rationem explicandam hodie, varietate, ac diſſenſione, eundem Authorem Satanam erroris & diſcordiæ magiſtrum extitiſſe? vt per ſuperbos hæreticos illud hodie efficeret, quod per vanos Philoſophos olim, effectum dedit? Quanquam hoc in loco multo & numero plures, & rei grauitate maiores, circa veræ Iuſtitiæ explicationem hæreticorum hodie diſſentientes ſententiæ ſunt, quàm circa ſummi boni inueſtigationem veterum Philoſophorũ, opiniones erant. Quod ad oculum Lectori demonſtrabunt Antitheſes Lutheranorum & Caluiniſtarũ, quas circa ſolius fidei iuſtificantis Doctrinam, in progreſſu aperiemus.

Vna autem fuit & Philoſophis olim circa ſummum bonũ, & hæreticis hodie circa veram Iuſtitiam, erroris cauſa; vnum idemque diſſenſionis tantæ & cæcitatis principium. Diuina authoritate deſtituti, ſui cerebri capita ſequuti ſunt. Illi Dei verba prorſus ignorantes, iſti Deum per Eccleſiam loquentem, aſpernantes. Sic *& Græciæ ſcholæ, & Romana eloquentia, & totius mundi inquiſitio* (ait Proſper) *circa inueniendum ſummum bonum, acerrimis ſtudijs & excellentiſſimis ingenijs laborando nihil egit, quia* — Philoſophis & hęreticis vna erroris cauſa. — Contra collatorẽ c. 6.

 ad noſ-

ad noſcendam veritatem, ſemetipſis ducibus vtebantur. Sic de Socrate eiuſque vel diſcipulis vel æmulis, annotauit Auguſtinus. *Quod cuique placuit, inde ſumpſerunt, & vbi cuique viſum eſt, ibi finem boni conſtituerunt.* Idem hodie Luthero eiuſque partim diſcipulis, partim æmulis, in veræ Iuſtitiæ noſtræ explicatione, accidit. Poſtquam enim hoc ab eis Satanas ſemel impetrauerat, Eccleſiam non eſſe audiendam, ſed ſuum cuique ſpiritum ad ſcripturarum intelligentiam ſufficere; effecit vt quot eſſent capita, tot eſſent ſententiæ. Quum igitur tam efficacem & violentam Satanæ operationem, in hoc vno primario Doctrinæ Chriſtianæ capite perſpicuam, operæpræcium duxi, abſoluta iam & ad vmbilicum perducta, de tota Eccleſiæ docentis authoritate, diſputatione; quaſique principiorum fidei firmis iam iactis fundamentis, vniuerſam hanc de Iuſtificatione noſtra doctrinam, veluti propriam ac principalem huius temporis de fide controuerſiam, aggredi & pertractare. Vos aſſiduitati & ſedulitati veſtrę, nihil remittite. Ego meo ſtudio atque officio, non deero.

De Ciuit. Dei lib 8. cap 3.

HÆRE-

HÆRETICOS HORVM TEMPORVM CIRCA VNAM DE IVSTIFIcatione doctrinam, profeſſos eſſe virtutis hoſtes, & peccati regnum ſtudiò erexiſſe.

Oratio in Comitijs Licentiæ Theolog. Duaci habita.

GRauis erat (Auditores) totius humani generis in prima parentis noſtri prȩuaricatione ruina, lapſus horrendus, & omnium rerum ſiue quæ ad hominem ipſum, ſiue quæ ad vſum eius creata pertinebant, in peius demutatio. Multum ab illa rectitudine in qua creatus eſt, deflexit: maxima derepente & intellectum caligo, & voluntatem infirmitas, occupauit. Denique, toto quaſi rerum ordine inuerſo, dominari ancilla, & imperare caro; ſubiugari domina, & captiuari mens hominis, cœpit. Auxit quoque poſtea hoc malum, conſuetudo peccandi, impunitas, exemplum. Nunquam tamen illa tanta perturbatio, aut naturæ noſtræ corruptio facta eſt, vt aut bonum naturȩ omni ex parte perierit, aut nulla rationis ac virtutis ſcintilla, remanſerit. Bonum enim originale à creatore nobis tributum, vehementer ſanè ex peccato imminutum eſt; non ita tamen deletum, quin ſicuti naturæ propagatio antè peccatum, conceſſa poſt peccatum, tamen (*operante adhuc vſque Patre cælesti*) effica- citer

August. de Ciuit. Dei libro 22. cap. 21.

Ioan. 5.

citer perdurat, ſic & naturæ bonum, rationem ſequi, virtutem amplecti, vitia fugere, homini naturaliter ante peccatum inſitum, poſt peccatum cooperante ſemper Deo, auxilio ſuo communi, & rebus creatis nunquam negato, bona quoque ex parte ſubſtiterit. Atque hinc ſanè factum eſt, vt quemadmodum, *nulla vnquam gens tam fera & immanis, nulla natio tam Barbara extiterit, quam aliqua non imbuerit religio Deorum*, ſic nulla vnquam religio ſine aliquo virtutis, rectique & honeſti ſtudio, vſquam apparuerit. Et quædam ſanè Philoſophorum ſectæ, ſummum in virtute bonum poſuerunt; quam & per ſe expetendam eſſe, & ſolam ad beatitudinem huius vitæ conſequendam, ſufficere docuerunt. Omnes profectò aut ferè omnes, primas illi partes dederunt; vna Epicureorum ſecta hoc nomine peſſimè audiuit, quod *voluptatum ancillas virtutes eſſe*, tradere videbatur. Denique qui virtutis ſtudium maximè coluerunt, illi in proximo quaſi ad Deum gradu, ſubſtiterunt. Cuius rei exemplum eſſe poteſt Magnus ille Auguſtinus; Qui quum in iuuentute ſummum bonum voluptatem eſſe exiſtimaſſet, lecto poſtmodum circa annum ætatis viceſimum Ciceronis Hortenſio, virtutis amor factus, alicui ſtatim religioni ſe dedit, quaſique primum paſſum verſus Deum fecit. Ita etiam extra veri Dei cultum, virtutis & honeſti ſtudium, ipſa tamen natura docuit, quod & Apoſtolus

Cic. Tuſc. 2. Lactant. lib. 5.

Confeſſ. lib. 3. cap. 4.

lus agnoſcens, ait, *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt facere; & ſibi ipſis legem eſſe, oſtendentes opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*; in quibus videlicet rationis lumine & recti bonique flammis nondum extinctis, *teſtimonium reddit ipſa conſcientia*; dum ipſę huiuſmodi hominum cogitationes, vel in rectè factis eos defendunt, vel de nequiter commiſſis, accuſant. Rom. 1.

At verò vbi primum ad vnius & veri Dei cultum populus vnus adunari cœpit, quis neſcit Decalogum ante omnia traditum fuiſſe, in quo, *omnia humanæ vitæ officia, quæ ad honeſtum & decorum pertinent, continentur*, vt ſcribit Ambroſius, qui etiam datus eſt, *tanquam vniuerſi orbis Magiſter ac Pædagogus, ſeu vt publica quædam & ſacroſancta ſchola, non ſolum in ijs quæ ad Dei cognitionem pertinent; ſed etiam in illis, quæ ad animæ diſciplinam ſpectant*, vt rectiſſimè ſcribit Athanaſius. Ita ſemper ab exordio conſtitutæ religionis, veræ fidei & cultus diuinus indiuiduus, ſemper comes fuit virtutis, & bonorum operum ſtudium. Quam certe ob cauſam, vniuerſa vetus Scriptura non minus diligenter ſanctitatis ſtudium & benè viuendi præcepta, quàm rectam fidem docet, nec minus frequenter pietatis & virtutis nomine, Prophetas, Sacerdotes, Reges, ac Populum temporis illius, quàm veræ fidei & rectæ religionis ergò commendat. Offic. lib. 1. cap. 11. Lib. de Incarnat. verbi.

Iam verò ſi quid in hac parte minus præ-

ſtitum, & virtutis ſtudio minus fortaſſe datum fuiſſet, vel apud gentes quę verum Deum neſcierunt, vel apud veterem populum qui verum Deum coluit, profectò quum Mediator, & Magiſter humani generis Chriſtus Dominus aduenirer, quum eius Eccleſiam, & populum Apoſtoli inſtituerunt, conſtat ex tota Euangelica hiſtoriâ, cum doctrina veræ fidei, virtutis ac morum præcepta quàm diligentiſſimè coniuncta, ſummoque ſtudio tradita, commendata, inculcata fuiſſe. Docent hoc (vt de præcurſoris eius predicatione, nihil fere aliud quam pænitentiam & fructus pænitentiæ dignos, inſonante taceam) frequentes Chriſti parabolæ, *de ſemine in terra bona ſeminato, quod fructum afferebat triceſimum, ſexageſimum, centeſimum*, Deo eo *qui ædificauit domum ſuam ſuper firmam petram, & de anguſta porta:* Item, *de inuenta precioſa Margarita: De decem prudentibus Virginibus: De eo qui intrauit ad nuptias ſine veſte nuptiali: De ſeruo bono & fideli; De Talentis traditis: De arbore fici non ferente fructum. De volente Turrim ædificare*, &c. Docet idem Sermo Domini in monte, Matth. 5. & ſequentibus. Forma Iudicij futuri. Comparatio illa qua ſe vitem, nos palmites vocat. Denique doctrina de perpetuo orationis ſtudio: De vigilantia ac alia huius generis permulta.

Luc. 8. & Matth. 13. Matth. 7. & Luc. 13. Matth. 25. 22. 24. Luc. 18. 13. & 14. Matth. 25. Ioan. 15. Luc. 11. 18. & 12.

Nec aliter Apoſtoli poſt Chriſtum, quorum Epiſtolæ omnes maxima ex parte ad nouitatem vitæ, ad mortificationē carnis, ad ſanctè piè &

piè & ſobriè in hac vita viuendũ, hortantur; hoc Paulus perpetuò facit & morum doctrinam pertractat, excepta priori parte epiſtolæ ad Romanos, ad Galatas, ad Hebræos. Petrus, Iacobus & Ioannes, toti etiã in hoc ſunt. Nec minore ſtudio, ab impura & flagitioſa vita deterrent, grauiſſimis pænis propoſitis. Ad Romanos 13. 1. Corinth. 6. Epheſios 5. Ad Galat. 5. Hebræos 10. Virtutum quoque & ſanctitatis ampliſsima prǽmia proponunt, maximè in futura vita, quia verus iuſtus ex fide viuit, nec præſentem aliquam mercedem expectat. Ad Roman. 3. 6. & 8. 1. Corinth. 5. 1. Timoth. 4. & 6. Ad Philip. 3. Ad Hebr. 10. Quam ſanè Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam rectiſſimè aſſecutus S. Baſilius, ait, ipſum Euangelium nihil eſſe aliud, quam vitæ nouitatem. *Si quis* (inquit) *definiens dicat Euangelium eſſe formam vitæ, quæ eſt ex reſurrectione, mihi nequaquam videretur à vero aberrare.* Hæc ille. Reſurrectionem autem intelligit à peccato, *cui per Baptiſmum nos eſſe mortuos & Chriſto conſepultos, vt in nouitate vitæ ambulemus*, Docet Apoſtolus: & hanc reſurrectionem vocat *nobis congruam*, Auguſtinus. *Donec ad alteram perueniamus, quam ſuæ reſurrectionis exemplo Chriſtus confirmauit.* Denique hæc eſt noſtra vera regeneratio *& renouatio per Spiritum Sanctũ*, qua propriè ſumus Chriſtiani, quam Paulus deſcribit, & de qua dicit. *Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius*, id eſt, non eſt Chriſtianus. Atque hæc quidem ſatis illu-

Lib de Spi. S. cap. 15.
Rom. 6. Coloſſ. 2.
De Spir. & lit cap. 29.
Titum. 3.
Rom 8.

ſtria eſſe poſſunt vel teſtimonia, vel argumenta ſine virtutis ſtudio, profeſſione, exercitio, ſiue nouitate vitæ, mortificatione carnis, renouatione ſpiritus, nullam religionem, cultum Dei nullum & maximè Chriſtianum, conſiſtere poſſe; & per hoc qui virtutis & bonorum operum hoſtes ſunt, qui nouitatem vitę & bona opera labefactant & oppugnant, eoſdem vniuerſam religionem, pietaté, fidem, euertere, eoſdemque Chriſtianæ profeſſioni, apertum bellum indicere.

At verò ſi non iam dicta ſed facta, nec doctrinam ſed actionem, non verba denique, ſed ipſam in terris Oeconomiam totam mediatoris noſtri *Ieſu Chriſti* inſpicere volumus, animaduertere poſſumus, & aduentum eius in hunc mundum, & mortem quam tulit, & gratiam eius propriam, ad peccati deſtructionem, & virtutis ac veræ ſanctitatis efficacem in ſuis operationem, prorſus deſtinata fuiſſe. Venit enim in hunc mundũ, *vt ſaluum*
Matth. 1. *faceret populum ſuum à peccatis eorum*, vt eſſet
Ioan. 1. *Agnus Dei qui tolleret peccata mundi*, Denique, *vt*
1. Ioan. 3. *diſſolueret opera Diaboli*, quæ ſunt peccata. Mortem ſubijt eandemque acerbiſſimam, *vt de pec-*
Rom 8. *cato damnaret peccatum in carne*. Sed quid? vt tantum remitterentur nobis peccata? Sequitur, *vt iuſtificatio legis impleretur in nobis* & quomodo? Apprehendentibus Chriſti iuſtitiam imputatam? Sequitur, *qui non ſecundum carnem, ſed ſe-*
Tit. 2. *cundum ſpiritum ambulamus*. Rurſum, *vt redimeret*

nos

nos ab omni iniquitate, ſed quid? præterita tantum aut perpetuò peccantibus? Sequitur, *& mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum*. Denique, *vt emundaret conſcientias noſtras ab operibus mortuis. Ad deſtructionem enim peccati, apparuit per hoſtiam ſuam ſemel.* Poſtremò Chriſti gratia non eſt aliud quam Spiritus ſui gratia, *quàm miſit in corda noſtra Deus* propter Chriſtum, *in quo placuit omnia inſtaurare, & omni nos benedictione replere*, ad hunc certè finem, *vt liberaret nos à lege* i. imperio & ſeruitute *peccati & mortis, in qua venundati eramus: vt peccatum nobis amplius non dominaretur, qui iam non ſub legis iugo, ſed ſub gratiæ ductu ſuauiſſimo*, ſumus: Denique, *vt in nouitate vitæ ambularemus, creati in Chriſto Ieſu in bonis operibus, quæ præparauit Deus, vt ambulemus in illis.* Hebr. 9. Chriſti gratia virtutis largitio. Gal. 4. Epheſ. 1. Coloſſ. 1. Rom. 7. 8. Epheſ. 2.

Hinc autem factum eſt, vt etſi antè legem diuinitus datam, ſanctitatis & virtutis ſtudiũ penè extinctum fuerit, *quia omnis caro corruperat viam ſuam, & cuncta cogitatio cordis humani intenta eſſet ad malum omni tempore*, tamen tum poſt legem datam in vero Dei populo multi antiqui iuſti, pietate & virtutũ cultu inſignes, extiterint, quorũ pręclarũ catalogũ Paulus recenſet, & copioſius deſcribit Eccleſiaſticus; tũ vero magis rutilante Euangelij luce, non ſolũ fide mediatoris, per quem remittuntur peccata, & vera Dei ſuique ipſius cognitione, nouus populus imbui cæperit, ſed etiam nouitate vitæ, atque omni virtutum genere floruerit, & ſtudio admirabili per vniuerſum orbẽ, inclaruerit. Gratiæ Chriſti effectus. Genes. 6. Heb. 11. Cap. 44. & ſeqq.

rit. Quam etiam ob cauſam vbicunque ſuſceptum & prædicatum Euangelium fuit, non tantum religionis & cultus externi totiuſque doctrinæ fidei, ſed etiam vitæ morumque maxima permutatio viſa eſt: quam ſanè in omnibus illis populis ad quos ſcribit Apoſtolus, maximè, in Romanis cap. 13. in Philip. cap. 4. in Coloſſ. cap. 1. in Theſſal. epiſt. 1. ca. 1. Denique in Hebræis cap. 10. deprædicat. Vnde factum eſt, vt pietatem, modeſtiam, ſanctitatem, innocentiam populi Chriſtiani, non ſolum in Apologijs ſuis ad ethnicos Principes, Athenagoras, Tertullianus, Iuſtinus Martyr, & alij vt Cyprianus ad Demetrianum & Lactantius, libro 5. de iuſtitia confidenter aſtruxerint; ſed & ipſi ethnici, fideique hoſtes, diſſimulare non potuerint. Illuſtre eſt hac de re Plinij ſecundi teſtimonium, ad Imperatorem Traianum. Iulianus, Porphyrius, Tryphon, Lucianus, Celſus, alijque populi Chriſtiani vel perſecutores, vel deriſores, *ſuperſtitionem & Magiam* propter rigidum virtutis cultum, & patientiam in tormentis admirabilem, ſæpius obiectabant; turpitudinis, infamiæ, aut criminis nota (niſi in cultum interdum religionis propter myſteria non intellecta) Chriſtianos non perſtringebant. Denique rectè obſeruauit Euſebius, *quantumcunque feras gentes Chriſtianiſmi profeſſione, ad humanitatem, modeſtiam, vitæque moderationem, conuerſas fuiſſe.* Poſtremò non virtutis tantum quale-

Vitæ puritas & innocentia in primis Christianis.

Apud Euſeb lib. 3. cap. 27.

Demõſtrat. Euangel. lib. 1. cap. 6.

qualecunque ſtudium, ſed perfectiſſimam viuendi normam,&primos Chriſtianos amplexos fuiſſe, acta Apoſtolica demonſtrant; & toto poſtea terrarum orbe poſteros exercuiſſe, innumera Eremitarum deſerta, cœnobitarum collegia, exstructa denique monaſteria, loquuntur. De qua multiplici Chriſtianorum pietate, multa egregiè diſputat contra Manicheorum calumnias & ſuperſtitiones præpoſteras, [a] D. Auguſtinus. Multa etiam commemorat [b] Euſebius Pamphili, tum in hiſtoria Eccleſiaſtica, tum demonſtrationis Euangelicæ, lib. 1. cap. 8. Chryſoſtomus quoque in Homil. 59. ad Pop. Antioch. & S. Baſilius in conſtitut. aſceticis cap. 18. Ambroſius in libris de Virginibus, alijque vetuſti Patres ferè omnes.

a De moribus eccleſ. Cath. c. 31.
b Lib. 2. cap. 16.

Quæ quum ita ſint, incredibile penè videri poteſt, vllos vnquam eſſe potuiſſe Chriſtiani nominis profeſſores; qui virtuti, bonis operibus, vitæ morumque ſanctitati, apertum bellum indicere; peccati vero & omnis impuritatis ſcholam aperire, regnumque erigere & ſtabilire, vel conati vel auſi fuerint. Multos eſſe ſemperque fuiſſe in populo Chriſtiano, virtutum deſertores, vitiorum ſectatores, minimè mirum videri debet. Ea enim eſt non ſolum humanæ naturæ fragilitas, vt etiam ſanata per gratiam, cito relabatur, *& in vacuum gratiam Dei recipiat*; ſed etiam ſocietatis ipſius, atque Eccleſiæ Chriſtianæ conditio, vt *multos* habeat *vocatos, paucos electos*, vt *in domo magna ſint vaſa*

2. Cor. 6.
Matth. 20.

2.Timot.2 *vaſa præcioſa, & vaſa contumeliæ*, vt ex bonis & malis permixta, conſiſtat. *Sed aliud ſemper fuit diſciplina Chriſtianorum : aliud luxuria vinolentorum*, ait Auguſtinus. Itemque, *aliud quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur*, ait idem Auguſtinus. Quare inter ſanctitatis profeſſores, non omnes eſſe ſanctos, dolendum quidem, mirandum tamen, non eſt. Sed inter ſanctitatis profeſſores, hoſtes eſſe ſanctitatis; id eſt, homines eſſe, qui non ſolum eam non ſectantur, ſed etiam ſectendam non eſſe, profiteantur; qui non ſolum virtutis viam non carpunt, ſed etiam illam viam ad vllam à Deo mercedem conſequendã inutilem, ſuperſtitioſam quoque, & quæ ad iuſtitiæ coram Deo rationem nihil faciat, diſertè docent; qui denique non ſolum virtuti & bonis operibus ipſi non vacant, non inuigilant, ſed etiam bona opera quæ coram Deo talia ſint, à nemine præſtari poſſe,* *nec ad ea præſtãda, Spiritus ſui gratiam Deum dare*; imò,† *ſtante operum iuſtitia, fidei iuſtitiam neceſſariò ſubuerti*; omniaque *iuſtorum opera probrum magis quàm laudem perpetuò mereri, & peccatis magis quàm virtutibus, accenſenda eſſe*, manifeſtè affirmant; & tamen ſe pariter Chriſtianos, Apoſtolicos, & Euangelicos, eſſe aiunt; iſtud verò omnem admirationem ſuperat, planeque monſtri cuiuſdam & portenti, ſimile eſt.

Cõtra Fauſtum li.20. cap.21.

* Beza in Annot. ad 2.Cor.3.v.5

† Cal. Inſt. lib.3. c.11. num.13.& cap.17. n.3

Non defuerunt quidem olim Pſeudochriſtiani

ſtiani

ſtiani & hæretici, qui vel libertatem Chriſtianam ita perperam acciperent, vel fidei virtutem ita præpoſterè extollerent, vt virtuti, & bonis operibus, detrahere viderentur. Tales enim perſtringere videtur Paulus, quorũ vox erat, *faciamus mala, vt veniant bona*, id eſt, peccemus largiter, vt abundet gratia. Tales fuiſſe Apoſtolorum tempore colligit Auguſtinus, ex verbis Petri epiſtol. 2. capite 3. & ex argumentis Epiſtolarum Iacobi, Ioannis, & Iudæ. Ex quibus videtur fuiſſe Simon Magus, qui ſuos liberè facere quæ voluerunt, *quia non per bonas actiones, ſed per gratiam, ſalutem eſſent conſecuturi*, docuit, vt commemorat Theodoretus. Quibus etiam ſimilia docuit Valentinus, vt eodem in libro idem obſeruauit. Eunomius quoque, *ita bonis operibus inimicus fuit, vt nihil cuiquam obeſſe quorumlibet perpetrationem ac perſeuerationẽ peccatorum aſſereret, ſi fidei quæ ab illo doceretur, particeps eſſet*, teſte Auguſtino in libello de hæreſibus. Sed iſti omnes, etſi virtuti ac ſanctitati plurimum ac nefariè detraherent, non tamen eius vel impoſſibilitatem docuerunt, vel omnem fructum & vſum abſtulerunt; ſed partim ſuam fidem, & propria dogmata, hac fraude ſtabilire conati ſunt vt poſteriores; partim carnalibus deſideriis magis indulgere, quàm carnis atque peccati cauſam & patrocinium ſuſcipere voluerunt, vt priores.

Rom. 3.

Lib. de fide & ope. c. 14

Hæret. Fabul. lib. 1

Hær. 54.

Hodiè vero in hoc maximè calamitoſo & deplorando ſeculo noſtro, quaſi nunc demum

Hæreticorũ hodie ſumma impietas.

ligatus

ligatus in Apocalypſi Satanas ſolueretur, & ad omnem impietatem atque nequitatem edocendam & exercendam, perruptis inferni clauſtris tota dæmonum caterua per terras emitteretur, noui & peſtilentes Magiſtri ſurrexerunt, qui omne virtutis & pietatis ſtudium ſubuertunt; qui carnis cauſam diligenter agunt; qui peccati Regnum omnibus vijs & modis erigunt, confirmant, dilatant. Iſti ſunt noſtrorum temporum hæretici, Lutherani, Caluiniſtæ, aliaque ſectarum infauſta nomina. Iſtud vero quot modis faciunt, in quot & quantis dogmatibus hoc ſatagunt, paucis enumerabo; Quibus etiam fucis & technis, hanc impietatis notam eluere, & excutere moliuntur, breuiter aperiam: hoc ſanè fine, & hanc ob cauſam, vt nihil eſſe horum temporum hæreticis peſtilentius, nihil à vero Chriſtianiſmo, illis alienius, nihil denique ab omni nō ſolum vera & Chriſtiana, ſed etiam vel ethnica & naturali religione, remotius intelligatis.

Vt itaque à capite rem arceſſam, quaſique ab ouo repetam, Martini Lutheri deteſtandæ memoriæ apoſtatæ, primus hic, peneque vnicus ſcopus erat, quum primum à matre Catholica iratus diſceſſit (repulſa ſcilicet quam in promulgatione indulgentiarum paſſus erat grauiter offenſus) vt libertatem conſcientijs, operum, præceptorum, ceremoniarum iugo, vt illi videbatur oppreſſus, ſua doctri

doctrina adferret. Quum enim in Catholica adhuc exiſtens, ſcrupuloſus Monachus eſſet, & (vt de ſeipſo ſcribit) *conſcientiæ inquietiſſimæ*, ideoque ſenior quidam Monachus Auguſtinienſis, vt eius animum nimia trepidatione deiectum, ad meliorem ſpem erigeret, ad alterum tamen extremum, imprudenter deflectens, conſtanter eum hortaretur, *non ſolum credere remiſſionem peccatorum in genere datam, iuxta ſymboli tenorem, ſed etiam firmiſſimè credere, ſibi eſſe remiſſa peccata, & hunc eſſe illius articuli ſenſum*, ille hac exhortatione non tam ſurſum erectus, quàm deorſum præcipitatus, planeque ex timido inflatus, ex puſillanimi præſumptuoſus, ex meticuloſo audax factus, hoc Senioris verbo quaſi oraculo (ſed dæmonis, non Dei) accepto, ſtatim monſtra illa & portenta opinionum de libertate Chriſtiana, de ſola fide iuſtificante, eaque ſpeciali iſta, de certitudine gratiæ, de imputatiua iuſtitia, aliaque conſimilia Eccleſiæ Chriſtianæ hactenus inaudita, parturiuit bellua, animoque fabricare cæpit.

In præfat. 1 operum ſuorum.

Lutheranæ apoſtaſiæ origo.

Melanchthon in præfat. in tom. 2. operũ Lutheri

Qua autem via & ratione ad id tandem opere complendum, quod animo diu deſtinauerat, peruenit, ipſum ſuis verbis explicantem, audite. Secundo poſt ſchiſma anno, videlicet, ſupra ſeſquimilleſimum 19. quum hactenus in ſolis indulgentijs oppugnandis, occupatus eſſet, *miro*, inquit, *ardore captus fueram cognoſcendi Pauli in epiſt. ad Roman. Sed obſtiterat hactenus*

Origo ſolius Fidei iuſtificãtis à Luthero ipſo deſcripta.

ctenus

*ctenus non frigidus circum præcordia ſanguis, ſed vni-cum vocabulum quod eſt cap. 1. Iuſtitia Dei reuelatur in illo. Oderam enim vocabulum iſtud Iuſtitia Dei, quod vſu & conſuetudine omnium doctorum doctus eram philoſophicè intelligere: de iuſtitia (vt vocant) formali ſeu actiua, qua Deus eſt iuſtus & iniuſtos punit. Ego autem qui me vtcunque Monachus irrepre-henſibilis viuebam, ſentirem coram Deo eſſe peccatorem inquietiſſimæ conſcientiæ, nec mea ſatisfactione placa-tum confidere poſſem, non amabam, imò odiebam iuſtum & punientem peccatores, Deum; tacitáque ſi non blaſ-phemia, certè ingenti murmuratione indignabar Deo, di-cens. Quaſi verò non ſatis ſit miſeros peccatores & æter-naliter perditos peccato originali, omni genere calamita-tis * oppreſſos eſſe per legem Decalogi, niſi Deus per Euangelium dolorem dolori adderet, & etiam per Euan-gelium nobis iuſtitiam & iram ſuam, intentaret. Fure-bam ita ſæua & perturbata conſcientia. Pulſabam tamen importunius eo loco Paulum, ardentiſſimè ſitiens ſcire quid vellet, donec † miſerante Deo, connexionem verborum attenderem, nempe. Iuſtitia Dei reuelatur in illo, ſicut ſcriptum eſt. Iuſtus ex fide viuit. Ibi iuſtitiam Dei cæpi intelligere, eam qua iuſtus dono Dei viuit, nempe ex fide: & eſſe hanc ſententiam. Reue-lari per Euangelium iuſtitiam Dei, ſcilicet paſſiuam, qua nos Deus miſericors iuſtificat per fidem, quia iu-ſtus ex fide viuit. Hic me prorſus renatum eſſe ſenſi, & apertis portis in ipſam Paradiſum intraſſe. Igitur quanto odio vocabulum, Iuſtitia Dei, oderam ante, tanto amore dulciſſimum mihi vocabulum extollebam: ita mi-hi iſte locus Pauli fuit verè porta Paradiſi: Poſtea legebam*

Lutherus odit Deum iuſtum.

* Vox ſeruilis, & impia.

† Suggerente dæmone.

Lutheri regeneratio Satanica.

legebam Auguſtinum de ſpiritu & Litera, vbi præter ſpem offendi, quod & ipſe Iuſtitiam Dei ſimiliter interpretatur, qua nos Deus induit dum nos iuſtificat. Et quanquam imperfectè hoc adhuc dictum ſit, ac de imputatione * *non clarè omnia explicet, placuit tamen iuſtitiam Dei docere qua nos iuſtificemur.* Hęc Lutherus in prima præfatione operum ſuorum. Copioſius autem iſta & prolixius ex eo commemoraui, vt clarè perſpiciatis (Auditores) hunc primarium fuiſſe Lutheri ſcopum, *vt libertatem* vel vt ille vocat, *pacem conſcientijs hominum adferret*, excuſſo iuſtitiæ diuinæ metu, & obedientiæ mandatorum iugo: Quam ob cauſam hoc potiſſimum nomine in Apologia Confeſſionis Auguſtanę, à ſuis predicatur Lutherus. Sic enim ſcribunt. *Hæc ſententia, nos fide reconciliari Deo, multas pias mentes erexit, & initio commendationem maximam apud omnes bonos viros attulit Luthero, cum oſtendit certam & firmam conſolationem conſcientijs, quia antea tota vis abſolutionis, oppreſſa erat doctrinis operum.* Hæc illi. Hoc igitur ſcopo Luthero ſemel propoſito, vt metum Iuſtitiæ diuinæ qua punit peccatores Deus, animis hominum eximeret, vt conſcientijs conſolationem & libertatem adferret, vt doctrinas operum tolleret, fidem autem omnibus modis extolleret; videte obſecro, quot & quantis impijs dogmatibus ipſe eiuſque ſectatores iſtud effectum dederint, virtutis & pietatis ſtudium euerterint, peccati & impietatis Regnum, erexerint.

[Margin notes: * Imputationem Lutheri Auguſtini ſenſus clariſſimè iugulat. — Lutheri ſcopus. — Articulo 11.]

Primum vt libertatem hanc adamatam ſolidè ſtabilirent, & à fundamentis ipſis extruerent, peccatum originale, totius calamitatis noſtræ fundum, & deprauationis principium in immenſum exaggerant; docentque non ſolum eſſe rectitudinis originalis quę in mente erat miſeram priuationem, & omnium gratiæ ornamentorum quę menti collata fuerant triſtem expoliationem; ſed etiam eſſe omnium vitiorum contrariorum poſitiuam, inexiſtentem, & inhærentem cateruam; vt *contemnere Deum, odiſſe iudicium Dei, iraſci Deo, fugere Deum iraſcentem, deſperare gratiam.* Hæc enim omnia vitia nobiſcum naſci & eſſe peccatum originale in vnoquoque. Sic Apologia Confeſſionis Auguſtanæ rem exponit. Alij verò poſtea addiderunt, peccatum originale eſſe totius hominis totalem deprauationem & corruptionem. Hanc his verbis explicat Caluinus; *Quicquid in homine eſt ab intellectu ad voluntatem, ab anima ad carnem vſque concupiſcentia praua inquinatum, refertumque eſſe: & totum hominem nihil aliud ex ſeipſo eſſe, quam concupiſcentiam. Sic enim quaſi diluuio à capite ad pedes obrutum eſſe, vt nulla pars à peccato immunis ſit, ac proinde quicquid ab eo procedit, in peccatum imputari.* Hæc ille. Sed & hanc deprauationem ſic à Caluino deſcriptam, quaſi nondum tamen omnibus ſuis numeris abſolutam, ſic alij poſtea auxerunt, vt dicerent, *corruptionem iſtam non ſolum accidentium, ſed & ſubſtantiæ humanæ tam ſecundum materiam, quam ſecundum*

Primū peccati p[r]æſſ-[ſi]ũum, peccati originalis exaggeratio.

Inſtitut. lib 2 c. 1. ſect. 9.

ſecundum formam, animæ ſcilicet & corporis fuiſſe. Sic enim contra Flaccum Illyricum defendit ſuorum ſententiam Muſæus, vt recitat Theodorus Peltanus. Cui tamen nec ipſe Illyricus quicquam in hac impietate cedit, aut inferior eſt. Etſi enim non vult ſubſtantiam humanam hoc peccato penitus corrumpi & tolli, reſpectu ſi non Phyſico, ſaltem metaphorico, tamen vult (quod eodem penè recidit) peccatum hoc originale *eſſe corruptionem quandam, non quæ accidens ſit* (vt cætera peccata) *ſed quæ de natura & eſſentia hominis ſit, imò ipſam eſſe hominis eſſentiam ac naturam: ipſum eſſe cor hominis, ipſam rationem cum omnibus viribus, hoc ſcilicet peccato ita oppreſſam & extinctam, vt peccatum potius quàm ratio dicenda ſit:* Hæc ille etiam ex ſententia Lutheri, vt dicit. De peccat. Origin. tract. 7. Heshuſius in epiſt. ad Illyricum.

Simili furore & amentia peccati originalis effectus vel defectus potius, concupiſcentiam ſcilicet & inferiorum virium corruptionem, ex peccato originali conſecutam & inflictam, indigniſſimè exaggerant. Sic enim de ea ſcribit Caluinus: *Alterum accedit* (nam quod de veri peccati natura huic corruptioni ante regenerationem inhærente diſputat, orthodoxum eſt) *quòd hæc peruerſitas nunquam in nobis ceſſat, ſed nouos aſſiduè fructus parit, ſcilicet, opera carnis, idque non ſecus atque incenſa fornax flammam & ſcintillas efflat, aut ſcaturigo aquam ſine fine egerit. Non enim natura noſtra boni tantum inops & vacua eſt, ſed malorum omnium adeo fertilis & ferax* 2. Peccati præſidium. Vbi ſupra.

vt otioſa eſſe non poſſit. Hæc ilie. Hæc autem duo opinionum portenta ideo poſuerunt, vt poſita tanta naturæ humanę corruptione, perpetuam peccandi neceſſitatem, benè autem & ſecundum virtutem operandi impoſſibilitatem, tantò probabilius etiam in regeneratis & Chriſtianis, poſtea docerent.

3. Peccati præſidium. Hac etiam de cauſa docent (quod tertium eſt impietatis dogma, & ſtabiliendi peccati præſidium) *ipſam concupiſcentiam etiam in renatis verè peccatum eſſe, & ex ſua natura, hominem damnare,* quia videlicet, contra legem Dei pugnat, atque etiam quia de eius turpitudine & effreni impetu, nihil eſt imminutum: ideo autem non damnare quia non imputatur: quod ęquè de quibuſuis peccatis & flagitijs atque de iſta concupiſcentia, docent.

4 Peccati præſidium. Hac eadem de cauſa (quod quartum eſt ſtabiliendi peccati præſidium, negat diſertè Caluinus gratiam Chriſti ad hoc datam eſſe, vt contra peccati dominatum nos adiuuaret, aut eius victoriam nobis conferret. Quod ne cuiquam incredibile videatur, hic breuiter ex eius verbis, oſtendam. Negat Caluinus diſertis verbis, gratiam Chriſti vel Spiritus Sancti in adiutorio illo conſiſtere, *quo infirma noſtra ad bonum voluntas, ad virtutem excitatur & confirmatur.* Reprehendit enim hoc nomine ſcholaſticos, *quòd gratiam Dei* (ſunt eius verba) *non gratuitæ iuſtitiæ imputationem, ſed ſpiritum ad*

Inſtit. lib. 3 c. 11. nu. 15 *ſtudium ſanctitatis adiuuantem, interpretantur.* Auguſtini

guſtini quoque doctrinam ibidem taxat, *quod gratiam Dei ad ſanctificationem refert, qua in vita nouitatem per Spiritum Sanctum regeneramur.* Hanc autem re vera gratiam adiuuantem, contra Pelagium defendit ſemper Auguſtinus. Denique ſuam ſententiam verſipellis hæreticus, adhuc apertius alio in loco declarat. *Nemo,* inquit, *benè in Chriſto fundatus eſt, niſi qui ſolidam habet in ipſo iuſtitiam: quando non dicit Apoſtolus miſſum eſſe Chriſtum, quod ad iuſtitiam conſequendam nos iuuet, ſed vt ſit noſtra iuſtitia.* Hæc ille. Negat ergo prorſus adiutorium gratię ad nouitatem vitæ iuſtituendam, & peccati Regnũ deſtruendum. Hac ipſa etiam de cauſa ſcholia Caluiniana ſuper epiſt. ad Rom. illud, *eſſe ſub gratia, non ſub lege*, exponunt nihil aliud eſſe, quã *habere conſcientiam certiſſimam de remiſſis peccatis per Chriſtum, quam non habent qui ſunt ſub lege, quia ſententia legis damnantur in conſcientia.* Sed rotundè & apertè Beza Caluini hãc mentem, his verbis explicat. *Non minus eſt nobis impoſſibile credere, quàm legem præſtare. Sed illud datur per Spiritus efficaciam, iſtud verò nunquam datur, qua vult patefieri iuſtitiã ſuam Deus in tribuenda indignis, miſericordia.* Hæc ille, in Annotat. ad 2. Cor. c. 3. ver. 3. Negat apertè homo impius, Spiritus S. gratiã Chriſtianis dari vt legem præſtent, vt virtutis ac pietatis opera, exequantur. Hac rurſum de cauſa (quod quintum eſt peccati præſidium) vt naturam in ſua corruptione eáque vehementer exaggerata relinquunt, ita conditio-

Inſtit lib. 3 c. 15. nu. 5.

5 Peccati præſidium.

nem naturę quam peccatum non abſtulit, auferunt illi tamen; vt omnibus modis peccandi neceſſitatem, ideóque licentiam, introduçant. Negant enim liberum arbitrium quæ propria eſt rationalis creaturæ conditio. Ac plerique ſanè ita hoc negant, vt cum primo ſuo magiſtro Luthero tam ad bonum, quam ad malum illud tolli velint *nec eſſe in hominis poteſtate vias ſuas malas facere*: vt eſt apud Lutherum art. 3. & apud Caluinum Inſtit lib. 3. cap. 2. Alij libertatem ad malum concedunt, & etiam ad bonum in actionibus merè humanis ſeu adiaphoris, interdum etiam in moralibus, vt molliores (quos vocant) Lutherani Melancthonem ſequuti. Ad opera verò ſpiritualia, iuſta, meritoria, nihil valere liberum arbitrium plęrique omnes volunt, ſed merè paſſiuè ſe habere tam in noua obedientia, quam in prima conuerſione ad Deum. Quanquam quoad nouam obedientiam & opera renatorũ, moderatiores iam Lutherani cooperationem liberi atbitrij non grauatè concedere videantur, vtcunque repugnante cum ſuis Caluino.

6. Peccati præſidium. Omnes tamen nihilominus (quod ſextum eſt peccati præſidium) his primis ſanè eorum principijs conformiter, omnem veri nominis iuſtitiam à bonis operibus renatorum tollunt, & eam in ſola fide conſtituunt. Quam illorũ peſtilentiſsimam ſententiam ne quis non ſatis intelligeret in alijs adhuc dogmatibus ſuis, hoc eſt nouis & Prophanis doctrinis, eandem pulchrè

chrè explicarunt. Docent ergo (quod ſeptimum & egregium eſt peccati præſidium) 7. Peccati præſidium. propter cõcupiſcentiam relictam, quam propriè peccatum eſſe volunt, *hominem inceſſanter & in omni bono opere, peccare*, quia inceſſanter & in omni opere bono, prauo aliquo deſiderio afficitur. quæ fuit Lutheri doctrina. Sed quia hoc à Luthero paulò incommodius & durius dictum videbatur, illud tamen vnanimiter omnes hodiè docent (quod octauum eſt peccati 8. Peccati præſidium. præſidium) nullum eſſe renati opus purè bonum & iuſtum coram Deo, quia hac concupiſcentia contaminatur & immunda redditur omnis iuſtitia noſtra, *& vitijs potius quam virtutibus accenſeda eſt, denique probrum magis quam laudem meretur*, vt ſcribere Caluinus non eſt veri- In cõment. ad Rom. cap 7. ver. 18 & 19. tus: Denique, quia *iuſtus habet quidem boni operis deſiderium, ſed boni deſiderij non habet effectum.*

Hunc etiam in finem docuerunt, pro nono 9. Peccati præſidium. peccati præſidio atque arce munitiſsima, exactiſsimam & omnimodã legis obedientiam neceſſariò à ſingulis requiri, idq; tam ex parte materiæ & mandatorum omnium, quam ex modo obſeruandi, quem perfectiſſimum eſſe debere ſtatuunt. Vt videlicet, quia talis perfectio in hac vita non reperitur, cõſequenter inferant, nullã ex bonis operibus iuſtitiã haberi poſſe. Nihil apud eos frequentius legitur.

Docent adhuc pro decimo peccati prę ſidio, 10. Peccati præſidium. ſic eſſe imperfectam & inchoatam omnem in hac vita iuſtitiam, vt propterea non ſit coram

Deo vera iuſtitia, ſed perpetuum peccatum, propter violatum primum Decalogi mandatum de dilectione Dei ex toto corde &c. & poſtremum mandatum, *non concupiſces.*

11. Peccati præſidium. Docent conſequenter pro vndecimo peccati præſidio, propter admixta venialia peccata, ſine quibus in hac vita non viuitur, nullam eſſe ex bonis operibus coram Deo, iuſtitiam. Quibus addunt (quod alterū eſt peccati præ-
12. ſidium & ſolamen) mandatorum impletionem eſſe in hac vita, impoſſibilē. Hinc etiam
13. inferunt (quod peccati Regno mirificè conducit) hominem Chriſtianum ad Decalogi obſeruationem non obligari: quia *non ſumus ſub lege ſed ſub gratia, & vbi Spiritus domini, ibi libertas:* quibus argumentis ſæpe vtitur Lutherus.

14. Peccati præſidium. Porro ad Regnum peccati fortiſſimè roborandum, ex iſtis principijs & axiomatibus nobiliſſimum illud ſuum & principale dogma conficiunt, *ſolam fidem iuſtificare*, & ad ſalutem ſufficere, *eamque ſpecialem*, circa ſpeciale obiectum, gratuitam ſcilicet remiſſionis peccatorum promiſſionem, eamque ſpecialiter vel potius ſingulariter conſideratam, qua quiſque ſibi ſingulariter remiſſa eſſe peccata ex fide ſtatuit. Hac enim ſola ſeu fiducia, vt quidam Lutherani, ſeu apprehenſione vt alij, vel denique certa notitia & perſuaſione (vt ſuos Caluinus docuit) omnem noſtram in hac vita iuſtitiam & ſalutem, compleri. Hoc autem peſtilentiſſimum dogma, etſi multis malis artibus, fucis

fucis ac technis, ab impietate quam in ipſa fronte præſefert manifeſtè, diligenter aſſerere laborant; dum videlicet, modò fidem ſe intelligere aiunt viuam & operantem per bona opera (quanquam illam poſtea exponant non actu ſed potentia, nec executione ſed ſtudió adeſſe, quæ Caluini frequens eſt limitatio) modò opera cum fide admittant, ſed vt Euchariſtica tantum non vt iuſtificantia, & merè ex parte noſtra gratuita, non ad ſalutem aut iuſtitiam neceſſaria; modò etiam fidem ſine charitate eſſe non poſſe ſtultiſſimè defendant (vel quia omnes aliæ virtutes ſunt ipſa fides, vt vult Illyricus in claue part. 1. vel quia inſeparabiliter ſunt fidei connexæ, vt molliores Lutherani docent, ideoque amiſſa charitate fidem quoque amitti, fructuſque fidei neceſſarios eſſe bona opera) tamen in alijs poſtea dogmatibus, hanc ſuam flagitioſam impietatem apertè produnt: potiſſimum verò in duobus & maximè.

Technæ quibus ſola fides defenditur.

1.

2.

3.

Prius eſt (quod & 15. peccati præclarum præſidium eſt) certitudo gratiæ, quá aſtruunt. Iuxta hanc enim *certò debet vnuſquiſque ſtatuere, idque ex fide, ſe eſſe in gratia Dei*, hoc eſt (ſic enim exponunt) ſe eſſe remiſſionem omnium peccatorum conſecutum, ſe eſſe iuſtum, & acceptum coram Deo. Denique de perſeuerantia finali, & beatitudine futura, ſe pari modo certum eſſe. Hæc enim doctrina non ſolum neceſſitatem, concurrentiam aut congruentiam

15. Peccati præſidium.

ſed etiam præſentiam omnem bonorum operum ſecundum omnes excludit; ſecundum Caluiniſtas verò & ipſum initio Lutherum, etiam cum quibuſcumque peccatis,conſiſtit. Quam ob cauſam alterum Caluini dogma eſt, *fidem & certitudinem eius nullo peccato poſſe amitti.* Eandem etiam ob cauſam docet Caluinus, *in peccatorum recordatione & aſſiduitate, non de deſerendis aut euitandis peccatis, vt cum Deo reconciliemur, ſollicitè ſatagendum eſſe, ſed de obfirmando animos in fide contra pauores & terrores conſcientiarũ,diligentiſſimè contendere nos oportere.* Hęc ille. Sic Illyricus. *Excluſis omnibus alijs ſollicitudinibus,in hoc vnum intentus eſſe iubetur Archyſynagoga, vt tantum credat. Bona opera non excluduntur quidem ſic vt prohibeantur, ſed tamen nec requiruntur, vt neceſſaria.* Hęc ille. Hoc ergo in dogmate,bonorum operum manifeſtos hoſtes ſe eſſe,manifeſtè produnt.

Inſtitut. lib. 3 c. 2. n. 12. & 18.

Ibidẽ num. 17. & ſeqq.

In defenſ. contra Tilet cap. 6.

16. Peccati præſidium. Alterum dogma quod non minus etiam hoc propalat (& eſt 16. idemque maximum peccati præſidium) eſt illorum proprium & illuſtrè dogma, *de imputatiua Iuſtitia.* Huius enim dogmatis ille ſenſus eſt, quod ita Chriſti iuſtitia,obedientia,ſanctitate,induimur atque veſtimur, vt quantumcunque in nobis ipſis ſimus omnis iuſtitiæ inanes ac nudi, imò quantiſcunque ſceleribus conſperſi & contaminati, in Chriſto tamen & in eius iuſtitia nobis imputata, ſimus iuſti, obedientes, ſancti, ac denique quicquid Chriſtus, vt homo fuit. Quem ſenſum, vt magis explicaret Flaccus

Caluinus & Beza ad Rom. cap. 4 ver. 5.

Illyricus, diſertè docuit, *ſummam eſſe blaſphemiam negare perinde fuiſſe iuſtos mulierem peccatricem in Euangelio, & Latronem, quàm erant Ioannes Baptiſta vel Euangeliſta, quia vtriſque æqualiter peccata condonauit, & ſuam pleniſſimam iuſtitiam Chriſtus imputauit* Hæc ille. Nimirum ex Magiſtri ſui Lutheri ſententia, qui eodem ſenſu aſſeruit, *vnumquemque Chriſtianum æquè eſſe ſanctum, ac fuit B. Virgo*. Deniq; non ſolum iuſtificari, ſed & ſanctificari nos per Chriſtum. Hoc ſolo ſenſu docet Caluinus, quòd ſanctificationẽ quæ in Chriſto erat non ſecus per fidem apprehendimus, quàm eius iuſtitiam. In his ergo duobus dògmatibus, ſic ſolius fidei iuſtificantis ſenſum explicuerunt, vt luce meridiana clarius conſtet, vniuerſum virtutis ac pietatis ſtudiũ per illud dogma ſubuerti, & eos eſſe bonorum operum, & totius virtũtis manifeſtos ac iuratos hoſtes; peccati verò & impietatis ſatellites ſtrenuos, & induſtrios Aduocatos.

Ibidem vt ſuprà con. Tiletanum

In Serm. de Nat. B. Mariæ.

Inſtitut. lib. 3. c. 16. n. 1. & in Com. ad Rom. cap. 8 vers. 12.

Sed & in alijs dogmatibus eandem cauſam diligenter agunt, quę nunc breuiter recenſebo. Singulis enim immorari non licet.

Ad virtutis igitur ſtudium deprimendũ, & pietatis flammas imò & ſcintillas omnes penitus extinguẽdas, dogmatiſant (& eſt 17. peccati præſidium) *nulla eſſe bonorum operum merita*; quod ſic Caluinus exponit, vt non ſolũ in altera vita, ſed neque in hac pręſenti, vllã bonis operibus proprij nominis mercedem retribui (quod tamen concedunt Lutherani) aut vel

17. Peccati præſidium.

mini-

minimũ aliquid apud Deum bene operando mereri quempiam poſſe, aſſeueranter doceat. Quis autem neſcit ad benè operandũ, maximum eſſe aculeum, mercedis expectationem?

18 Peccati præſidium. Porro ad iuſtitiam ipſam coram Deo & ſalutem noſtram, nullo modo eſſe bona opera neceſſaria pro 18. impietatis puncto & peccati præſidio, omnes ad vnum proteſtantes (paucis fortaſſe VVitenbergenſibus quos Maioriſtas & ſemipapiſtas cæteri vocant, exceptis) docēt. Imò *totam obedientiam quam Chriſtus à ſaluandis propriè requirit, eſſe tantum credere in illum, & ad gratuitas epulas quo ab illo inuitamur, currere*, docet diſertè Flaccus Illyricus in defenſione ſua contra Iudocum Tiletanum. Hac etiã de cauſa in ſcholijs ſuis ſuper Epiſt. ad Roman. notarunt diligenter horum temporum hæretici, quod *obedientiam pro fide vſurpat Paulus*, & illud Chriſti in Euangelio, *Dei patris voluntatẽ facere pro credere*, perpetuò exponit Caluinus. Ita omnibus modis bonorum operũ ſtudium, detractũ cupiũt. Quis autẽ rurſum nõ videt ſublata neceſſitatis opinione, quàm planè frigidi ad virtutis callẽ terendum homines ſunt futuri, qui etiam neceſſitate benè viuendi perſuaſa, tam tepidi nihilominus ac languidi exiſtunt?

Cap. 6. pag. 139.

Vatabli ſchol.

In Harmonia ad Matthei cap. 7. ver. 21. & cap. 12. v. 50.

19. Peccati præſidium. Ad idem peccati Regnũ ſtabiliendũ pro 19. impietatis puncto, peccatorum diſcrimina ſuſtulerunt maximè Caluiniſtę, qui ſtatuũt omnia peccata ex ſe eſſe mortalia, ſed per imputationem Chriſti fieri venialia, vt ita ſanè

ſtoico

ſtoico illo rigore admiſſo, infirmos diſſolutio, fortes & alacres deſperatio conſequatur; dum illi quidem propter remiſſionis facilitatem æquè in grauioribus atque minoribus delinquunt, iſti propter reatus ęqualitatem grauioribus cedunt, quia minora vitare nō poſſunt.

Caluinus poſtremò, vt his omnibus impietatibus colophonem imponeret, & peccati Regnũ fortiſſimè ſtabiliret, docuit homo nefarius, & verè atheus (quod 20. & potiſsimum eſt peccati præſidium) *Deum ipſum Opt. Max. eſſe in nobis authorem & cauſam omnis peccati*, idque tribus modis; primò, quia *vult peccatum voluntate actiua, non permiſſiua tantum*; quod accuratè docet, Inſtit. lib. 1. cap. 18. ſect. 1. Secundò, quia *operatur peccatum in reprobis*, non deſerendo tantum, ſed *efficaciter monendo, excitando, adeoque impellendo impios ad peccatum*, quod ſimiliter docet, Inſtit. lib. 2. cap. 4. Tertiò, quia etiam decernit & prædeſtinat homines ad peccandum, non ſecus quam electos ad fidei obſequendũ: quod docet Inſtitut. lib. 1. cap. 18. num. 2.

> 20. Peccati præſidium. Caluino proprium.

Quid hic iam reliqua impietatis dogmata attingam, quæ vt peccati Regnum ſtatuerent, varia ſollicitudine etiam circa Sacramentorum doctrinam, fędiſſimè ab ipſis contaminatam, inuexerunt? Nam vt ſuam quoque ſolam fidem eamque ſpecialem, in ipſa Sacramenta ſacraque omnia intromitterent, & illam quoque doctrinam huic eorum principali axiomati, ſubſeruire compellerent.

> Peccati pręſidia circa Sacramentorum doctrinam.

Primum,

1. Primum, numerum ſeptenarium ad binarium contraxerunt; eo conſilio, vt quàm pauciſſima eſſent, vel contra peccatum remedia, vel pietatis exercitia, vel religionis vincula.
2. Deinde, totam Sacramentorum vim & naturam in promiſſione annexa; vſum verò, fructum, & effectum, in teſtificatione & obſignatione eiuſdem promiſſionis poſuerũt; quia ad vtrumque iſtud ſola fides ſufficit; promiſſionem videlicet in viſibili ſigno, non aliter quam in audito verbo, apprehendens. Qua etiam in re ſolius fidei confirmationi, egregiè ſubſeruitum eſt. Tertiò, eodem reſpectu gra-
3. tiam Sacramentalem non eſſe aliam, quàm reconciliationis gratiam, ſtatuerũt; vt ita videlicet, in ſola remiſſione peccatorum omnem ſanctificationem noſtram conſiſtere, etiã Sacramentorum doctrinã, oſtẽderet, pariterque fidelium hîc vitam eſſe, quaſi ſtatũ peccati perpetuum in perpetua & ſola remiſſione peccatorum non vulgariũ, ſed quibus remiſſis conciliamur Deo, id eſt mortalium, manifeſtè ſignificarent. Quartò, eandem ob cauſam abſolu-
4. tionis ſeu pœnitentiæ Sacramentum, prorſus ſuſtulerunt: etſi priores Lutherani in Confeſ. Auguſt. & ſubſeq. Apologia illud agnoſcerẽt; retinentq; etiam hodiè etſi vacillantur & ambiguè, rigidiores Lutherani. Hoc enim vno ictu & contritionis neceſſitatẽ, & confeſſionis vſum, & ſatisfactionis ſtudium (quæ tria contra peccatũ fortiſsimè militant) vt egregiè

peccati

peccati cauſam agerent, penitus præſcinderũt.
Poſtremo, vt laxiſſimas peccato habenas darẽt
non ſolum omne perfectionis Euangelicę ex 5.
ercitium, profeſſionem, ſtudiũ, penitus ſuſtu-
lerunt, monaſteria omnia ſubuertendo, vitam
monaſticam vbiq; exterminando, vota volũ-
tarię pietatis ſuggillando, virginitatem coniu-
gio adęquando, imò eam eſſe quiddam ex im-
poſſibilibus dogmatiſando; ſed & pręterea 6.
nulla ieiuniorum certa tẽpora obſeruare, pau-
ciſſimas celebritates diuinis ſolemnibus dare,
parcè & raró orare, ſuos docent: carni denique
vt per omnia indulgeãt, & ſecundas & tertias
nuptias, ſuperſtite repudiata, permittũt om-
nes, & Polygamiam cum Turcis admittunt
quidam, imò & * accurate propugnant.

His ſanè omnibus vijs & modis, per hæc infanda & peſtilentiſſima dogmata, virtutis & pietatis ſtudium non elanguit tantũ & labefactatũ eſt; ſed penitus ſubuerſum atq; extinctum, iacet. Peccati verò regnum egregiè hac opera ſtatuerunt, fortiſſimè confirmarunt, & latiſsimè propagarunt. Hoc vnum igitur concludo Auditores. Attendite ab iſtis falſis Prophetis, iterumque iterumque cauete, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, in prætextu Euãgelij, verbi Dei, Diuinitus inſpiratæ Scripturæ; intus autem ſunt lupi rapaces, animarum prædones, pietatis iurati hoſtes. Ex fructibus eorum cognouiſtis eos.

* Bernardinus Ochinus dialog. 21.

ORATIONVM ACADEMI-CARVM.

Tomus Alter.

Authore THOMA STAPLETONO Anglo S. Theologiæ Doctore & in Academia Louanienſi Profeſſore Regio.

ANTVERPIÆ,
Apud Ioannem Keerbergium.

ANNO. M. D.C.

APOLOGIA
RECENTIORIS ECCLESIÆ,
Siue,
ADVERSVS PRÆSCRIPTIONEM HÆRETICORVM HODIE contra Patres & Doctores poſteriorum ſeculorum.

Oratio in Licentiæ Theologicæ Laurea ſuſcepta, Duaci habita.

QVod ſemper optaueram, Ampliſſimi & Ornatiſſimi viri, doctiſſimi & humaniſſimi Auditores, vt quod Theologum & Eccleſię filium decet, Theologorum recentiorum cauſam agere, & Eccleſiæ hoſtes publicè traducere, oportuno aliquo loco, ac tempore concederetur; ad illud nunc hodiernus is dies, ad illud frequens hic veſter conſeſſus, ad illud ordo hic nobilium, & doctorum virorum ampliſsimus, volentem inuitat ac prouocat, conaturum iam diu excitat, & currenti calcar apponit. Quum enim ex hoc loco aliquid agere Theologo dignum, hic locus iubeat, hoc tempus exigat, iucundiſsimus hic conſpectus veſter admoneat; nihil profectò huic vel loco aptius, vel tempori accommodatius, vel tantæ nobiliſſimorum, & do-

& doctiſsimorum virorum aſſidenti coronæ gratius,ac oportunius poſſe me dicere exiſtimaui,quàm vt Theologiæ candidatus Theologorum cauſam agerem, & Catholicæ filius, Catholicæ patrocinium ſuſciperem. Neque enim neſcij eſtis,in ea nos tempora hodie incidiſſe,quæ vt in totam Eccleſiam, ita præcipuè in Theologorum nomen,ac caput,hoſtiliter conſpirarunt:quæ vt totius Eccleſiæ, ita præcipuè ſcholæ Theologicæ authoritatem, ac fundamenta conuellunt.

Quas ſanè nefarias, & ſceleratas improbiſſimorum hominum cogitationes, vt Satanas promoueret,ac effectui aliquando daret,infinitas in hunc ordinem calumnias congeſſit, conuitijs & opprobrijs inauditis, Theologorum Principes conſperſit,ac apud rudes & indoctos traduxit:nulli contumeliæ,nulli mendacio, nulli blaſphemiæ parcens, vt hanc aliquando grauiſſimorum virorum,ſaluberrimam authoritatem conuelleret, & ſenes, vt aiunt,è ponte deturbaret. Sed inter cæteras, quæ ſanè & dictu nefandæ, & numero penè infinitæ ſunt, nulla profectò fœdior, nulla grauior, nulla pernicioſior contumelia, calumnia,blaſphemia excogitata & in medium prolata,ab illis Satanæ miniſtris eſt, quàm ea vna, qua totum recentiorum Theologorum, ac Patrum venerandum Senatum,è ſubſellis detrahere; totam poſteriorum horum temporum diuturnam ſeriem perfidiæ damnare;

totos

totos denique hos mille annos, Chriſtiana fide penitus exuere, vna impudentiſſima *Præſcriptione*, & effrõti audacia, ſunt auſi. Sic enim (vt vno verbo infinitam eorum inſaniam complectar) præſcribunt hodie contra Eccleſiam, contra Scholas, contra Theologos & Scriptores Eccleſiaſticos, infauſti huius ætatis hæretici, vt dicant, hos totos mille annos in tenebris pluſquam Cymmerijs volutatos, ac fædis ſuperſtitionibus penitus immerſos, Chriſtianæ profeſſionis nomen tantum obtinuiſſe; fidę caruiſſe; omnes qui eo toto tempore ſcripſerunt, docuerunt, floruerunt, ſeu ſcholaſticos, ſeu quoſcunque alios Scriptores, ac Magiſtros Catholicos, cæcos Duces fuiſſe, proindeque in diſcutiendis quę hodie vigent innumeris illis controuerſijs, ſolos illos primæ Eccleſiæ Patres, ſolos primorum quatuor vel quinque, vel ad ſummum ſex ſeculorum, Scriptores eſſę audiendos. Qui autem ea tempora ſequuntur, ſeu ſanctus ille Gregorius, ſeu Beatus Bernardus, ſeu Venerabilis Beda, ſeu quiſquam alius fuerit, eos omnes tanquam infames homines & iam falſitatis conuictos, à publico veritatis teſtimonio, eſſe repellendos. Hanc iniquiſſimam impudentiſſimorum hominum & ſuperbiſſimam *Præſcriptionem* conuellere, ſimulque Recentioris huius ætatis fidem, Patrum & Theologorum authoritatem tueri, hoc ego tempore hac oratione noſtra, donante Deo, inſtitui. Neque

enim vel huic loco, vel his temporibus, vel auditorum horum grauitati, ac prudentiæ accommodatius, aut gratius, me quicquam poſſe dicere, exiſtimaui.

Partitio. Hanc autem recentioris huius Eccleſiæ Apologiam ſic inſtituam, hanc arrogantiſſimę hæreticorum *Præſcriptionis* proiectam audaciā ſic retundam, vt primùm quidem quam ſit ea iniqua, & ab omni penitus ratione aliena, duabus potiſsimum de cauſis oſtendam. Secundo loco, quāta cum blaſphemia ſit eadem coniuncta, dilucidè demonſtrem. Hæc duo capita, dum pro huius quidem temporis ratione breuiter, pro rei autem dignitate, quàm poſſum grauiter, & ſolidè pertracto, diligēter quæſo, quod facitis, attendite.

Ab initio ſtatim infauſtæ huius & nefandæ hæreſis, quæ ſua nunc immani colluuie & tetra fœditate, totum penè Chriſtianum orbem (proh dolor) conſpurcauit, non defuerunt viri docti & Theologi eruditi, qui cum ipſis infandæ huius ſectæ magiſtris, conſertis quaſi manibus dimicarunt, & pro fide Catholica ſtrenuè concertarunt. Illos inſignes & præclaros viros hic recenſere, non eſt opus. Ipſi beata iam ſunt in pace, & viuunt nomina eorum in æternum. In hac autem concertatione præter ipſas ſacroſanctas Scripturas, Conciliorum, Synodorum, ſanctorum Patrum ac Doctiſſimorum Eccleſiæ luminum, ſacroſancta decreta, ſolidæ rationes, clariſsima teſtimonia

monia, à noſtris in medium proferebantur. Horum quum ſe & multitudine obrui,& authoritatis pōdere proſterni videret Lutherus, Melanchthon, Caluinus, & cętera illa ſceleratiſsimorum hominum turba, eorum maximè, qui iam poſtremis ſeculis in ſumma fidei pace; liberè, clarè & dilucidè de rebus fidei ſcripſerunt; nec illa in ſuas partes aliquo modo trahere ſe poſſe cernerent; omni ſtatim depoſito pudore, omni exuta boni viri facie, impudentiſsimè clamare cœperunt, hæc poſtrema ſæcula, non fidei Chriſtianæ, ſed ſuperſtitionis cuiuſdam Papiſticæ, tempus fuiſſe. Ad primam Eccleſiam, ad antiquiores Patres, appellant. Illam eſſe ſolam puram, & illibatam fidem, quam primi poſt Apoſtolos magiſtri tradiderunt, quæque ex primorum tantum ſeculorum monimentis erui poſſet, inuidioſé clamitant. Hinc factum eſt, vt Lutherus quidem in captiuitate Babylonica, Caluinus in Epiſt. ad Sadoletum, & in Prophetas paſſim, Melanchthon in locis communibus poſteriùs editis, & Andreas Smidelinus in Reſponſione ad Apologiam Frederici Staphili, primos tantum 500. poſt Chriſtum annos Eccleſię Chriſti concedant, reliquos mille annos non Chriſti, ſed Antichriſti eſſe clamitantes.

Hinc porro fit, vt poſteriorum Patrum ſcripta ſanè omnia & ſingula, ac totius huius temporis teſtimonium, inaudito quodam faſtu ac ſupercilio, non vt Ariſtarchi

cenſoria aliqua virgula notent, ac corrigant; ſed vt noui quidam Cæſares penitus abrogent, & toto orbe Romano exulare iubeant. Hinc denique Præſcribunt nobis pro ſuo Imperio, in controuerſijs de Religione tractandis, ſeu ad praxim illæ, ſeu ad doctrinam ſpectent, non niſi ex primis illis quinque aut ſex ſeculis, petenda teſtimonia, depromenda exempla, adhibenda cauſæ patrocinia. Ac nos quidem ſanè antiquiſsimorum Patrum Venerandis veſtigijs, ita cupidè inhæremus, & purioris illius Eccleſiæ (vt loquuntur) teſtimonia tanta auiditate inquirimus, vt ex illis pènè ſolis, noſtrorum de rebus hodie controuerſis libri conſiſtant, illis penè ſolis innitantur. Quod ſanè adeo confidenter faciunt & fecerunt ſemper Catholici Scriptores, vt nemo adhuc (quod ſciam) Catholicus, contra hanc iniuſtiſsimam aduerſariorũ *Præſcriptionem*, vel verbum ſcripſerit. Id quod ex optimæ ſuæ cauſæ magna confidentia faciunt, non quia *Præſcriptionem* tam ſuperbam probent, aut vlla ratione ferendam, putent. Nam ita antiquiorum ſeculorum teſtimonia perquirere, vt poſteriora impietatis & cæcitatis damnemus, vel illis non ſolis aſtringi debere putemus, illud verò & impium & iniquiſsimum. Quod vt nunc probemus, iniquitatem huius nefariæ *Præſcriptionis*, primo loco (vt antea propoſuimus) oſtendemus. Eam verò duobus nos modis probaturos dixeramus.

Primum

Primum ergo, iniquam eſſe hanc Præſcriptionem dicimus, propter paucitatẽ Scriptorũ, qui ex primis ſeculis nobis iam ſuperſunt. Deinde, propter modum ipſum, quem in ſcribendo illi primi Patres tenuerunt. Hoc vtrumquę quum breuiter oſtendero, ad impietatem huius nefariæ *Præſcriptionis* explicandam, noſtra ſe conuertet oratio. Paucitatem ergo primæ Eccleſiæ Scriptorum (quæ primi capitis prima probatio inſtituta fuit) multis argumentis colligimus. Nam vt dę ipſis Euãgelijs & Epiſtolis Apoſtolicis nihil dicamus, quę omnia data potius occaſione, quam dedita opera ſcripta fuiſſe, & antiquiſſimi Theologi notarunt, & ipſa legentibus argumenta oſtendunt; eorum ſanè proximos ſucceſſores *ſcribendi minimam habuiſſe rationem, nec tam edendis libris, quàm erudiendis populis, operam dediſſe*, ſcribit apertè Euſebius Pamphili in Hiſtoria Eccleſiaſtica. Et ſanẽ qui attentius totam illam vetuſtiſſimorum Scriptorũ Bibliothecam euoluit, reperiet illam ferè omnem aut in hæreticis & gentilibus confutandis, aut in Epiſtolis & Apologijs occaſione aliqua data ſcribendis conſiſtere.

Paucitas Scriptorũ primæ Eccleſiæ.

Lib. 3. c. 24

Hinc Irenæi, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Iuſtini Martyris, Ignatij & aliorum ſcripta. Pauci enim, aut nulli eo tempore (primis dico centum aut ducentis annis) vel Scripturas relictis commentarijs illuſtrarunt, vel Homilias ſuas ad populũ ſcripto reliquerunt,

vnde certior Sacramentorũ, & doctrinæ hodie controuerſæ ratio, hauriri poſſit. Poſtea quidem hæc cæpta fieri, ſed perpetua quaſi illorum temporum, vel à gentibus vſque ad annum trecenteſimum & amplius, vel ab hæreticis vſque ad annum ferè quingenteſimum perſecutio, ita partim ſcribendi hoc ſtudium perturbauit; partim quę ſcripta erant, è medio ſuſtulit; alia quoque infortunia, totas nobis toties Bibliothecas eripuerunt, vt rariſſimos iam horum temporum Scriptores, neceſſariò habeamus. Huius rei locupletiſſimi teſtes eſſe poſſunt eorum libri, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſcripſerunt. Qui enim Euſebium, Hieronymum, Caſſiodorum, Gennadium, Trithemium, Honorium, alioſque legerit, & quot iam Scriptores, etiam ab illis enumerati perierint animaduerterit, non ſine lachrimis, opinor, videbit, quanta iam veterum Scriptorum, penuria laboremus. Cauſas verò penuriæ iſtius, varias & multiplices inuenio.

In trecentis illis primis poſt Chriſtum annis, antequam Imperatore Conſtantino, Chriſtianam fidem amplectente, pax firma Eccleſijs redderetur, perſecutiones illę à prioribus Imperatoribus contra Eccleſiam excitatæ, non minus librorum erant, quam hominum; non minus codicum, quam corporum. Vnde apud Chriſtianos, non tantum qui fidẽ abnegabant, ſed & qui libros & ſcripta ſacra perſecutoribus tradebant, Apoſtatæ habebantur.

tur. Hinc illa nominatiſſima Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi (Vnde & Donatiſtarum ſchiſma ac poſtea hæreſis emerſit) accuſatio agebatur, quòd in perſecutione Diocletiani, libros ſacros tradidiſſe, diceretur: ex quo factũ eſt, vt Catholicos tunc Cæciliano communicantes, donatiſtæ, *traditores* appellarent. Porrò in grauiſſima illa decem annorum perſecutione, ſub Diocletiano & Maximiniano Imperatoribus, *ſacri libri & Patrum enarrationes* (vt notauit Nicephorus) *in foro comburebantur.* Quantam hic optimorum Authorum iacturam factam eſſe putare poſſumus? Licinius ille Tyrannus, vnà cum Conſtantino Magno aliquamdiu imperans, ita præclaram huic rei nauabat operam, vt *literarum hoſtis*, ab Hiſtoricis vocaretur, & in Oſorio. At verò Iulianus Apoſtata, omni prorſus literarũ ſtudio, Chriſtianis interdixit. Valente quoque Imperatore, crudeliſſimas de ſucceſſo ſuo agitante quæſtiones, omniáque omniũ ſcripta, & ſcrinia perſcrutante, factũ eſt (vt notauit Ammianus Marcellinus) *vt per Orientales prouincias omnes, metu ſimilium exurerent libraria omnia; Tantus vniuerſos inuaſerat terror.* Neque verò ſub his tantũ Imperatoribus crudelitate, & terrore, omnia permiſcentibus perierunt nobis Authores boni, & antiquiſsimi illi primorũ temporum Scriptores. Hic enim ſi conquieuiſſet hoc malum, poſterorum ſaltem induſtria, reſarciri illud potuiſſet. Verùm acceſſit his malis,

Vide Auguſt. cõtra Fulgentiũ Donatiſtã n. 12. & lib. 7. cap. 2. de Bapt. con. Donat.

Lib. 7. c. 5.

Hiſtor. tripart. lib. 1. cap. 9.

Lib. 7. c. 28. Tripart. hiſtor. lib. 6. cap. 17.

Hiſtoriarũ lib. 29.

malis, immanis illa Barbarorum turba, Vandalorum, Hunnorum, Gothorum, Herulorum, & his ſimilium in Romanum Imperiũ, Africam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, totumque etiam Orientem, circa quadringentos poſt Saluatorem annos irruentium, omniaque vaſtantium, ſacraque ac prophana miſcentium. Notauit hoc circa hæc tempora Sabellicus cum diceret, *ob multorum populorum incurſiones, optimorum Authorum deſtructiones eſſe conſecutas.* Huius quoque rei argumentum, ex Auguſtino colligi poteſt, ſub cuius mortem prima illa Vandalorum irruptio, in Romanum Imperium incidit. Scribit enim alicubi, *perpaucos fuiſſe ſuo tempore in lingua latina Scriptores. In Græca autem,* inquit, *quis numeret?* At verò hodie ex vetuſtiſſimis illis primorum temporum Scriptoribus, qui Auguſtinum præceſſerunt longè plures habemus Latinos quàm Græcos. Ex quo conſtat, magnam poſt eum vaſtationem conſecutam. Porrò in Concilio Carthaginenſi tertio, cui interfuit Auguſtinus, citatur *Capuenſis quædam plenaria Synodus.* Huiuſmodi nunc extat nulla, tametſi quędam eius Acta ac Decreta à D. Ambroſio commemorentur. Citatur etiam ſæpiſſimè ab Auguſtino contra Donatiſtas diſputante, *plenarium totius Orbis Concilium pro Baptiſmo Hæreticorum non iterando,* quo etiam vtitur tanquam antidoto, fortiſsima contra Concilia illa Africana, quibus tantopere Donatiſtæ innitebantur. Huiuſmodi tamen

Contra Fauſtum lib. 3. c. 2.

Can. 38.

Epiſt. 78. & 79.

De Baptiſ. paruu. lib. 1 cap. 18. & lib. 4. c. 16. & lib. 6. cap. 7. & 13

tamen Concilium hodie non reperitur. Nam quod quidam hodie docti viri, illud ab Auguſtino toties commemoratum, Nicenum illud magnum, & primum eſſe putant, mihi nullo modo ſit veriſimile. Eſt enim plus quàm probabile, ſi Nicenum illud fuiſſet, quod vel ſemel illud in creberrima illa mentione facta, Auguſtinus nominaſſet: tum propter illius Concilij Authoritatem maximam, tum propter controuerſiæ quam tractabat, magnitudinem. Sanè in re multò minoris momenti illud Concilium nominatim citat. Deinde tale videtur hoc Concilium fuiſſe, quod ob hanc potiſsimum quæſtionem de Baptiſmo hæreticorum vocaretur. Niceni verò Concilij cauſas, ex propoſito commemorans, & commendans Athanaſius, in Epiſtola de Synodis Arimini, & Seleuciæ, de hac re prorſus tacet. Rurſum tale erat hoc Concilium, quod alijs varijs Synodis & in Africa & in Aſia hac de re collectis ſatisfaceret, eaſque ita corrigeret, vt Epiſcopi ipſi, tam Africani, quàm Orientales, qui cum Cypriano contrarium decreuerant, ſententias ſuas hac de re poſtea mutarent. Nam ita hoc factum fuiſſe, illuſtres teſtes ſunt Sanctus Auguſtinus contra Creſconium Donatiſtam, libro tertio capite ſecundo, & paulò ante eum Hieronymus, qui *eoſdem ipſos Epiſcopos nouum emiſiſſe decretum narrat.* Quod certè tam cito, & tam ſolenniter factum non fuiſſet,

Epiſt. 118.

ſine

ſine Concilij magis vniuerſalis ipſis adhuc viuentibus, congregati authoritate. Quod ſi ita eſt, Nicenum multis annis præceſſerit neceſſe eſt. Nam quòd Diuus Hieronymus ſcribit loco citato, *Nicenam Synodum omnes hæreticos ſuſcipere, exceptis Paulianiſtis*, eſt quidem ita vt in Can. 19. illius Synodi illos ſolos rebaptizandos cenſeat; ſed non propterea illud fuiſſe Concilium, de quo toties Auguſtinus loquitur, inde colligitur, quod in eo Can. de tota hac quæſtione, nihil aut directè concluditur, aut euidenter aſſeritur: quod tamen in illo Concilio toties ab Auguſtino citato, euidentiſſimè & pleniſſimè tactum fuiſſe, ex illa tam frequenti & confidenti eius citatione, facilè conſtat. Quare excidit nobis haud dubiè, Concilium illud longè grauiſſimum, atque plenarium.

Quid, quòd multis ante Auguſtinum annis in Synodo ſecunda Arelati habita allegatur *generale Concilium ſub Beati Martini*, vel (vt alij legunt) *Marini tempore, ex omnibus mundi partibus in eadem vrbe Arelatenſi, celebratum*? Sed eius hodie ne veſtigium quidem apparet. Ex quibus omnibus perſpicuum fit, poſterioribus haud dubiè perſecutionibus, grauiſsima hæc primæ Eccleſiæ monimenta, erepta nobis eſſe.

Can. 18.

Neque verò ab externo ſolum hoſte paſſa hæc eſt Eccleſia, aut ab infideli tantùm & Barbaro, ſed & à Domeſticis quoque, quos enutri-

enutriuerat vt filios, ſed ipſi ſpreuerunt eam. Nam & hæretici quoque Catholicorum libros, & ſcripta crudeliſsimè, ſi quando fortiores eos eſſe contigerat, depopulabantur. Ariani Bibliothecam Alexandrinam, optimis & antiquiſsimis Authoribus inſtructiſsimam, penitus incenderunt. Cuius rei locupletiſsimus teſtis eſt Athanaſius ille Magnus, reliquique Ægypti Epiſcopi, dum Marco Roman. Pontiſici pro exemplaribus Niceni Concilij eo quoque tempore, incendio abſumptis ſcribunt, ſimulque Arianorum tyrannidem, in Epiſcoporum libris concremandis, oſtendũt. Peſtis iſta Arianica quantò diutius ac potentius Orbem Chriſtianum occupauit, tantò ab ea grauius ac vehementius, hoc in genere peccatum fuiſſe, veriſimile eſt. Sed & Donatiſtæ, patrum ſuorum hæreticorum menſuram implentes, ſi Auguſtino credimus, *Catholicorum libros incenderunt*. Atque hæc quidem omnia in prima illa Eccleſia, & intra quadringentorum plus minus annorum ambitum, contigerunt. Iam verò ſi poſteriorum perſecutionum, & vaſtationum hiſtoriam, vſque ad annum Domini ſexcenteſimum texere vellemus, & quas toti Italiæ ferè ducentis annis, Longobardi clades intulerunt perſtringere, immane quantus dicendi campus, in quo excurrere poſſet oratio, daretur. Ego verò ex paucis his exemplis, liquidò iam vobis conſtare arbitror, quantò neceſſario ex his, quæ diximus

In epiſt. ad Marcum Papam.

Contra Gaudentiũ lib. 2. c. 14.

mus

mus, Scriptorum antiquiſsimorum paucitas conſequatur.

Quæ cùm ita ſint, quàm inhumaniter & iniquè, ne dicam temerè & impudenter, illi agant, qui grauiſſima fidei noſtra myſteria, adeoque ſingulos ritus ac ceremonias, non aliter agnoſcunt atque admittunt, niſi ex hac incertiſſima Antiquorum Scriptorum paucitate, certa illis & manifeſta omnia, idq; abundanter & copioſè reddantur, veſtro iam omnium iudicio perpendendum, relinquo.

Venio nunc ad primi capitis ſecundã cauſam. Iniquiſsimam enim eſſe hanc hæreticorum de primis illis quingentis aut ſexcentis annis præſcriptionem dicimus; non ſolum propter Scriptorum illius temporis, qui quidẽ hodie ſuperſunt, paucitatem, ſed multò magis propter modum ipſum ſcribendi; quem illi antiquiſsimi Patres & Scriptores tenuerunt. Nempe, ſicuti Apoſtoli ipſi (vt diligenter notauit Euſebius Pamphili in demonſtratione

Lib.1.c.6. ſua Euangelica) *quæcunque à Chriſto quaſi ſapientioribus, & magis ſpiritualibus præcepta fuerant, illa ijs tantum quos capaces eorum eſſe intellexerant, ſiue ſcripto tradiderunt; quæ vero infirmioribus & vulgò fidelium conuenire exiſtimabant, eorum quædam quidem in ſcripto reliquerunt, quædam verò per ſanctiones & ritus non ſcriptos, obſeruanda tradiderunt*, ad eundem planè modũ, & primæ Eccleſiæ Patres, quotquot ſexcentis illis primis annis floruerunt, Apoſtolorum veſtigia, & exempla ſequuti, fecerunt.

fecerunt. Notauit hoc in illis diſertè Baſilius Magnus, moremque ac ſtudium iſtud maiorū ſuorum, pluribus verbis & commemorat. & commendat. Sic enim in libro de Spiritu Sancto, poſtquam varias traditiones, *tacita & arcana* doctrina relictas enumeraſſet, ſubiungit. *Reliqua item ex qua Scriptura? Nonne ex hac non publicata & arcana doctrina, quam in minimè curioſo ac ſollicito ſilentio Patres noſtri conſeruarunt? Rectè illi: vt pote dicti, Myſteriorum reuerentiam ac authoritatem, ſilentio cuſtodiri. Quæ enim ne inſpicere quidem fas erat, non initiatis horum doctrinam, quomodo par erat in literis velut in triumpho, oſtentare?* Comparatione deinde facta cum Sanctuario veteri, eiuſque arcanis myſterijs; *ad eundem*, inquit, *modum etiam hi qui ab initio res Eccleſiaſticas ſanciuerunt, Apoſtoli & Patres, in occulto ac ſilentio myſterijs, Authoritatem conſeruarunt.* Nimirum aderant tum permixti Chriſtianis in vrbibus Ethnici & Iudæi, in Eccleſijs Catechumeni, idque totis illis ſexcentis annis, vſque ad Gregorij Magni tempora. Hinc factum eſt, vt nec dicentium vox prorſus libera in Eccleſijs audiretur, nec manifeſta in ſcriptis libris doctrinâ legeretur: peruentura haud dubiè in aduerſariorum manus, quibus nec doctrina ad ſuggillanda, nec malitia ad irridenda noſtra myſteria deerat. Hinc Tertullianus quum grauiſſima illa de infanticidio calumnia obijceretur, licet Apologiam inſtitueret, tamen de Sacrificio Chriſtianorum (propterquod illa

De Spir. S. cap. 27.

In Apologetico c. 9.

calumnia conficta fuit) ſummo ſilentio tacuit. Sic Cyrillus Alexandrinus, obijcienti & quęrenti ſemper Iuliano Apoſtatæ, cur non ſacrificaremus, de mentis & animi ſpirituali ſacrificio, fuſiſſimè reſpondet; de Eccleſiæ illo ſingulari & myſtico Sacrificio ne verbum quidem. Sed apertiſsimè hunc Patrum ſui temporis morē notauit Gregorius Nazanzenus. Sic enim ſcribit. *Non cantemus*, inquit, *canticum Domini in terra aliena, videlicet, citra vllum diſcrimen quibuſuis audientibus: ſiue ij ſint generis noſtri ſiue peregrini; amici ſiue inimici; candidi ſiue maligni, quorum vnicum eſt ſtudium, noſtris inſidiari.* Et paulò poſt. *Quod ſi ſapientiam nobis inimicam* (admixtos Philoſophos & infideles intelligit) *explodere non licet, in illud ſaltem vno conſenſu incumbamus, vt ſecreta quæ ſunt, & à vulgi conſpectu ſemota, ſecretò quoque tractemus; & quæ ſancta ſanctè: nec in prophanas aures, quæ ſilentio ſunt adoranda, proiiciamus. Alioqui declaramus apertè, quia qui Dæmonia adorant, & turpium tum fabularum, tùm rerum ſunt cultores, eos nobis eſſe longè Religioſiores. Illi enim his qui non eiſdem initiati ſunt ſacris, ſanguinem ſuum citiùs quàm quædam arcana ſua, impartirent.* Hęc ille. Adeo autem celandorum hoc myſteriorum, in Chriſtianis ſtudium, etiam ipſis Ethnicis innotuit, vt Aurelianus Imperator Ethnicus, ſic ad Pontifices ſuos Ethnicos Romæ agentes ſcripſerit, vt meminit in eius vita Flauius Vopiſcus, *Miror*, inquit, *vos Patres ſancti, tam diu de aperiendis Sybillinis dubitaſſe libris, perinde*

Lib. 9. contra Iulianū.

De Theolog. Lib. 1.

Vopiſcus in Aureliano.

inde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, non in templo Deorum omnium, tractaretis. Intellexerat videlicet homo Ethnicus & gentilis, in Chriſtianorum Eccleſia Myſteria omnia, ritus ac ceremonias ſacras, ita ſummo quodam & ſacro ſilentio occultari, vt earum rerũ nihil ad prophanorum hominũ aures, peruenire vnquam potuerit.

Quòd ſi fortè tandem aliquando, fidei quædam Myſteria, Patres illorum temporum fuſius, & apertius pertractabant, id hæreticorum ſola importunitas extorſit. Sic enim in cauſa Trinitatis omnium ſanè diuiniſſima & difficillima, variæ illæ Sabellij, Arrij, Macedonij & Eunomij hæreſes, ad diligentiſſimam & minutiſſimam, Myſterij illius altiſſimi diſcuſſionem, vel inuitos Patres trahebant. Notauit hunc Eccleſiæ morem Auguſtinus, ſic ſcribens: *De Trinitate perfectè tractatum non eſt, antequam oblatrarent Arriani: de Pænitentia perfectè tractatum non eſt, antequam obſiſterent Nouatiani; de Baptiſmate perfectè tractatum non eſt, antequam contradicerent rebaptizatores Donatiſtæ.* In illis autem fidei ac doctrinę Catholicæ dogmatibus, de quibus totis illis ſexcentis annis dubitatum, aut controuerſum non erat (qualia plæraque ſunt, quæ hodie ex certis & indubitatis, controuerſa & dubia fecit improbitas & impietas hæretica) illorum temporum Patres parciſſimè & rariſſimè diſſeruerunt. Enarrat. in Pſal. 54.

Hoc ita ſe habere, in quibuſdam Eccleſiæ Sacramentis, de quibus tunc fiebant nullæ, Sacramentorum doctrina quã parce &

obſcurè olim tradita. hodie plurimæ, & maximæ fiunt Controuerſiæ, exempli cauſa clariſſimè demonſtrabitur. Beatus Chryſoſtomus è ſuperiori loco apud populum agens; quum de Baptiſmi ritibus apertè aliquid diſſerere quàm maximè cuperet, non liceret autem per prophanos illos & catechumenos Concioni admixtos, ſic aûditores ſuos allocutus eſt: *Cupiam ſanè clarè proferra verba, ſi per prophanos illos liceret* (Ethnicos & Catechumenos quibus Conſtantinopolis abundabat, intelligit) *Nam hi difficiliorem nobis interpretationem reddunt. Cogunt enim aut non clarè dicere nos, aut myſteria vulgare. Dicam tamen, ſed quantum fieri poteſt adumbratè. Nam poſt arcana illa verba & metuenda, poſt horribiles Canones, dogmatum de cælo tranſmiſſorum, ad finem adiungimus, Credo in reſurrectionem mortuorum.* Hæc ille, Baptiſmi ritus & ceremonias inſinuans, quas hodie vſquè tenet Catholica. Item de Sacramento ordinis, eiuſque item ceremonijs, ſic alibi ſub inuolucro loquitur, *Ordinaturus*, inquit, *adſtantiam vocat præces, & ipſi ſententias ferunt & acclamant, id quod initiati ſciunt. Non enim fas eſt, non initiatis omnia detegere.* Hæc ille. Eundem quoque morem Innocentius 1. Romanus Pontifex huius συγχρονος & contemporaneus ſeruat. De Sacramento enim Confirmationis, ex quæſtionis cuiuſdam occaſione diſſerens, quum multa dixiſſet. *Verba verò*, inquit, *dicere non poſſum, ne magis myſterium prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.* Atque hæc in illis

Homil. 40. in 1. ad Corint.

Homil. 18. in 2. ad Corint.

Epiſt. 1. cap. 3. ad Decentiū.

illis tribus Sacramentis, ſic illis tunc temporibus ſcripta videmus. In genere autem, de omnibus Myſterijs eundem obſeruatum ſemper morem fuiſſe, tradit apertè Diuus Ambroſius, in lib. de ijs qui initiantur myſterijs. Illum enim ſermonem ſuum, quia non niſi ad iam baptiſatos habebat, ipſemet rationem reddit his verbis. *Nunc de myſteriis dicere tempus admonet, atque ipſam Sacramentorum rationem edere, quam ante Baptiſmum ſi putaſſemus inſinuandam nondum initiatis, prodidiſſe potius quàm edidiſſe, æſtimaremur.* Hæc ille, apertiſſimè morem Eccleſiæ veteris, quem iam diximus demonſtrans. Cap. 1.

Iam verò in ſummo omnium & celebratiſſimo venerabilis Euchariſtiæ Sacramento, circa cuius materiam, ſubſtantiam, effectum, vſum, ritus ac ceremonias, infinitas nobis hodie controuerſias, quæſtiones, lites, & contentiones, infauſta hæc noſtrorum temporum hæreſis, peperit, paritque indies, quantis perpetuò compendijs & βραχυλογίαις priscorum ſeculorum Patres ſunt vſi, quàm nihil clarè, nihil apertè, nihil copioſè; ſed omnia ſuccinctè, myſticè, & quaſi ſub ſilentio tradiderint, plurimorum nunc Patrum breuibus ſententijs, breuiter ob oculos ponam. Origenes antiquiſſimus Græcorum ſcriptor, cùm de hoc myſterio pertractaret, tanquam rem notam, nec vulgandam citò præterit, dicens: *Nouit qui myſterijs imbutus eſt, Carnem & Sanguinem*

Venerab. Euchar. myſterium quàm obſcurè traditum.

In Leuit. homil. 9.

 verbi

verbi Dei. Non ergo immoremur in his, quæ & ſcientibus nota ſunt, & ignorantibus patere non poſſunt. Idem facit Homil. 13. eiuſdem operis. Tertullianus ad vxorē ſcribens; *Non ſciet*, inquit, *Maritus quid ante omnem cibum guſtes? & ſi ſcierit panem, non illum credet qui dicitur.* Sub nube hæc ita proferuntur, vt ſi in ea fortè incidat Ethnicus, non capiat myſterium. Sic Epiphanius, quum hiſtoriam Cœnæ Dominicæ obiter vellet exponere, prorſus à Sacramenti verbis abſtinet. *Videmus*, inquit, *quod accepit Saluator in manus ſuas, veluti Euangelium habet, quod ſurrexit in Cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egit, dixit, hoc meum eſt hoc, & hoc.* Quis hæc niſi Chriſtianus, iſque ſacris myſterijs initiatus, intelligeret? Hoc nimirū eſt myſticè myſteria tractare. Heſychius ſimiliter vetuſtiſſimus Scriptor, quum de hoc Sacramento verba faceret: *Præueniens*, inquit, *Dominus ſemetipſum in Cœna Apoſtolorum immolauit, quod ſciunt qui myſteriorum percipiunt virtutem.* Videte vt ad ſcientes loquitur, non vt neſcientes quicquam doceat. Eodem planè modo Theodoretus, quotidiani Sacrificij vſum, vnicæ in Cruce oblationi minimé repugnantem, volens inſinuare; *Clarum*, inquit, *eſt his qui ſunt in diuinis rebus eruditi, nos non aliud Sacrificium offerre, &c.* Ita rurſum commonefacit, tanquam de re nota, nihil autem clarè docet aut demonſtrat ipſe. Manifeſtius verò hoc alibi facit. Interrogante enim aduerſario, *quid appelles donum quod offertur ante inuocationem ſacerdotis*, reſpon-

Lib. 2 ad vxorem.

In Anchoratu.

Lib. 1. c. 4. in Leuit.

In com. ad Hebr. cap. 8

Dialog. 2.

reſpondet orthodoxus. *Non oportet apertè dicere. Eſt enim veriſimile adeſſe aliquos myſterijs non initiatos.* Moxque reſpondetur ænigmaticè, tacitis panis & vini vocabulis. D. autem Chryſoſtomus, etſi vnus omnium copioſiſſimè & frequentiſſimè de hoc Sacrificio, & Sacramento ſcripſerit, nihil tamen apud eum compendijs iſtis & præciſionibus frequentius. Agens enim hac de re apud populum; *Sciunt,* inquit, *initiati quid dicatur*; & alibi: *Scitis qui imbuti eſtis myſterijs:* Et iterum: *Noſtis id quod dicimus: ſiue ſexta feria, ſiue Sabbatho, ſiue in Dominica Die, ſiue in celebritate Martyrum, eadem litatur hoſtia, idem immolatur ſacrificium.* Rurſum quoque: *Sequamur,* inquit, *initiati, quæ dicuntur, norunt fideles.* Vt in Oriente Chryſoſtomus, ita in Occidente Auguſtinus, pluſquam Laconica verborum breuitate vtitur, quoties de hoc myſterio diſſerit. Agens enim alicubi, apud populum de Eccleſiæ Sacrificio, *Noſtis,* inquit, *quale Sacrificium: norunt fideles.* Et ibidem paulò poſt: *Norunt fideles. Diſputari inde modò non poteſt.* Et alibi: *Nouerunt,* inquit, *qui legunt, quale Sacrificium obtulerit Melchiſedech.* Quam locutionis formam multis in locis vſurpat. Contra aduerſarium legis & Proph. cap. 20. In Pſal. 33. Conc. 1. in Ioan. Tract. 26.

Homil. 17. in Gen. Homil. 22. ad Hebr. Hom. 5. in 1. ad Tim. Hom. 51. & 61. ad Pop. Antiochenum.

Enarr. in Pſal. 21. Conc. 2.

Ex quibus omnibus loquendi formulis, quum conſtet Patres illorum temporum, de Sacramentis Religionis noſtræ, nihil fuſè pertractaſſe, nihil copioſè diſſeruiſſe, nihil aperta narratione demonſtraſſe, ſed parcè & breuiter

1. Partis concluſio.

ſumma rerum capita attigiſſe, & res grauiſſimas leuiter ex propoſito prçteruolaſſe, omniaque ad auditorum, & legentium notitiam retuliſſe; quis non videt, iniquiſſimam eſſe illorum, & ab omni ratione, ac æquitate alieniſſimam Præſcriptionem, qui dogmata hodie controuerſa, maximè circa doctrinam Sacramentorum & Religionis cultum, non niſi ex illorum Patrum ac ſeculorum documentis clariſſimis, teſtimonijs apertiſſimis, praxi perſpicua, & dilucida peti, probari & demonſtrari volunt? Quum enim iſti nullam prorſus rationem habeànt, vel eo tunc tempore ſcribentium paucitatis; vel librorum quę inde ſecuta eſt, iacturæ & infinitæ vaſtitatis; vel ipſius in ſcribendo breuitatis, ac parcitatis; ſeu propter primorum Patrum, in myſterijs fidei occultandis reuerentiam; ſeu propter Ethnicorum & Catechumenorum, perpetuam cum fidelibus commixtionem; iſtos ſanè homines, eorumque furioſam Præſcriptionem, ab omni penitus oratione eſſe alieniſſimam, quis dubitet?

Pars 2. Venio nunc itaque, ad alteram illam Orationis noſtræ partem, longè grauiſsimam & veſtra (ornatiſſimi Auditores) diligenti attentione digniſsimam, in qua non de iniquitate, temeritate, aut leuitate aliqua, ſed de nefanda & abominanda, Chriſtianiſque auribus & cordibus deteſtanda blaſphæmia, Præſcriptionis huius impudentiſſimæ, agendum

dum

dum nobis erit. Hoc ergo in loco, hac in cauſa, non animis ſolum, ſed & affectibus adeſte, mecumq; impietatem iſtã, poſt hominũ memoriam ſceleratiſſimã feriò conſiderate: Quid enim eſt quod audent, aut potius quod nõ audent dicere? Auſi ſunt & dicere & ſcribere, & toti poſteritati editis libris cõmendare, his totis mille annis, totum Chriſtianũ orbem, ſub Papatu (ſic enim loquuntur iſti κενόδοξοι) ſuperſtitionibus infinitis inuolutum, erroribus innumeris implicatum, idololatriæ denique cuiuſdam craſſiſſimę, reum fuiſſe. Ipſum porro Eccleſiæ Caput & Principem, ipſummet eſſe Antichriſtum: *Nos enim* (ait Caluinus) *ſceleratì illius & abominandi ſub Antichriſto Regni, Ducem & Anteſignanum apud nos facimus Romanum Pontificem.* Institut. lib.4.c.2. num.12. Cæteros autem Epiſcopos, Abbates, Monachos, Præſbyteros, totumque Clerum ac populum Chriſtianum, quotquot iam his mille annis Romano Pontifici vt Vicario Chriſti, obedientiam præſtiterunt; membra eſſe Antichriſti & filios perditionis. Theologos porrò, ac Scholaſticos, Magiſtros omnes, qui hoc toto tempore docuerunt, tenebrarum Magiſtros, cæcos Duces, atque adeò, vt verbo contumeliam addant, paraſitos Pontificios, & lixas regios, ſuperbiſſimè appellitant. O ſceleratam blaſphemiam. O proiectam audaciam. O portenta hominum in vltimas terras deportanda, imò ex omni terrarum orbe, quam longiſſimè exterminanda. Liceat hic

mihi (per veſtram omnium humanitatem & pietatem rogo) mutato nonnihil orationis genere, ipſos hic aduerſarios noſtros compellare, & ad illos tanquam præſentes, Orationis velum conuertere.

Vos hic ergo compello tota Proteſtantum confuſa turba, vos ſanctæ Eccleſiæ (Matris olim veſtræ; ac adhuc etiam noſtræ) non iam filij, ſed ſpurij & Apoſtatæ, ad vos hęc noſtra ſe conuertit Oratio. Illane Eccleſia verbi Dei Incarnatione fundata, cæleſtibus promiſſis ſtabilita, Sanguine vnigeniti redempta, aduentu S. Spiritus confirmata, Apoſtolica prędicatione erudita, Martyrum cruore ſignata, poſt ſexcentos tandem annos veſtro iudicio deſijt, vt mille penè iam annis ſeducta, & nequiſsimis erroribus implicata, in fine tandem ſeculorum apud pauciſsimos reuiuiſceret? Hoccine in Euangelio reperitis? Iſtud ne ex verbo Dei didiciſtis? An non prorſus contraria legitis? *Ego*, inquit, Saluator, *vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi: quæ cùm diceret, Apoſtolis loquebatur, ſed nos intelligebat*, ait Auguſtinus. *Nunquid enim Apoſtoli hic futuri erant vſque ad conſummationem ſeculi?* Ecce ergo perpetuò, præſentem Eccleſiæ ſuæ auditis Chriſtum. Vſque ad conſummationem ſeculi dicit, non in conſummatione ſola: vſque ad finem non in ipſo fine tantum; vſque ad exitū rerum, non in ipſo demum exitu, vt ante exitum tot eam annis deſeruerit. Rurſum, *ſuper hanc*

Matth. vlt.

Enarrat. in Pſal 47.

hanc petram, ait Chriſtus, *ædificabo Eccleſiam meã, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Aperite ergo oculos & videte perpetuam Chriſti Eccleſiã, videte ſolidam, validamq;, vt aciem caſtrorum ordinatam, & vt petram immobilem, aduerſus quam nec portę inferi præualebunt. Et qua fronte vos ſuperſtitiones, qua fronte errores, qua fronte idolorum cultum, aut in ea, aut contra eam, præualuiſſe dicitis? An fortè portę inferi pręualere non potuerũt, ſed portæ Romanæ poterant? Sed & iterum; Chriſtus rogauit Patrem, *vt alium Paracletum daret Eccleſiæ ſuæ, vt maneret cum ea in æternum, Spiritum veritatis.* Si Spiritum veritatis in æternũ, quomodo ſpiritum erroris per tot Centenarios? An irrita Chriſti verba, ô verbi Dei aſſertores, dicemus? aut contra Chriſti diſertiſsima verba Eccleſiam nobis ſua cæleſti præſentia perpetuò adminiſtrandam, contra portas inferi ſemper muniendam, Spiritu veritatis in æternum dotandam promittentis & aſſerentis; veſtris vaniſſimis, & ſceleratiſſimis verbis eam defeciſſe, aberraſſe, & diris erroribus implicatam fuiſſe aſſerentibus, credendum putabimus? Hoccine eſt ad verbum Dei, fidem (quod pollicitamini) reuocare, vt verbis veſtris contra Chriſti verba, credamus? Hoccine eſt Euangelij lucem prædicare, vt Euangelium perpetuis iam in tenebris obuolutum, ipſo etiam reclamante Euangelio, doceatis?

Matth. 16.

Ioan. 14.

Quid, quòd non Euangelio ſolum, viri Euan-

Euangelici apertè contradicitis, ſed & propheticam quoque doctrinam (quam vobis ſolis magno ſupercilio arrogatis) hæc veſtra præclara Præſcriptio penitus proſcribit? Ecquid enim in Pſalmis, & in Prophetis, frequentius aut clarius reperitur, quàm Chriſti Eccleſiam, à ſuo primum exordio, ad fines vſque ſeculorum, perpetua ſucceſſione decurrere & perdurare? Pauca de multis breuiter perſtringam, & notabo potius, quàm oſtendam. In Pſal. 88. ſic legimus: *Diſpoſui Teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen tuum, & ædificabo in generatione & generationem ſedem tuam.* Et iterum: *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit.* Quæ verba ſi cum Iudæis potius ad Salomonem, quàm cum Eccleſiæ Patribus ad Chriſtum referri vultis; (hoc enim inſaniæ veſtræ conuenit) at illa, opinor, ad Chriſtum ſpectare non negabitis, ipſis etiam Phariſæis, & Iudæorum Principibus, iam olim præſente Chriſto id confitentibus, quæ idem Propheta dicit:
Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Quod ſi in æternum Sacerdos, quomodo tot annorum centurijs, ſine ſacerdotio, ſine Sacrificio, ſine Eccleſia? An fortè dicturi eſtis, quod dixerunt olim Donatiſtæ cum hæc audirent, vt meminit Auguſtinus?
Enarrat. ibidem. *Iam hoc factum eſt. Iam crediderunt in Chriſtum omnes gentes. Sed illa Eccleſia quæ fuit omnium gentium,*

tium, iam non eſt, perijt? Imò hæc planè ſunt verba veſtra, hæc vox omnium veſtrum eſt, periiſſe his nongentis annis veram Chriſti Eccleſiam. Ex hoc enim vno abſurdo, illa veſtra Præſcriptio abſurdiſſima, nata eſt. At audite, per ſi qua adhuc in vobis reliqua eſt, fidem veſtram, per amores omnes rogo, quid de hac voce, olim Donatiſtarum, nunc veſtra, antiquiſſimus ille & ſanctiſſimus Pater, Doctorque celebratiſſimus Diuus Auguſtinus, ſenſerit. Sic eam commendat, ſic exornat. *Hanc*, inquit, *vocem abominabilem & deteſtabilem, præſumptionis & falſitatis plenam, nulla veritate ſuffultam, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam, præuidit Spiritus Dei; & per Prophetam in perſona Eccleſiæ, dixit. Exiguitatem dierum meorum nuncia mihi. Quid eſt, quod neſcio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid eſt, quod perditi me periiſſe contendunt? Certè enim hoc dicunt quia fui, & non ſum amplius. Annuncia ergo mihi exiguitatem dierum meorum. Non à te quæro dies illos æternos. Illi ſine fine ſunt, vbi ero: Non ipſos quæro. Temporales quæro, temporales dies mihi annuncia. Quamdiu ero in iſto ſeculo, annuncia mihi, propter illos qui dicũt. Fuit Eccleſia & non eſt: propter illos qui dicunt. Impletæ ſunt Scripturæ: Crediderunt omnes Gentes: ſed apoſtatauit & perijt Eccleſia de omnibus gentibus. Et annunciauit, nec vacua fuit vox iſta. Quomodo annunciauit? Ecce, inquit, ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Enarrat. in Pſal. 101. Hæc hactenus Auguſtinus contra ſuos olim

Dona-

Donatiſtas. Hæc & nos contra vos hodie, non tam noſtros, quàm Eccleſiæ, & ipſius Chriſti aduerſarios, ſimili inſania laborantes, ſimiliter proferimus ac repetimus.

Sed redeo nunc ad prophetica, & vnum vobis Eſaiam non tam Prophetam, quàm Euangeliſtã (ſic enim ab [a] Auguſtino & [b] Hieronymo nuncupatur) oppono. Sic de Meſſiæ Regno, quod eſt Eccleſia, ſcribit. *Multiplicabitur eius imperium & pacis non erit finis, ſuper Solium Dauid & ſuper Regnum eius ſedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia; amodo & vſque in ſempiternum.* Rurſum ſic alibi gentes in perſona Dei alloquitur Propheta: *In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dixit Redemptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducerem aquas vltrà ſuper terram: ſic iuraui vt non iraſcar tibi & non increpem te, Montes enim commouebuntur & colles contremiſcent: Miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miſerator tuus Dominus.* Potuitne quicquam clariùs aut apertiùs dici? Aut contra hæc quod aliqua fronte vel muſſitari queat; habetis? Annon etiam clariſſimo Noë exemplo, animi ſui ſententiam Propheta explicat? Non videtis, quòd ſicuti poſt primum illud ſub Noe totius orbis diluuium, nullum talė aliud denuò futurum, Deus certiſſimè promiſit: ſic poſt illam omnium gentium, ante Meſſiæ aduentum cæcitatem

a. De ciuit. Dei lib. 18. cap. 29.
b. In proœmio in Eſaiam.
Eſai. 9.
Eſai. 54.

tatem (ſolis Iudæis, vt tunc ſolo Noë, cum ſuis, in arca Synagogæ ſeruatis) nullam deinceps ſimilem futuram, clariſſimè pollicetur? Et audetis tamen vos (quanquam quid eſt quod non audetis?) hanc omnium gentium cæcitatem, tanquam nouum totius Orbis diluuium, his totis mille annis, iam factam fuiſſe pronunciare? Quid ergo ad hæc Prophetæ verba dicitis, quid vel hiſcere poteſtis? Nouũ totius orbis Diluuium.

Non deſunt acutis hominibus prompta perfugia. Reſpondet intrepidè Caluinus veſter, & in hunc Eſaiæ locum commentans, iſtud nobis non veri commentarij, ſed commenti potius vaniſſimi, homo impudens obtrudit. Sic enim in poſtremum iam productum locum ſcribit. *Tametſi, inquit, innumeris ſuperſtitionibus omnia polluta ſint, vt propemodum obrutum fuerit Chriſtianum nomen, aliqua tamen Eccleſiæ forma, quamuis mutila in Orbe remanſit.* Caluĩ. in Com. in Eſai. 55. & 56. Rurſum paulò poſt: *Tametſi Eccleſia fluctuet, atque agitetur variis modis inter has tempeſtates, tamen quia Dominus perpetuam ſui nominis memoriam eſſe vult, eam tuebitur ac defendet.* Pulchré ſanè & bellè reſponſum. Schemate quodam & tropo remotionis rhetoricæ, apertiſsimam & clariſsimam veritatem offuſcare, verbiſque paulò concinnius diſpoſitis, ac connexis, Lectori fucum facere, vafer, & verſipellis homo molitur. Sed non ita facilè manifeſtiſſimæ & fortiſſimę veritatis, aut extinguitur ſplendor, aut retunditur acies; nec inanis verborum

ſtrepitus tantam rei grauitatem, quaſi leuis arundo immobilem Petram cõcutere poteſt. *Pollui omnia ſuperſtitionibus innumeris, Obrui quoque propemodum Chriſtianum nomen, & mutilam Eccleſiæ formam remanere*, quæ dicit Caluinus ex Diametro repugnant, *miſericordiæ ſempiternæ, qua miſertus eſt gentium Deus; miſericordiæ, quæ non recedet ab Eccleſia gentium, & fœderi pacis, quod non mouebitur*, quæ omnia dixit Propheta Eſaias. Hoc non eſt Prophetæ verba commentario illuſtrare, ſed eſt Prophetã & Deum ipſum commenti, & (ô blaſphemiam) mendacij arguere.

Propterea ſanè adhuc apertius idem alibi Propheta eandem hanc Dei promiſſionem repetit & inculcat. *Quum venerit*, inquit, *Sion*

Eſai. 59. *redemptor*, &c. *Hoc eſt fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui eſt in te: & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus; Amodo & vſque in ſempiternum.* Hic ergo quid dicis, Caluine? In hæc verba quid tandẽ commentaris? quem fucum facies? quam fraudem inuenies? Licet hic cum Auguſtino ſic in ſi-

Cõtra Donatiſt. poſt Collationẽ cap. 24. mili cauſa exclamante, dicere: *O violentia veritatis, quolibet eculeo, quibuſlibet vngulis fortior ad exprimendam confeſſionem.* Hic enim vi veritatis victus Caluinus, veriſſima hæc verba vel in-

In Com. ibidem. uitus protulit. *Promittit propterea ineſtimabili hoc bono, Eccleſiam nunquam priuatum iri, quin Spiritu Sancto regatur, & fulciatur cæleſti doctrina. Parum enim eſſet nobis, ſemel offerri Euangelium, noſque Spiritu*

ritu donari, niſi apud nos perpetuò reſiderent. Et paulò pòſt. *Promiſſio eiuſmodi eſt, Dominum ſic affuturum Eccleſiæ, ſicque eius curam habiturum, vt eam priuari vera doctrina nunquam ſinat.* Hic ergo te teneo, Caluine, hic te vrgeo. Hæc te noſtra, imò tua te ipſius cruentat Oratio. Corruit iam penitus hæc tua, tuorumque petulantiſſima Præſcriptio. Corruit totius nouitatis, ac falſi nominis Religionis veſtræ, fundamentum. Corruit ſimul quicquid tam lubrico fundamento ſuper extruxiſtis. Si enim (quod ipſemet fateris) *inæſtimabili hoc bono* (ſic enim rectiſſimè id vocas) Eccleſiam ſuam Deus ditauit, *vt Spiritu Sancto ſemper regatur, vt cæleſti doctrina ſemper fulciatur, vt apud eam Euangelium perpetuò reſideat,* vt denique, ſic adſit Eccleſiæ ſuæ Deus, *vt vera eam doctrina nunquam priuari ſinat;* quæ omnia tua ſunt verba: quanta tu abſurditate, quanta impudentia, quanta repugnantia dicis, his totis mille annis *ſuperſtitionibus* nõ paucis, ſed *innumeris*, nec quædam, ſed *omnia Religionis Chriſtianæ polluta fuiſſe, ipſumque Chriſtianum nomen, obrutum propemodum iacuiſſe?* Hæccine cohærent? Hęccine conueniunt? An non potius ex Diametro, & δὶς διὰ πασῶν, vt dicũt, repugnant ac diſſident? Sed illum iam eiuſque conſimiles, miſſos facio.

Caluini fœdæ contradictiones.

Ad veſtram nunc prudentiam, grauitatem, æquitatem, ampliſſimi & ornatiſſimi Auditores, noſtra ſe reflectit Oratio. Veſtrum hic grauiſſimum iudicium, veſtram ſententiam

Epilogus.

appello. De hac iſtorum hominum admirabili præſcriptione, quid pronunciandum ſit, ad veſtrum planè arbitrium refero. An aliud profectò cenſebitis, quàm & iniquiſsimam illam eſſe, & ab omni ratione alieniſsimam, & cum ſumma pariter ac inaudita in Deum ipſum blaſphemia, coniunctam? Nemini me hercle obſcurum iam eſſe arbitror, diligenter expenſis ijs quæ diximus, Eccleſiam Chriſti adeò eſſe ſibi ſimilem, adeò vnam ac eandem, quantum ad veritatis ipſius vim, ac fidei ſinceram doctrinã ſpectat, vt nulla eius ætas, nulla ſucceſſio, altera potior haberi debeat. Non enim ad certa tempora, ſed ad perpetuũ quoddam tempus, ſine aliquo interuallo, diuina quę audiuimus, verba ſe porrigunt. Quodque de Eccleſiæ firmitate, fide, ac robore, in ſcripturis prædicatur, non minus ad poſteriores Eccleſiæ annos ac ætates, quàm ad priores pertinet. Antiquitati quidem certè multũ defertur: ſed Eccleſiæ conſenſus à quocunque ille tempore petatur, eandem vim habet.

Recentioris Eccleſiæ encomiũ.

Quin imò, ſi poſteriorum horum temporum ſummam in Eccleſia pacem, Doctorum virorum multitudinem, acria ingenia, acerrima ſtudia conſideremus; ſi quam facilè ſit inuentis addere, quantique momenti, aliorum ſtudijs, ac laboribus, nouos acceſſiſſe ſudores, nouas lucubrationes, cogitemus; ſi quot his poſtremis ſeculis, ad fidem Chriſtianam gentes conuerſæ, quot ſanctiſſimarum Religionum præclari

præclari ordines inuẽti, quot de rebus grauiſſimis Concilia habita, quot hæreſes eruditè confutatæ fuerint, ſi poſtremò quanta tùm in ſacram paginam optimorũ interpretum, tum ad formandam pietatem homiliarũ eruditiſſimarũ ſeges prodierit, quàm præclara in omni ſcientiarũ genere, ſed maximè in ſtudio Theologico, monimenta in lucem, & manus hominum exierint; vt ad Methodos multa fuerint redacta quę antea confuſa; explicatius tradita quæ antea obſcura erant; attentè & conſideratè perpendamus; videbimus profectò (vna Antiquitatis grauitate excepta) Eccleſiam & Theologos poſteriorũ horum temporum eos dico qui his nongentis & amplius annis floruerunt, cum prima illa Eccleſia, ſatis laudabiliter, & ſine inuidia poſſe comparari. Illud ſanè extra controuerſiam eſt, ad dubia fidei claré & euidenter diſcutienda, certius & copioſius ex hac ætate nobis ſuppeditari, quàm ex primis illis ſeculis. Quæ vnica cauſa erat, arrogantiſſimæ huius & petulantiſſimæ præſcriptionis ab hęreticis excogitatę. Quę quum ita ſint, nec illa iam amplius ſuperba Præſcriptio, apud pium quenquam valere, ſed omniũ prorſus bonorum, ac prudentum auribus tanquam & ex ſe iniquiſsima, & in Deum blaſphema explodi: & recentiorum harũ ætatum Theologis, Patribus, ac Magiſtris, ſuus conſtare honos, ſua concedi Authoritas, debet.

DE CAVSA HÆRESVM TANTOPERE HODIE GRASSANTIVM ac paſſim præualentium.

Oratio in Licentiæ Theologicæ Comitijs Duaci habita.

DVÆ ſunt (Auditores) in omni genere bonorum & malorum, ſiue animi, ſiue corporis, ſiue fortunæ, fælicitatis & infælicitatis humanæ partes. In bonis quidem altera pars conquirendis, in conſeruandis altera verſatur. Similiter in malis prima fælicitas eſt, in ea nunquã incidiſſe, altera, vbi incideris, quam celerrimè te inde expedire. Ex malis verò & bonis ea quæ ad animum ſpectant, primo loco haberi, omnium ſententia eſt. Inter animi porrò bona & mala, præcipuum quoque illud eſſe, quod ad Religionem & Dei cultum attinet, nemo dubitat. In ipſa autem Religionis & Diuini cultus ratione, quum multa quoque illa complectatur, fidem ſanam primum locum obtinere, etiam extra controuerſiam eſt. Si quidem ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo, nemo fidelis ignorat. Ergo in hoc toto genere ſummum bonum eſſe rectam fidem, ſummum malum deprauatam (quam hæreſim vocamus) pariter in confeſſo eſt.

Aliquid ergo ex hoc loco de more hodie dicturus, & ea dicere volens quæ cum aliqua publica

publica omnium noſtrum vtilitate & fructu eſſent coniuncta, de ipſa Hęreſi ſuprema quadam animi peſte atq; pernicie, dicere inſtitui. Non quidem ipſam definiens, aut eius vel turpitudinem deſcribens, vel quæ eam conſequuntur mala, enumerans; ſed duas illas circa hoc grande malum infælicitatis partes perſequens, primùm de hoc tanto malo penitus à nobis auertendo diſſeram, quæ prima fęlicitas eſt. Vtrumque ſanè ex occaſione * candidati huius noſtri hominis Angli, qui inter medios hæreticos natus, inſtitutus, edoctus, omnibuſque & amicitiæ, & affinitatis, & fortunæ vinculis aſtrictus; quum prima illa fęlicitate gaudere non potuit, Hæreſes neſciiſſe, & in gente hæretica non vixiſſe, ſaltem ſecunda potitus eſt, ab Hæreticis ſe fæliciter expediuiſſe: Vtrũque etiam huic loco & his Auditoribus, neceſſarium. Quis enim neſcit vulgare illud, *tum tua res agitur, paries cum proximus ardet*: nec importunum eſſe de incendio extinguendo prouidere, cum in proximo flamma depaſcit? Imò quis non videt, ſic in proximo illam graſſari, vt non tam ceruicibus noſtris imminere, aut lateribus inſidiari, quàm ipſis iam membris nobiliſſimi huius Belgij inſidere, atque in ipſis viſceribus, alibi apertè, vbique clanculum graſſari, conſpiciatur? Vt taceam ipſam hæreſis naturam, quæ talis eſt, vt nullis ſe limitibus cõtineat, nullum graſſandi finem faciat, donec totũ compleat orbem: tum quia

* Gregorij Martini.

De vtilit. cred. c. 14. *indomita propagandi nominis libidine laborat*, vt notauit Auguſtinus, tum quia *ſermo eorum tanquam*
2. Timo. 2. *cancer ſerpit*, vt docuit Apoſtolus. Hæc ergo omnia, ſi nihil eſſet aliud, tùm de prima illa ratione, tùm de altero hoc officio, etiam apud Catholicos Auditores dicere ac diſſerere, meritò moneant, vrgeant, impellant. Quanquam ſanè ipſa illa ratio auertendæ omnis hæreſis talis eſt, vt ſi hæc ita ſe non haberent, ſatis per ſe ſola doceat, de commercio & fuga Hæreticorum tempeſtiuè pręmonendos eſſe Catholicos. Agamus hoc ergo & deſpiciamus, quę ſit illa ratio, qua omnis hęreſis penitus auertatur, id eſt, qua fiat, vt nulla hęreſis pręualeat, vt nullus ſeductor perſuadeat, vt nullus Pſeudopropheta aliquam ſibi multitudinem conciliet. Vulgare eſt; ſublata cauſa, tolli
Theſis. effectum. Quęramus ergo, quæ ſit hæreſis omnis cauſa, non dico inueniendæ & excogitandæ ex parte ſeductorum, ſed propagandę & dilatandæ ex parte populorum. Videamus quî factum ſit, vt hæreſes in orbe Chriſtiano aut nunc præualeant, aut olim præualuerint. Illud enim fortè ſi ſciatur, & eiuſmodi ſit, quod ſtudio & induſtria caueri poſſit, ſcietur eadem opera, quid illud ſit, quo pręſtito, nulla vnquam hæreſis, gentem aut populum obtinebit. Iſtud ergo Oratione hac noſtra demonſtrare conabimur. Vos diligenter quæſo quod facitis, attendite.

Multane ſanè in medium afferri poſſent, in qui-

in quibus graſſantium Hæreſum cauſam ponere probabiliter liceat: De quibus etiam ſingulis copioſe, & grauiter diſputare non eſſet difficilè. Sed ne longè abeam, & breuitati ſtudeam, ipſam (ni fallor) huius mali radicem & cauſam intrinſecã, relictis alijs, quæ fomenta magis, quàm cauſæ ſunt, aperiam. Nempe qui vniuſcuiuſque hæreſis ſcatebras, primamque originem penitius introſpicit, aut radices curioſius perquirit, non aliam eius originẽ, fontem, primumque parentem eſſe videbit, quàm ſolam inobedientiam, contumaciam, ſuperbiam. Nam, vt totius veræ Religionis fundamentum eſt obedientia, & illud quod Apoſtolus dicit, *captiuare intellectum in obſequium Chriſti*: ita totius Hæreſis initiũ eſt inobedientia; & vt Cyprianus non ſemel monuit, *non aliunde hæreſes & ſchiſmata nata ſunt, quàm quod Sacerdotibus Dei vicem gerentibus, ab vniuerſa fraternitate non obtemperatur.* Hæc verò animi contumacia in vñiuerſa fraternitate, quando aut in quibus fratribus, id eſt, Chriſtianis locũ habet? Non ſanè in quibuſuis Chriſti nomen profitentibus, qui alioqui carnales & animales ſunt. Hi enim habent ſpiritum Dei, licet *ea quæ ſunt ſpiritus Dei non percipiant*: quia vel ex ignorantia rerum vel ex carnis infirmitate, in multis offendunt.

Hæreſum fons ſuperbia.

2. Cor. 10.

Lib. 1. epiſt 3. & lib. 4. epiſt. 9.

1. Cor. 2.

Sed ille præfractus animus qui Schiſma gignit ac fouet, illi qui *ſeipſos ſegregant, ſic animales ſunt* (teſte Apoſtolo Iuda) *vt ne ſpiritum quidem habeant*:

Cap. vnico.

Titum. 3. *habeant* : *ſuo* videlicet *ipſorum iudicio ſubuerſi*, vt Apoſtolus ait. Hæc affectio niſi in ſumma quadam & penitus deplorata impietate, non conſiſtit. Nemo enim repentè fit turpiſſimus, neque ad ſingularem illam arrogantiam & tumorem, quæ Hæreſim vel gignit & in orbem producit, vel productam alit, fouetque, niſi certis impietatis gradibus peruenitur. Reſtat ergo, vt illic dominetur hæreſis, vbi regnat impietas, vbi flagitioſè viuitur, vbi completa eſt malitia. Idque non tam in ijs qui docent impia (quanquam & in ijs quoque) quam in ijs qui audiunt, & docentibus aurem præbent. Quæ ſanè omnia ſi argumentis & exemplis copioſè demonſtrare vellem, nimiũ fortaſſe prolixus eſſem. Sed dicam breuiter.

Hæreſis vbi & in quib⁹ dominatur

Hanc eſſe veram & propriam Hæreſum cauſam latè docet S. Baſilius in Proœmio moralium, ſiue in tractatu *de Iudicio Dei*, fundamentum capiens ex eo quod dicitur in libro Iudicũ. *Vnuſquiſque quod ſibi videbatur rectũ, faciebat*: & cauſa præmittitur. *In diebus illis non erat Rex in Iſrael*. Sic hodie, quia Regi Regum non obeditur, eiuſque præcepta non ſeruantur, ideo vnuſquiſq; & facit & credit, quod vult. Hanc eandem cauſam S. Chryſoſtomus in opere imperfecto ſuper Mattheum, elegantiſſimè tractat. *Si* (inquit) *opera iuſtitiæ facimus & à nullo errore decipimur, & ipſi omnem animaduertimus errorem. Nam ipſa res facit errare, quæ facit alterius errorem non cognoſcere. Nam qui non cognoſcit menda-*

Baſilius. Iud. 21. Iud. 17. Homil. 19.

mendacium alterius, ſuam non intelligit veritatem. Ergo quamdiu bona opera facimus, ipſum lumen iuſtitiæ ante oculos noſtros adaperit veritatem. Sic & peccata peccantium, ſenſus tenebreſcere faciunt, vt non videntes mendacium, cadant in illud. Nam & ab initio non error Diabolicus fecit homines malos, ſed homines mali, Diabolicum ſibi fecerunt errorem. Prius enim peccatis plurimis excæcatur homo, & ſic Diaboli ſeductione ſeducitur, & cadit in mortem. Quemadmodum enim ſole manente non præualet nox, ſic quamdiu lumen iuſtitiæ in homine fuerit, tenebræ erroris eum non apprehendit. Hęc ille. Nempe hoc ipſum Chriſtus apertiſſimis verbis docuit, quum diceret. *Si quis voluerit voluntatem patris mei facere, cognoſcet de doctrina vtrum ex Deo ſit,* &c. Quare & alibi in Euangelio cum de futuris hęreſibus dixiſſet, *multi Pſeudoprophetæ ſurgent & ſeducent multos: formidandam illam prophetiam,* vt loquitur S. Baſilius, addit, *quod abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum,* quaſi cauſam ſubijciens futurę ſeductionis. Ioan. 7. Matth. 24. Epiſt. 77.

Nam (quod obſeruatione dignum eſt) per omnes ſanè ætates, à nato Chriſto ſeductores fuerunt, ſed non ſemper ſeduxerunt multos: non ſemper pręualuit ſeductio, quia non ſemper abundauit iniquitas. Id exemplis oſtendam vno aut altero. Hæreſes omnes certè præcipuæ, vel contra Chriſtũ Eccleſiæ caput, vel contra Eccleſiam, quod eſt corpus Chriſti, aliæ tectius, aliæ apertius, dimicarunt. Sed fuerunt in vtroque genere primum quidem

Hæreſes ſemper ſed nõ ſemper pręualuerunt.

quaſi velitationes quædã, poſtea autem iuſta certamina, completa iam hominum malitia. Nam grauiſſima & teterrima illa contra Chriſti Saluatoris diuinitatem, hæreſis vulgò Ariana dicta, ab Ario quidem cœpit, quo tempore maximè graſſabatur & vno quaſi impetu per vniuerſum orbem peruagata eſt. Non tamen ab ipſo Ario primam ſuam originẽ traxit, ſed longo ante tẽpore ſub Zepheryno Papa, Artemon quidã hæreticus eius fundamenta iaciebat, vt ſcribit Athanaſius in Epiſt. de Synodis Arimini & Seleutiæ, & cõmemorat Euſebius in hiſtoria Eccleſiaſtica. Eidem quoque hæreſi ante Ariũ, Carpocrates, Cerinthus, Ebiõ, Paulus Samoſatenus, incrementa dederunt. Hi enim omnes Chriſtum creaturam & tantummodo hominem eſſe docuerunt, vt memoriæ prodiderunt Epiphanius, Philaſter, Auguſtinus, Theodoretus & alij omnes, qui de Hęreſibus ſcribunt, At præualere hęc execrabilis hęreſis non potuit vſque ad Arium, non aliam ſanè ob cauſam, quàm quod antè Arij ętatem in perpetuo ferè perſecutionum exercitio probati & expurgati fideles, pietati (vt fit) & diuino cultui magis ſeduló inuigilabant, ſeſeque quaſi ad pręſentẽ pro Chriſto mortem oppetendam, comparabant. Certè Chriſtianos homines quum mũdus odio haberet, ad Chriſti fidem, niſi qui mundũ contemneret, nemo ferè accedebat. Aut ſi mundi amore imbutus accederet, non difficulter illum

Ariana hæreſis ab Ario nõ ortũ ſed propagationem accepit.

Euſeb. lib. 5. cap. 27.

illum deponebat, iuxta illud Cypriani argumentum. *Cum mũdus oderit Chriſtianum, quid amas eum qui te odit?* Reddita autem Eccleſijs pace, id eſt, ſumma ſecuritate & otio, fræna libidini ac cupiditati laxabãt Chriſtiani vt cæteri homines. *Refriguit Charitas, abundauit iniquitas*: & (vt Cyprianus de interuallis tantum, quaſiq; breuibus inducijs pacis Eccleſiaſticę ſuo tempore datis, conquęritur) *traditam nobis diuinitus diſciplinam pax longa corrupit: donec iacentem fidem, & penè dixerim dormientem, cenſura cæleſtis erexit. Studebant*, inquit, *augendo patrimonio ſinguli, & obliti quid credentes aut ſub Apoſtolis antè feciſſent, aut ſemper facere deberent, inſatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus, incubabant. Non in ſacerdotibus religio deuota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina.* Hæc ille, multaque ibi alia in eam ſententiam. Multò autem magis, longeque licentiùs, quo tempore Arius ſuam hæreſim propagare cœpit, libidini & voluptati, laxatę paſſim habenę ſunt, quantò ſecurior pax, & tranquillitas certior data Eccleſijs fuit, regnante Imperatore Cõſtantino, non minus Chriſtianiſſimo quàm potentiſſimo. Facta enim tum illa eſt quam S. Antonius Heremita in reuelatione biennio antè pręuiderat (vt in eius vita ſcribit indubitatus Author Athanaſius) *calcitrantium mulorum indiſciplinatio, altaria calcibus demolientium, & in Eccleſijs ſacra omnia proculcantium.* Illa ſanè calcitratio (ait Athanaſius) Arianorum impietas

Serm. 4 de mortalitate.

Serm 5. de lapſis.

pietas

pietas fuit, quam in figura prędixit Moyſes. Deut. 32. *Impinguati, incraſſati, dilatati, recalcitrauerunt.* Nam omnis generis impietatem in vulgo Chriſtianorum, maximè ipſorũ Præſulum, per totum Orientem obtinuiſſe tum temporis, grauiſsimè conqueruntur Sancti Patres, Athanaſius in illa S. Antonij vita, & in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, & Nazanzenus in Apologetico, hiſtoria quoque Eccleſiaſtica paſsim commemorat, vbi flagitia Arianorum & immanitates leguntur, penè incredibiles. In qua profligata Chriſtianorum hominum impietate, cum perpetua videlicet Eccleſiæ pace creſcente otio, & refrigeſcente charitate; alię mox contra Chriſti perſonam immanes hęreſes Neſtorianorum, Eutychetarum & Monothelitarum exortæ ſunt, & per multas gentes inualuerunt; ſicuti & generalia ex toto orbe Concilia contra illas coacta, ſatis loquuntur, & prætereà poſt illa Concilia tum Zenonis ἑνωτικον edictum, tùm Epiſtolæ illuſtrium virorum pro Chalcedonenſi Concilio, quas Inſtit. diui. lect. lib. 1. cap. 11. ἐγκυχλικας vocat Caſſiodorus, apertè legẽtibus demonſtrant. Nec diſſimilè omnium flagitiorum pelagus in populo Africano inundaſſe, quum eam Ariana hęreſis poteſtate Vandalica armata extremis modis affligeret, tectè quidem a Victor, & b Poſſidonius in vita Auguſtini inſinuant, copioſè autem & prolixè narrat c Saluianus Epiſcopus Maſſilienſis. Adeò ſanè vt quamuis illa Arianorum rabies fuerit longè

a. Lib. 3. de perſecut. Vand. b. in vita Aug. c. De prouidentia lib. 7. & 8.

longè truculentiſſima, tamen ſi vera narrat Saluianus, minora paſſi fuerint quàm commeriti, nec flagitijs flagella reſponderint. At antiquiora iſta, magis fortaſſe obſcura ſunt, maximè cum ita breuiter notantur potius, quam oſtenduntur. Aliud exemplum ſubijciam magis euidens & illuſtre.

Contra Chriſti corpus quod eſt Eccleſia, variæ olim hæreſes extiterunt, ex quibus tamen aliæ apertius illam impugnarunt, vt Donatiſtæ, qui palam profiteri non verebantur, *periiſſe de toto orbe Eccleſiam, & in ſola Africa remanſiſſe*, quam etiam Montaniſtarum apertam vocem fuiſſe cõmemorat Auguſtinus * contra Fauſtum. Aliæ tectius ſanè & maiori fuco, ipſam tamen & ipſius iugulum petebant. Qui enim Eccleſiæ Dei in remittendis peccatis poteſtatem, vt Nouatiani, ac poſt eos Luciferiani, eleuabant, qui Eccleſię ritus, leges, dogmata vellicabant; vt Aërius orationem pro defunctis & ſtata ieiunia; Iouinianus votum virginitatis; Vigilantius cultum Reliquiarum atque Sanctorum; Iconomachi imaginum cultum; Berengarius veritatem Corporis Domini in Venerab. Euchariſtia; deinde VValdenſes, Albigenſes, Petrus Abalhardus, Almaricus, Henriciani, ac poſtremò ipſe VVicleff. & Ioan. Huſſ. qui omnes Roman. Pont. authoritatem, Sanctorum inuocationem, Peregrinationum, ieiuniorum, votorum, cælibatus, ſanctiſſimas leges re-

Auguſt. de vnit Eccleſiæ cap. 18.

* Lib. 32. cap. 17.

ges re-

ges reprehendebant; hi inquam, omnes & alij illis ſimiles per varias ętates exorti, Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, impugnabant. Sed erant hi omnes velitationes tantum quędam & pręludia Diaboli, quibus Chriſtianum orbem tantiſper exercebat, & ad immanem iſtã, quam hodie cernimus, Apoſtaſiam potius, quàm hęreſim, paulatim manuducebat. Nam pręter Nouatianos & Iconomachos, quorum illi à Cypriani ętate, vſque ad Theodoſij ſecundi Imperium annis 200. plus minus; longa ſucceſſione perdurarunt; ſed paucis tantùm in locis; hi latiſſimè quidem per totum Orientem propagati ſunt, ſed poſt vnum aut alterũ ſeculum extincti ſunt; reliquę illę omnes citatę hęreſes, & ſectatores pauciſſimos habere, & nuſquam diu ſubſiſtere, potuerunt. Nam Aërius *fugatus ab omnibus Eccleſijs, vicis, ac ciuitatibus*, vt ſcribit Epiphanius, *in ſiluis cum ſuis latitabat*. Vigilantius exiguam ſolam Gallię partem ſeducere potuit, ſtatim à Hieronymo profligatus. Iouiniani hæreſis *citò*, ait Auguſtinus, *oppreſſa & extincta eſt, nec vſque ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit peruenire*. Berengarius nec ſectatores habuit, nec mori in ſua ſententia voluit. Albigenſes circa ſolum Toloſę Comitatum in Gallia, ſicuti & VValdenſes circa ſolum Lugdunum, Abailhardus in ſola etiam Gallia, ſua dogmata propagare potuerunt. Latius paulò ſerpſit VVicleffi furor, ſed in Anglia ſtatim induſtria Henrici 5. Anglo-

Diaboli præludia.

Hær. 75.

In lib. de hæreſ. hær. 82.

Anglorum Regis nobiliſſimi ſopitus eſt, in ſola Bohemia inualuit. Quæ autem huius rei cauſa eſt, quòd eædem hęreſes, quę nunc quidem totum Chriſtianum orbem peruagarunt, & ingentes populorum multitudines in ſuam inſaniam pertraxerunt, olim & in tam paucis locis concluſę, & tam cito extinctę fuerunt? Certè non minus olim argumentis veteres illi hęretici egerunt, quàm hodie noſtri. Eadem ſunt apud Epiphanium Aërij argumenta, contra orationem pro defunctis & ſtata Eccleſię ieiunia; eadem apud Hieronymum & Auguſtinum in lib. de ſancta Virginitate, Iouiniani contra virginitatis meritum obiecta, quibus hodie hęretici vtũtur: eadem Berengarij fraus & impietas, quæ hodie Zwinglij: nec alia VValdenſium, Albigenſium ac ipſius VVicleffi arma & tela ſunt contra Rom. Eccl. eiuſque poteſtatem, leges, ceremonias ac ritus (ſicuti apud D. Bernardum, Thomam VValdenſem, Petrum Cluniacenſem, Lanfrancum, & alios videre eſt) quàm quibus hodie Lutherani, Caluiniſtæ, cęteraque huius ętatis portenta, vtuntur. Eadem quoque à Catholicis hodie Doctoribus & Scriptoribus, ſedulitate, eruditione, conſtantia, ipſis hęreticis reſponſum eſt, quibus olim veteribus, ne dicam maiori. Siquidem & ipſorum veterum Doctorum argumentis atque armis pugnatum eſt, & aliorum inuentis multa ſunt addita. Quod tam immenſa

Cur hæreſes modernæ olim exortæ nũc tandẽ latè graſſantur.

menſa varietas Scriptorum hodie Catholicorum de rebus controuerſis,locupletiſſimè teſtatur.Cur ergo perſuaſit Lutherus, prçualuit Caluinus,& deriſus eſt Vigilantius, exploſus Iouinianus,contemptus Aërius,repreſſi,ſopiti,extincti cæteri omnes? Quæ tanti diſcriminis tantæque rerum diſcrepantiæ cauſa eſſe poteſt? An Chriſtus olim Eccleſiæ ſuæ adfuit;
Matth.vlt. nunc deeſt? At diſertè promiſit, *ſe affuturum illi omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* An quia Paſtores fortaſſe officium non fecerunt,oues neceſſariò errarūnt? At clamat A-
Epheſ.4. poſtolus ,*dediſſe Chriſtum Paſtores, Doctores*, &c. non fruſtra, ſed *ad conſummationem Sanctorum, ad ædificationem Corporis Chriſti*,non ad certas ætates & momenta temporum, ſed *donec occurramus omnes in vnitatem fidei*,&c. An docuerunt fortaſſe quæ recta ſunt, ſed ob improbam & flagitioſam ipſorum vitam, minus illis creditū,
Matth. 23. minus obtemperatum eſt?At diſertè præmonuit Saluator: *Quæ dicunt ,facite: quæ autem fa-*
Luc.10. *ciunt,nolite facere.* Et rurſum, *Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit.* Quæ ergo tandem cauſa eſt,quod anteactis ſeculis exierunt Antichriſti multi , ſurrexerunt Pſeudoprophetæ,fuerunt ſeductores quos iam commemorauimus: ſed quod Chriſtus adiunxit , *& ſeducent multos*, nunc demum hac noſtra ætate factum eſt,antea factum non eſt?Non eſt inquam, antè tam vbertim & copioſè factum, nec ita peruagatum malum.

Quid

Quid alias cauſas quærimus, quid moras nectimus & declinamus cor noſtrum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis? Non alia cauſa quærenda eſt, quàm quæ à Saluatore ſubiecta eſt. *Quoniam abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum:* Non alia quàm quæ in veteri populo perſecutionũ & vaſtationum, quas à gentibus pertulerunt, cauſa fuit. In his enim omnibus clamarunt Prophetæ: *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum: & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* Et illæ perſecutiones typus erant hęreſum noui Teſtamenti. Noſtri enim Idumei, Philiſtei, Aſſyrij, qui *ad alienos Deos nos vocant quos non coluerunt Patres noſtri,* ſunt hæretici. Propterea hanc etiam propagandę olim hęreſis cauſam, Apoſtolus apertiſſimè pronunciauit. *In nouiſſimis,* inquit, *diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, voluptatum magis amatores quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & hos deuita. Hi enim reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Hæc Apoſtolus. Satis clarè oſtendit, quales homines futuri eſſent qui reſiſterent veritati, & qualia tunc tempora. Quòd ergo præualeat hæreſis, ſiue contra Chriſtum, ſiue contra Eccleſiam; ſiue contra

Eſai. 59.

Deuter. 31.

2. Timo, 3.

D caput,

caput,ſiue contra corpus; non alia cauſa eſt, quam quod in toto fidelium populo abundat iniquitas, refrigeſcit charitas,conſenſere iura peccatis,& cepit eſſe licitum quod publicum eſt.Inter adulteros erubeſcit caſtus,& in turba vitiorum locum habere virtus non poteſt.

Quanquam in hac etiam vitiorum fœda colluuie diſcrimen quoddam obſeruare licet. Nam illis hęreſibus quę Chriſtum Dominum & Caput petebant, quia ad intellectum magis & ingenium, quàm ad vitæ morumque rationem illæ pertinebant, erantque quęſtiones arduæ arte & ſtudio inueſtigandæ, ſtabat à parte Sacerdotum & Epiſcoporum potius hæc impietas, quam à parte populi. Illorum enim contentione, inuidia, & ſuperbia factū eſt, vt hæreſes illæ contra Chriſti perſonam præualerent; ſpectantibus potius, quàm approbantibus populis, ſuoſq; magis Epiſcopos ſequentibus,quàm doctrinas illas nouas,ſanę & orthodoxæ veteri fidei ſua ſponte & electione, pręferentibus.Quas enim ipſi quęſtionum lites non capiebant, propter ipſos aſſertores,& cum ipſis defendebant.At verò quæ contra Eccleſiæ poteſtatem, leges, dogmata, exortæ hęreſes ſunt, quia ad vitam & mores immediatius ſpectabant, & quandam in tota cultus ratione libertatem ſeu licentiam potius inuehebant; vt illæ pręualerent, ſtabat à parte populi & ipſius vulgi hæc tota ferè impietas.Et ex Epiſcopis ipſis ac Eccleſię Paſtoribus

Hæreſum hodie proprius genius.

tibus paucos ſectatores habuerunt; à priuatis potius,& aut laicis, aut in nulla Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis hominibus,promulgatę: Quod in noſtri temporis hęreſibus manifeſtiſſimum eſt. Sunt enim popularia ferè omnia,mollia, diſſoluta, & carni placentia; quæ hæc noſtri temporis in orbem inuexit hęreſis. Nullis orationum, ieiuniorum,vigiliarum legibus aſtringi;nullis Sacramentorum, ceremoniarum,obſeruationum finibus contineri: nullam pro peccatis pænitentiam ſubire: in bonis operibus nullam ſalutis partem ponere: in ſola fide ſeu fiducia potius ac pręſumptione ſuperba,vniuerſam ſalutem collocare. Ipſam autem veri nominis fidem tam liberam & laxam ſtatuere, vt nullis Conciliorum, Pontificum,Patrum,temporum,locorum,aut totius Eccleſiæ Decretis, placitis, ſententijs, pręiudicijs,vſu,conſuetudine, aut teneri, aut inſtitui,aut dirigi ſe patiatur: ſed ſoli Verbo ſcripto innitatur: & hoc ipſum Verbum ſcriptum pro Canonico & legitimo Verbo Dei probent ac recipiant quod velint: probatum denique ac receptum exponāt vt velint. Quę ſunt popularia, mollia & placentia,ſi hęc non ſunt?Et putabimus, vt hęc tam placentia & popularia paſſim ita obtinerent, totque ſectatores reperirent,aliam cauſam ſubeſſe potuiſſe,quàm ipſius populi corruptelam ad omne ſcelus proiectam, & totius iniquitatis abundantiam?

Hæreſes hodie carni placentes.

Sed ab hac noſtra oculos tantiſper auertamus, & ipſius hęreſis naturam in vniuerſum inſpiciamus. Nam de ea agi cæptum eſt, vnde in hanc noſtri temporis paulatim ſe deflexit oratio. Dico igitur; omnis hęreſis hunc genium quendam eſſe, vt non niſi in profligata & conclamata hominum impietate præualere, aut totas gentes diutius obtinere, vnquam poſſit. Moyſes ille de futuris Pſeudoprophetis populum moniturus, *ſi ſurrexerit*, inquit, *in medio tui Propheta, & dixerit tibi eamus, & ſequamur Deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis, non audies verba illius: quia tentat vos Dominus, vt palam fiat vtrum diligatis eum ex toto corde veſtro, an non.* Videmus hic manifeſtiſſimè ideò permiſſos à Deo falſos Prophetas, vt tentaret Dominus an toto corde eum ſui diligerent. Quod quidem ſi fieret, ſi *habitante Chriſto in cordibus eorum per fidem, in charitate radicati & fundati* (vt Apoſtolus loquitur) ab omni impietate immunes eſſent, ſurdo caneret Pſeudopropheta ille. Contrà, ſi in homines impuræ vitę Pſeudopropheta incideret, nullo negotio in ſua retia pertraheret. Ne verò in noſtris noui Teſtamenti Pſeudoprophetis hoc locum non habere exiſtimes, præter id quod Apoſtolus Petrus futurum dicit, vt *quemadmodum erant Pſeudoprophetæ in populo, ſic & in nobis erunt*, & quod paſſim in Euangelio Pſeudoprophetarum nomine hęretici notantur, diſertis verbis Apoſtolus Paulus prędixit, idcirco *oportere hæreſes eſſe*

Hæreſis nō præualet niſi apud improbos.

Deuter. 13.

Epheſ. 3.

2. Petr. 2.

1. Cor. 11.

eſſe, vt qui probati ſunt in nobis manifeſti fiant: hoc eſt, vt palam innoteſcat, qui vere ad corpus Chriſti pertinebant, qui & nomine & re Chriſtiani eſſent. Et propterea de ijs qui per Schiſmata exeunt, ait Ioan. *Non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.* Si viua & electa membra eſſent; *habentes ſignaculum hoc, recedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini;* omnes Hæreticorum voces tanquam Sirenum cantus ſurdis auribus prçternauigaſſent. Ex qua Apoſtolica doctrina edoctus Sanctus Auguſtinus grauiter & veriſſime ſcripſit, *ex his omnibus hæreticos fieri, qui ſi in Eccleſia permanſiſſent, nihilominus errarent*, id eſt, per ſceleratam vitam perirent. In quam etiam ſententiam eleganter Cyprianus, *Nemo*, inquit, *æſtimet bonos poſſe de Eccleſia decedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur.* Nempe veri nominis Chriſtianus, *qui audit verba Dei & facit ea*, aſſimulatur in Euangelio *ei qui ædificat ſuper Petram*, qui Chriſtus eſt, in eo ſolo ſpem ponens, ei ſoli adhærere pro ſummo bono habens. Hunc tempeſtas non concutit; hic nullo nouo doctrinæ vento rapitur. Hic, *vocem alienorum non audit.* Ideoque Saluator, vbi monuiſſet *attendere à falſis prophetis*, ſtatim hanc parabolam ſubiecit. *Qui verò audit verba Dei, & non facit, hic ædificat domum ſuam*, id eſt, fidem ſuam *ſuper arenam*, id eſt, lubrica

1. Ioan. 2.
2. Timo. 2.
De vera religi. cap. 8.
In libro de vnit. Eccleſiæ.
Matth. 7.
Ioan. 10.
Matth 7.

lubrica & caduca huius mundi, conformans ſe huic ſeculo nequam, & viuens *ex prudentia carnis, quæ legi Dei ſubiecta non eſt.* Et omnis huiuſmodi, *quum deſcendit pluuia & flauerunt venti,* quum tentat Pſeudopropheta & nouæ doctrinæ ventus ſpirat, *cecidit domus eius & facta eſt ruina eius magna.* Horum ergo hominum multitudo quò maior eſt, quò grandior palearum numerus; eò proficiunt ſeductores magis, eò grauius propagatur Hęreſis.

Rom. 8.

Hanc ſanè ob cauſam Spiritus Sanctus in diuinis ſcripturis non tam Paſtorum & Sacerdotum vel improbitati, vel inſcitiæ, quàm ipſius populi cupiditati, ſeu morum, ſeu fidei in Eccleſia Dei corruptelam, vitio vertit. Hinc Ieremias, quum dixiſſet; *Prophetæ prophetabant mendacium*, quod ad ipſos ſeductores ſeu Archihæreticos pertinet, addit: *& Sacerdotes applaudebant manibus ſuis*, id eſt, inuenerunt Doctrinæ ſuæ pręcones; ſed & pręterea adiunxit, *& populus meus dilexit talia*, quaſi dicens: niſi primis ſeductoribus alij ſcelerum miniſtri acceſſiſſent, niſi populus dilexiſſet talia, illa vtique mendacia minimè præualuiſſent. Quid quod Eſaias vniuerſam huiuſmodi malorum cauſam ſoli populo tribuere videtur? *Populus*, inquit, *ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus nolite videre, & aſpicientibus nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis*

Populi vitio præualent hæreſes.

Ierem. 5.

Eſai. 30.

nobis errores. Nec diſſimiliter Apoſtolus Paulus. *Erit,* inquit, *tempus quum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Planè cum Propheta, Apoſtolus hoc docet, pruritum aurium in populo, & cupiditatem errorum, ipſis erroribus viam ſtrauiſſe; imò, vt illi præualerent in tota cauſa fuiſſe. Fit enim vt *propter peccata populi dentur Pueri principes eorum, & effœminati dominentur eorum.* Quod Eſaias prędixit. Vel vt Oſeas expreſſius monuit, *Erit ſicut populus, ſic Sacerdos,* vt propter populi præcedentia flagitia, impius poſt præficiatur Sacerdos, quaſi dignum patella operculum, vel potius aptum flagitijs flagellum. 2. Timo 4. Eſai. 1. Oſe. 4.

Sed ad iudicium Dei illud, non ad hæreſis naturam ſpectare dixeris. Fateor id quidem, eò tamen ſpectat (quod ad rem præſentē ſatis eſt) vt hæreſis incrementum à populi vitio ortum cepiſſe iſta oſtendant. Qua quidem in re vt Dei iudicia occulta & mirabilia, iuſtiſſima tamen ſæpe exercentur, proximam tamē factæ ſeductionis cauſam ab ipſo populo, qui ſeductoribus aurē præbere voluit, profectam fuiſſe negari non poteſt. Quod ſapienter Auguſtinus contra Donatiſtas olim notauit. *Sic fiunt,* ait, *Hæreſes & Schiſmata, quum dicit plebs carnalis quæ in charitate Dei fundata non eſt, ibo poſt amatores meos, cum quibus vtique ſiue per fidei corruptionē, ſiue per elationem ſuperbiæ, turpiter fornicantur. Niſi* De Bapt. contra Donat. lib. 3. cap. 19.

enim ſeductores iſti à plebibus ſeductis viciſſim ſeducerentur, quum eis creditur, & tales honores deferuntur, vt per eos habeant poteſtatem talia dicendi, & ſibi talia vendicandi, vt error eorum veritas appelletur, & ſcelus eorum iuſtitia putetur, propter Sacramenta & ſcripturas quas tenent ad ſpeciem non ad ſalutem: nunquam profectò ipſi ſeductores hæc ſibi tanta ac talia arrogarēt. Hæc Auguſtinus, ipſum reuera totius hæreſis fontē digito demonſtrans & graphicè depingens. Etenim quam aliam vniuerſæ huius, quam cernimus in Germania, Gallia, Anglia, multiſque alijs in locis, cuiuſdam quaſi deſolationis & Apoſtaſiæ potius, quàm hæreſis cauſam hodie extitiſſe arbitramur, niſi quod ad voces leuiſſimorum hominum & impuriſſimorum nouas doctrinas afferentium, ſtatim ſequutus eſt applauſus populi; ſtatim *captiui abducti ſunt*, non ſolùm mulierculæ, ſed & viri *onerati peccatis, qui ducūtur varijs deſiderijs*. Nempe, *populus dilexit talia*; populum delectabat, contra Clerum & Eccleſiæ Principes aut audire, aut dicere aliquid noui, *pruriebat auribus* populus, dicenteſq; in cordibus ſuis, *loquimini nobis placentia*. Niſi enim populum ipſum non tam obſequentem, quàm ad huiuſmodi anhelantem; nec tam improbos Duces ſequentem, quàm ipſos ad ſe Duces pellicientem ac prouocantem; & iſtam quam vocant Euangelicam libertatem vltrò appetentem, ac auidiſſimè ſitientem, ſeductores iſti inueniſſent; vt inuicem etiam ipſi ab hoc applauſu populi ſeducerentur

Hæreſes in Germania, Gallia, Anglia cur ita præualuerunt.

2. Timo. 3.

Ierem. 5.

cerentur iam olim cum ſuis anteceſſoribus Iouiniano, Berengario, VVicleffo & alijs, hæc hodie hæreſis damnata ac ſepulta iacuiſſet, nec tam nobiles in Eccleſia Dei ſtrages, edidiſſet.

Quæ quidem omnia ne vel ex ſtomacho, vel leui aliqua coniectura dicere videar; Ecce afferam in medium primum illum horum temporum Seductorem, ac totius huius factionis Ducem, Schiſmatis Anteſignanum, Hæreſis authorem, damnatę memoriæ Martinum Lutherum, hoc ipſum, quod dico, ſua ſponte aſſerentem, vt habeamus confitentem reum. Etenim commemorás ipſe in præfatione priore operibus ſuis pręfixa, quaſique hiſtoriam texens initij & progreſſus doctrinę ſuę, & *ſucceſſus in ea* (vt ait) *diuinitus dati*, primùm *caſu ſe, non voluntate aut ſtudio in has controuerſias incidiſſe, Deum teſtans*, aſſerit. Deinde *ſuſpenſis*, inquit, *animis expectabant omnes euentum tantæ rei, quam nullus ante me nec Epiſcopus, nec Theologus, auſus eſſet attingere. Fouebat autem me vtcunque aura iſta popularis, quod inuiſæ iam eſſent omnibus artes & Romanationes illæ, quibus totum orbem impleuerant.* Hæc ille ibi: Rurſum in altera pręfatione: *Vnus* (inquit) *eram per imprudentiam in iſtam cauſam lapſus, quum non liceret referre pedem. Sed hic multi boni viri meas propoſitiones extollebant.* Hinc ſcilicet illę lachrimę, hęc totius fundi noſtri calamitas, nouatori Luthero tam facilè aurę s præbuiſſe: Romanæ Eccleſiæ inſectatori

Lutheri cõfeſſio de ſucceſſu hęreſum ſuarum.

ſectatori, propter cęcum & præiudicatum eius Eccleſię odium, ſtatim applaudiſſe, & Io Pæan ceciniſſe. Sed qui tandem hoc factum eſt, vt Lutheri propoſitiones hominibus tum placerent? Cauſam reddit ipſe Lutherus. *Inuiſæ,* inquit, *iam erant omnibus artes & Romanationes illæ.* Hoc eſt dicere: Corruptæ iam erant hominum mentes cęco & præpoſtero odio Rom. Curiæ, non diſtinguere valentium, inter abuſus & inter rectum rerum optimarum vſum: inter auaritiam & ſcelera priuatorum hominum, & inter publica & neceſſaria Reipub. munera; denique inter vitam & mores hominum, & inter doctrinam & voces Paſtorum. Poſtremò, iam antequam Lutherus loqueretur, erant homines Lutherani, id eſt, hoſtes Eccleſiæ Dei. Iam enim exaruerat & refrixerat charitas, *in qua radicati & fundati* eſſe debebant: illa inquam charitas, *quæ non deſerit frumenta propter paleas:* illa charitas, propter quam, *alter alterius onera portare* iubemur: illa charitas, quam *non habet niſi qui diligit Eccleſiæ vnitatem*: illa denique charitas ſeu amor, & reuerentia Paſtoribus debita, de qua dicit Saluator, *quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* Hæc ſola charitas, *quæ ſola facit diſcrimen inter filios Dei & filios Diaboli*, quia in multorum cordibus tunc non fuit, inuenit quibus perſuaderet Lutherus. Hæc eadem in quibus hodie non eſt, inueniet ſi quãdo loqui liceat, & hic, & quouis alio in loco, quibus nullo

Lutherani ante Lutherum.

Epheſ 3.

Auguſt. ſerm. 18. de verb. Dom.

Gal. 6.

Auguſt. de Bapt. con. Donat. lib. 3. cap. 16.

Matth. 23.

Aug. tract. 6. in Ioan.

nullo negotio perſuadeat Lutheranus quiſpiam, aut alius ſeductor quiuis, etſi alioqui homo is ſit ſiue indoctiſſimus, ſiue impuriſſimus. Nec enim huiuſmodi homines aliud faciunt, quàm arefactis iam lignis, paleis, & ſtipulis, ignem admouere. Follibus & flabellis non eſt opus. Sine impetu, ſine impulſu accenditur hæreſis, vbi ſemel refrixit charitas: vbi *ſuper fundamentum non aurum, & argentum* bonorum operum, ſed *fænum, ligna, & ſtipulæ* operum carnis ſuperextruuntur. Imò abſque appoſito extrinſecus igne, abſque ſeductoris opera, huiuſmodi paleæ ſæpenumero ex ſeipſis concipiunt flammam, excitant diſcordiarũ incendia, recedunt è grege; Paſtorẽ deſerunt, ſchiſmata faciunt. Quot hodie homines abſq; ſeductoris alicuius opera, nec audito aliquo pſeudoprędicante, nec lectis Proteſtantium libris, nec Principum metu impulſi; ſed contrà à Catholicis Paſtoribus diligenter inſtituti, ex fama tantùm Euangelicæ huius libertatis illecti & attracti, ex ſolo odio Eccleſiæ Dei incitati & impulſi, ſub Catholico Principe fæliciter agentes, exierunt tamen & ſchiſmati hodierno ſeſe adiunxerunt? Quod niſi domeſtica huius Belgij exempla nimis apertè & luculenter oculis noſtris ſubijcerent, eſſet fortaſſe aliquot exemplis demonſtrandum. Non ergo vel ex ipſius nouæ huius doctrinę aliqua probabilitate, vel ex ipſorũ pſeudoprędicantium aliqua ſingulari aut eruditione aut ſan- 1. Cor. 3.

ctitatis

ctitatis ſpecie (quæ duo ſimplicioribus aut infirmioribus facilè imponunt) ſed ex ſola iſta carnalium hodie hominum, palearum ac ſtipularum multitudine ingenti, ex completa hominum malitia factum eſt, vt tot hodie gentes, hęreſis iſta carnalis peruagata ſit.

Quod ſi cui adhuc minus probabile videtur, reſpiciat ille mihi tantiſper, proximas Maiorum noſtrorum ætates: reuoluat Eccleſię hiſtoriam ab annis ducentis, trecentis, quadringentis. Meminerit grauiſſimas Germanorum, Gallorum, Anglorum, & aliarum gentiũ quęrelas, contra Romanæ Curię (vt illi dicebant) auaritiam, ambitionem, tyrannidem. Legat acerbiſſimas Imperatorum quorundam offenſiones, contra ſui temporis Romanos Pontifices, Friderici Barbaroſſæ, & Henrici 2. Anglorum Regis contra Alexandrum 3. Henrici 4. contra Gregorium 7. Hildebrandum dictum. Henrici 5. contra Paſchalem 2. Philippi contra Innocentium 3. Ludouici 5. Bauari contra Ioannem 22. & Philippi Pulchri Gallorum Regis contra Bonifacium 8. Ioannis Anglorum Regis contra Innocentium 3. Videat deinde ſcriptas à viris doctis his de rebus querimonias graues, acerbas, amarulentas, pro Imperatorum iure (vt illi aſſerebant) contra Romanos Pontifices, vt Leodienſis Eccleſię prolixam Epiſtolam contra Paſchalem 2. Venerici Vercellenſis Epiſcopi contra Gregorium 7. pro Henrico 4.

Nauclerus. Sabellicus. Abbas Vrſpergen. Pantaleon in Chronicis.

In volumine operum de Iuriſdictione Imperiali &c. Baſil. an. 66

Dantis

Dantis Aligerij de Monarchia libros tres; Marſilij Patauini Defenſorium pacis, aliaque permulta Guilielmi Occam ſcholaſtici, Nicolai Cuſani Cardinalis, Ioannis de Pariſijs Doctoris Theologi, ſcripta in lucem edita. In quibus omnibus contra Rom. Curię vitia, abuſus, & tyrannidem (vt illi loquuntur) magna & mali exempli libertate diſputatur. Nec tamen iſti vel Imperatores, vel Scriptores alioqui Catholici, à Rom. Eccleſię vnitate ſibi propterea recedendum, aut Schiſma faciendum putarunt: multò minus Blaſphemas hæreſes, in odium eius Eccleſiæ (quod Lutherus fecit, vt ipſemet ſeipſum prodit, in Epiſtola ad Argentoratenſes, vbi fatetur libenter ſe Corporis Chriſti in Cæna præſentiam negaturum fuiſſe, quia maximè hoc modo Papæ ſeſe incommodaturum videbat, niſi nimis aperta Chriſti verba vim illi feciſſent) inducendas exiſtimarunt. Imò (quod adhuc multò magis admirandum venit) eodem hoc tempore, quo tam graues eſſent contra Romanam Eccleſiam, populorum & Principum offenſiones, non deerāt ſeductores aperti, qui idem docerent quod poſtea Lutherus, nec tamen illis fides vel à populis, vel à Principibus, habita eſt. Quum totum Imperium in armis eſſet propter Philippum Imperatorem; quem contra Othonem 4. ab Innocentio 3. confirmatum Principes Electores laici elegerant, Almaricus ſuas hæreſes tanto

tumultu

tumultu propagauit, vt cogeretur contra eas Concilium Lateranenſe: nec tamen qui Philippo cõtra ſummum Pontificem, & Clerum totum fauebant, Almarico ſeductori adhęrere voluerunt. Sic in maxima illa contentione inter Alex. 3. & Fridericum Barbaroſſam, VValdenſes Zizania ſua ſeminarunt. Sic denique quum eodem tempore, & propter Huſſitas VVicleffi progeniem, ac Lutheri proauos, & propter Schiſma circa Romanæ Eccleſię Pontificatum, tribus vno tempore ſe pro Pontificibus gerentibus, Generale iſtud Conſtantienſe Concilium conuocaretur: nõ eſt tamen aut propter tam graue ſcandalum, aut propter tantos ſeductores, ab Eccleſię Romanæ vnitate, diſceſſum. Quam tandem putamus aliam huius rei cauſam eſſe poſſe, quàm quòd hodie quidem, quum Lutherus & ſui ſeductores agere ceperunt, planè abundauit iniquitas, planè omnis refriguit charitas, prorſus completa eſt malitia? Maiorum autem noſtrorum ętate, etſi magna tum fuit hominum iniquitas, grauis temeritas contra Chriſti vicarium, fęda adulatio Principum ſecularium, ingens inſolentia priuatorum hominum; ſic tamen erant illi ipſi in charitate (de qua modò diximus) radicati, & fundati, vt à fide Maiorum, ab Eccleſia Dei, & à Religione Catholica, nullo modo ſe abduci paterentur. Reſtat ergo, immanem, incredibilem, & maiorem quàm quę verbis exprimi poſſit, homi-

hominum & populorũ iniquitatem, morum ac vitę turpitudinem hodie fuiſſe, qui hęreſes iſtas tam facilè admiſerint, tam auidè amplexi fuerint, deniq; tantos progreſſus facere paſſi ſint. Sequitur etiam, non minorem, imò maiorem illorum hominum ſeu imprudentiam fore, qui etiam tantis aliorum periculis fæliciter edocti, iſtis hæreſibus vllum vel minimum aditum poſthac patefieri patientur. Sequitur deinde vnicum & optimum, contra has & omnes hæreſes remedium eſſe, bene viuere, in charitate radicari & fundari: ſuper petram ædificare, non ſuper arenam: ædificare quoque non lignum, fænum & ſtipulas, ſed aurũ, argentum, & lapides pretioſos; vt ſi tempeſtas etiam hac fortè tranſierit, ſi ventus nouæ doctrinę etiam hoc in loco (quòd abſit) inſonuerit, tamen ſtet ſolida & inuicta domus noſtra: nec circumferamur vt paleę, ſed in area Dominica, tanquam plena, ac turgida grana, immoti perſiſtamus.

An huiuſmodi granis & frumentis Dominicis, Eccleſiæ Belgicæ arèa repleatur, an potius palearum numerus excedat; an paſſim abundet iniquitas, refrigeſcat charitas; dominentur flagitia, exulet pietas; an populus inquam ipſe, in vera Eccleſiæ Dei, id eſt ſuperiorum ſuorum & miniſtrorum Dei charitate radicatus, & fundatus perſiſtat; non eſt meum hoc loco diſcutere. Paſtoribus illud & Eccleſiaſticis declamandum, vnicuique etiam apud

ſe ex

ſe ex publica rerum experientia expendendum,relinquo. Verùm iſtud auſim intrepidè affirmare. Si florentiſſimum hoc Belgium,in charitate radicatum, & fundatum perſiſtat; ſi ſcelera, flagitia, inobedientiam, reliquamque omnem impietatem,dominari non ſinat;fore vt prorſus immune,ab hac hęreſum contagione fęliciſſimè perſiſtat,ſicut hactenus fęliciter perſtitit:Hoc ſi non facit, ſed vel hominum aut ordinum aliquorum, vel ſtatus aut gentis alicuius odio, atque inuidia, tranſuerſos ſe agi,& à charitate excidere ſeſe patiantur(nolim quidem malus ominator eſſe) ſed hoc ſanè liberè dicam:illud facient,quod & his & alijs hæreſibus omnibus ianuam aperiet; quã poſtea quum volent,claudere nequeant.Nam & odium,liuor,inuidia,mutua diſcordia,omnes hæreſes intromittit; & ſemel intromiſſa hæreſis,non tam facilè è finibus eijcitur,quàm nondum admiſſa,auertitur. Exemplo & documento nobis eſſe poſſit ad vtrumque, id quod iam poſtremò dixi, factum illud Bonifacij Comitis,alioqui Catholici viri, qui propter priuatam ſimultatem,contra Imperatorẽ Valentinianum Iuniorem, ab eo falſò in ſuſpicionem vocatus, Vandalos & Alanos homines Arianos in Africam induxit,qui pulſis, occiſis, & crudeliſſimum in modum mactatis Catholicis, Arianiſmum per totam Africam erexerunt,nequicquam poſtea ipſo reluctante Bonifacio:Factum quoque Stiliconis,qui ob

Paulus Diaconus hiſtor.lib.14.

parem,

parem, ſed diſſimulatam ſimultatem cum Honorio Imperatore, Gotthos in Europam inuexit, per quos Arianiſmus Italiam infecit, Hiſpaniam ad multos annos penitus perdidit: & *vt vnum puerum purpura indueret, totius ferè humani generis ſanguinem fudit*, ait Paulus Diaconus. Docere etiã hoc poteſt vicina Anglia, vbi Henrici 8. Regis priuatum contra Rom. Pont. odium, turpe repudium approbare nolentem, primum ſchiſma, poſtea putidiſſimas omnis generis hęreſes inuexit, quas Rex ipſe licet omnia tentaret, auertere poſtea non potuit. Doceant idem poſtremò, hic in proximo fœdæ Galliarum cædes ac ſtrages, vbi propter ſimultates priuatas duarum potentiſſimarum familiarum, penè iam obtinuit Caluiniſmus, nec adhuc illa flamma extincta eſt. Facit enim certè omnis iniquitas ad hęreſim aditũ. Sed odium, ſimultas, inuidia, potentiſſimam illi ſternit viam, allicit, inuitat, fouet. *Schiſma enim* (ait Optatus) *ſparſo coagulo pacis, diſſipatis ſenſibus generatur, liuore nutritur, æmulatione & litibus, roboratur.* Contrà, omnis bene acta vita, egregium eſt contra omnes hæreſes, remedium. Charitas autem & mutuus proximi, maximè totius Eccleſiæ propter Deũ amor, præſentiſſimum eſt & validiſsimum contra huiuſmodi malum, amuletum. Quemadmodum enim *non habet Dei charitatem, qui Eccleſiæ non diligit vnitatem* (vt grauiter contra Donatiſtas ſæpe ſcripſit Auguſtinus) ſic illam qui

Hiſtor. lib. 13.

Lib. 1 contra Parmenianum.

De Bapt. lib. 3. c. 16.

habet, hanc neceſſariò diligit: diligendo obſequitur; obſequendo tenet; tenendo adhæret, nec vlla ſe ratione ab hac Domini ſui ſponſa, diuelli patietur. Sic hæreſis auertitur: ſic à populis & gentibus facilè cauetur, ne vnquam preualeat ſeductio; vtcunque exurgant ſeductores. Sic hactenus ab hæreſi hodierna immunes illi populi fuerunt, & adhuc ſunt, quotquot iſta adhuc tempeſtas non inuoluit. Sic etiam deinceps immunes ſemper erunt: alioqui cum cęteris ſimilia paſſuri, aut etiam fortè grauiora; quò minus aliorum exemplis vndequaque appoſitis cauere, & ſapere noluerunt, ſi in hac quam dixi charitate, radicati & fundati, perpetuò perſiſtere nō velint.

Sunt quidem alia media quibus hęreſes arceantur, vt leges & edicta Principum, vigilantia Paſtorum, frequens & in Scholis, & in Eccleſijs doctrina. Sunt & alię cauſę quę hęreſim fouent, vt Principum fauor, nouitatis ſtudium, & ad credendum quibuſuis, vel credula ſimplicitas, vel improba temeritas. Sed & fruſtra illa media quæruntur, ſi flagitioſè viuitur; & parum illę cauſę nocebunt, ſi pietas adſit in charitate radicata atque fundata. Eſt ergo propagandę hęreſis cauſa maxima, propria, perpetua, vita hominum flagitioſa. Eſt ad auertendam hæreſim remedium optimum, validiſſimum, vnicum, ſobriè & iuſtè, & piè, viuere in hoc ſeculo. Video me longius oratione prouectum eſſe quàm putabam, nec

poſſe

poſſe exhauſta iam clepſijdra de altera illa acquirenda fęlicitate, id eſt, de officio pij & prudentis viri, qui inter medias hæreſes iam introgreſſas & dominatum obtinentes, inſtituitur, conuerſatur, viuit, hoc iam tempore diſſerere. Quare illa parte in aliud tempus reiecta, cum in hunc nos locum aut hæc, aut ſimilis occaſio, ad perorandum inuitabit, ad noſtrum iam candidatum me conuerto.

DE OFFICIO PII ATQVE CATHOLICI VIRI INTER MEDIOS hæreticos agentis.

Oratio in Comitijs Doctoralibus habita.

HVmanarum rerum indagator ſagaciſſimus, & vanitatum huius ſeculi contemplator acerrimus, Sapiens ille Salomon, inter cætera multa humanæ vitę documenta, etiam illud ſapientiſsimè in ſuo Eccleſiaſte tradidit: *Manè ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua; quia neſcis quid magis oriatur, hoc aut illud: etſi vtrunque ſimul, melius erit.* Eccl. 11. Quod alijs verbis & apertius veſtigijs huius inſiſtens Eccleſiaſticus, monuit dicens: *In die bonorum, non immemor ſis malorum.* Eccl. 11. In quibus ſanè verbis docuit nos Spiritus Sanctus: eam in rebus lætis atque iucundis moderationem tenere, vt nec proſperis præſentibus elati; nec de futuris aduerſis ſecuri, de his

potius inter media bona proſpicere & cogitare (quæ eſt omnium rerum viciſsitudo,& in alteram ac deteriorem fortunam, procliuior lapſus)quàm in præſentibus bonis nulla mala formidare,aut humanæ fælicitatis conſtantiam aliquam eſſe exiſtimare velimus. Huius rei exemplum illuſtre & documentum ſempiternum, vir ille ſanctiſsimus ac ſapientiſsi-
Iob,cap.1. mus Iob occurrit. Ille enim cùm vir ditiſſimus eſſet, haberet liberos plurimos, omnes opulentos, in maxima rerum affluentia poſitos, qui facerent conuiuia per domos, vnuſquiſque in die ſuo; ſic tamen in diebus bonorum, non immemor erat malorum, *vt cùm in orbem tranſiiſſent dies conuiuij, mitteret ad filios ſuos Iob, & ſanctificaret illos; conſurgenſque diluculo, offerret holocauſta per ſingulos: Dicebat enim, ne fortè peccauerint filij mei in cordibus ſuis*: & addit Scriptura. *Sic faciebat Iob cunctis diebus*. Nobile & illuſtre imprimis exemplum tùm ſapientis viri, & ad vtramque fortunam comparati, tùm diligentiæ paternæ ergà filios ſuos. De quibus, etſi maximas lætitię cauſas haberet, metuere tamen & formidare tempeſtatem maluit, quam de præſenti ſerenitate læto & exultanti animo, ſecurus eſſe.

Quidni verò & eodem nos hodie animo eſſe, eaſdem cogitationes induere par eſt? Alma parens noſtra. Celebertima hæc Academia Duacenſis, Schola hæc Theologica, magnam hodie lętitiam pręſefert. Ad huius diei ſolem-

ſolemnitatem nouo gaudio exultat, & laborum præteritorum oblita, in quibus quotidie deſudat, hodie frontem exporrigit, nec meminit amplius preſſuræ, quia natus eſt homo in mundum. Imò tanquam altera Rebecca, poſt aliquantam ſterilitatem, gemellos fœtus peperit. Duo noua in Academiæ lucem lumina produxit: non quidam talia, vt alterum dilexerit, alterum Deus odio habuerit, vt de gemellis illis, Iacob & Eſau Scriptura meminit: ſed contrà, ambos Deo charos, religione, eruditione, fidei confeſſione, ambos illuſtres: quorum alter à teneris annis, ſeculum & ſpem ſeculi, alter ab aliquot iam annis, patriam, fortunas, & ſpes omnes, amore Chriſti dereliquit, amiſit, abiecit. Maximam profectò, chariſſimi filij, hæc mater veſtra, de vobis hodie lætitiam, ac iucunditatem concepit. Ecce enim duas gentes videt in vtero ſuo, & duos populos ex ventre ſuo diuidi. Nam tu quidem, religioſiſſime Turpine, nobiliſſimo tuo Belgio, inſigne decus futurus, hanc illuſtrem & ſanctiſsimam gentem, in qua natus es, Deo tuo conſeruabis; ac populum Duacenſem, imò Arteſiam totam ſacris tuis concionibus, ſingulari vitæ ſanctitate, in Catholica fide & officio continebis. Tu verò, grauiſſimè & eruditiſſimè Briſtoe (te enim, & exteram gentem tuam, poſteriore loco hîc compellare debeo, etſi maior ſis filius, quia & hîc quoque maior ſeruiet minori) genti illi tuæ ac no-

Fr. Ioannes Turpin Prior Dominicanorũ Duaci.

M. Richardus Briſtõs Anglus.

ac noſtræ, vtinam tam piæ quàm potenti, vtinam tam religioſæ & fideli, quàm feroci & opulentæ, vt nunc ornamentum es clariſſimum, quaſi luminare in medio nationis prauæ, ita adiumentum olim, & patrocinium futurus es maximum, vt ſuſcites illic Tabernaculum Dauid, & reædifices diruta Iacob patris tui. Hunc ergo gemellum fætum, hoc tam nobile par luminum, hæc duarum gentium ornamenta, ex vtero ſuo hodie vno partu prodeuntia, ingenti animi lætitia excipit, celebri triumpho ornat, celebritate hac maxima, & frequentiſſimo hoc conſeſſu ſuo, honore proſequitur Schola hæc mater veſtra, imò vniuerſa Academia.

Sed quia monet nos Sapiens, vt in die bonorum nequaquam immemores ſimus malorum; quidni cum beato Iob, ſanctificemus hodie hos filios noſtros, & per illos, hanc reliquam prolem quam adhuc parturimus in Domino? Quidni offeramus holocauſta per ſingulos, etiam in diebus conuiuij, in die hac ſolennitatis & lætitiæ ipſorum? Quid verò eſt aliud ſanctificare hos filios, quàm id agere, vt ſancti ſint, ne fortè peccent Domino in cordibus ſuis? Sancti enim profectò iam ſunt, & filij ſanctorum, quia fidem & Sacramenta tenent, quæ ſanctam Eccleſiam conſtituunt. Vt ergo in eadem ſanctitate perſiſtant, vt ab hac vnitate fidei in qua nunc ſtant, nunquam ſe auelli patiantur, id vero, ſi non

diſplicet,

diſplicet, filios noſtros præmonebimus.

At quorſum iſtud, dicet quiſpiam. Quid enim ab his filiis metuas in pace Catholica, ſub Rege Catholico, animo & pectore Catholiciſſimo viuentibus? Sanè quod metuit ille optimus pater Iob: Ne fortè mutata olim rerum facie, & hac pace Catholica, in ſchiſma turbulentum tranſeunte, peccent in cordibus ſuis, relicta vnitate, & nouitatem amplexi. At vanus, inquies, hic metus eſt. Melius de hoc noſtro Belgio, melius de his filijs Duacenſibus cogitare & ſperare debebas. Ego verò optima ſpero & confido. Sed da etiam veniam amori. Nam.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Da veniam, ſi in pacis tempore de bello proſpiciam. Da veniam, ſi in die bonorum, non immemor ſim malorum. Quanquam tamen quis paulò cordatior, poſt fœliciſſimam hactenus in his locis vnitatis Catholicę pacem, aliquas hic tandem in Religione turbas, meritò non reformidet? An neſcimus, vndique in proximo hanc flammam depaſci, nec tam ceruicibus noſtris hunc gladium imminere, quàm in ipſis iam viſceribus, ac coniunctiſſimis membris noſtris alicubi apertè graſſari, vbique clanculum ſerpere? An ignoramus, huius generis hunc morbum eſſe, *vt ſerpat tanquam cancer?* Aut meliores ſumus patribus, & fratribus noſtris, qui ante oculos noſtros hæc 2.Timo.2.

paſſi ſunt? Certè manus Domini, flagellum Dei eſt,hoc tam immane, & penè vniuerſum Chriſtiani orbis,ſchiſma. *Calix*,inquam, *eſt in*
Pſal.74. *manu Domini, vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc*, ex hac gente in illam, tanquam tempeſtas tranſijt. *Veruntamen fex eius non eſt exinanita. Bibent omnes peccatores terræ*. Vbi enim cauſa morbi eadem eſt, ſigna, fomenta &
*Orat præced. ſymptomata eadē(vt * alias hoc loco copioſè oſtendimus) morbum quoque ipſum inualiturum, dubitare vix poſſumus. Vbi eadem præualituræ hæreſis ſigna, fomenta, præſidia; luxus, pompa,diſſoluti mores in Clero:odiū, inuidia,& ſuperbia in populo; abundans iniquitas, refrigeſcens charitas; ipſam quoque hæreſim præualituram ſemel, pluſquam probabile eſt. Sed vtinam vanus planeque vaniſſimus,hic noſter metus ſit. Vtinam nullum hic periculum ſubſit,in quo tamen maximū & prҿſentiſſimum ſubeſſe ego cenſeo. Saltem ex ſapientis conſilio & paterno affectu iſtud præmonuiſſe, me quidem non pigebit: Vos autem Auditores Ornatiſſimi, plurimum vti arbitror,iuuabit:& vel contra periculum imminens,aliqua ex parte armabit, vel ſatis armatos in ea qua ſtatis ſententia, confirmabit. Quum itaque in Licentiæ laurea,non ita pri-
Orat præced. dem hoc in loco me Præſide collata,de cauſis omnium hæreſum,maximè ita hodie graſſantium & præualentium, diſſeruerim; noſque ab illis cauſis immunes,minimè eſſe metuen-
dum

dum meritò ſit; id nunc agam, quod eo tum loco ac tempore actur̃u me olim profitebar; vt videlicet Officium pij atque Catholici viri ipſo iam graſſante Schiſmate, quale eſſe debeat, oſtendam. Argumentum ſanè & huic tempori perneceſſarium, & longè ampliſſimum: cuius partes omnes perſequi ſi nunc vellem, prolixior æquo futura eſſet oratio. Itaque, pręcipuas tantum attingam: ita ſanè vt ſemina potius argumentorum ſpargam, quàm vt iuſto labore vniuerſum hũc dicendi campum, excolendum ſuſcipiam. Vos, quæſo, diligenter quod facitis attendite, & ſingulari huic humanitati veſtræ, qua ſingulos hactenus clariſſimos viros perorantes patienter audiſtis, hunc nunc cumulum addite.

Fingamus ergo (atque vtinam fingamus, nec in periculum ſemel veniat, cuius nunc figurã conijcimus) graſſari etiam hoc in loco, in his męnibus, in hac celeberrima Academia, turbam illam ſchiſmaticam atquæ hęreticam, ſeu Martinianã, ſiue Caluinicam, ſiue deniq; Anabaptiſticam; audiri in pagis, in vicis Pſeudoprędicantum voces; conſpici menſas illas prophanas altarium loco; ceſſare iuge ſacrificium; tolli è medio Sacramentorum vſum; Crucifixi Saluatoris noſtri, omniumque Sanctorum monimenta & ſigna ſubuerti; deniq; id agi hic Duaci, quod in Germania, in Gallia, in Anglia, multis iam annis actũ eſt, quod in Hollandia ac Zelandia (proh dolor) nunc

 agi

agi ceptum eſt. Quo hic animo, qua mente, pium, ac Catholicum virum eſſe decet, ne & illum turbulenta tempeſtas inuoluat, ne fidem hęretica peſtis corripiat, ne à ſocietate Catholica, ſchiſma diuellat? An eius generis varias hodie de Religione ſententias eſſe putamus, vt quia Chriſtum omnes profitentur, perinde ſit cui parti adhęreas, & in omni ſecta ſalutem te reperire poſſe confidas? Sanè, inquiunt, quidam hodie mendaces Magiſtri quia fundamentum omnes tenemus, Symbola omnes amplectimur, Apoſtolicum illud, Nicenum & Athanaſij, Conſtantinopolitanum, aliorumq; Antiquiorum Conciliorũ, omnes Chriſtiani & Catholici ſumus; vtcunque vel in ceremonijs & ritibus diſcrepamus, vel in quęſtiunculis quibuſdam aliter ſentimus. Itaque, modò pacē cum omnibus colam, nec aliter ſentientes iudicem atque condemnem, me Catholicum eſſe non ambigam. Ita ſanè quidam officium pij viri definiendum hodie putarunt. Sic libellus quidam Anonymus de officio pij viri diſputat ac docet. Cæterum hæc non tam ſententia quàm dementia, & ſuũ potius Epicureũ, atque Atheum redolens, quàm ſapiente & ſobrio viro digna, licet multis argumentis fortiſſimè reuelli poſſet, nunc tamē pro multis hoc vnum dicam. Symbolũ Apoſtolicum, Nicenum & Conſtantinopolitanum, te profiteris amplecti, At in eo habes, credere te Eccleſiam vnam, Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam.

Vni ac ſoli Catholicæ Eccleſiæ adhęrendũ.

licam. Iſtud verò quid tandem eſſe exiſtimas? An vt credas quidem eſſe huiuſmodi aliquam in terris Eccleſiam; ſed vbi illa ſit, & an tu ad eius membra pertineas; quæ & quanta ſit eius poteſtas; quid illi Reuerentiæ, quid Obedientiæ debeatur; quæ Doctrina, quæ myſteria, quę Sacramenta eius ſint, nihil tua referre? Equidē ſic Paganiſmum, Turciſmum, & nullas non ſectas crediderim. Nam illas extare in orbe, nimium habeo compertum. Dubitas ergo, te ſic in Symbolo credere Eccleſiam, vt non ſolum eſſe huiuſmodi quiddam firmiter credas, ſed planè ea omnia credas, quę credit Eccleſia? eam fidem teneas, quam tenet Eccleſia? eas hæreſes damnes, quas damnat Eccleſia? Maximè, quum vnam illam eſſe profiteris. Si enim vna eſt, nō in quibuſuis ſectis, ſed in hac vna, & ſola, ſalutem expectes opportet. Hoc enim eſſe proprium veri populi & Ciuitatis Dei, vt vnam certam Religionem teneat, Ciuitatis autem Babylonicæ, vt promiſcuè falſa, cum veris doceri ſinat, pulchrè demōſtrauit S. Auguſtinus. Tu ergo Catholicus quum ſis, & vnius Catholicæ membrum, hoc antè omnia perſuaſiſſimum habere debes, ab hac vna recedendum non eſſe: ſectas alias omnes quas iſta condemnat, à te quoque toto pectore anathematiſandas eſſe: & hoc eſſe quod in Symbolo profiteris, credere te Eccleſiam, Catholicam, vnam, Sanctam, Apoſtolicam. Denique non; niſi in hac vna, Chriſti nomē profiteri te poſſe

Credere Eccleſiam Catholicā quid ſignificat.

De Ciuit. Dei lib. 18. cap. 41.

poſſe: nec putare, vt olim Donatiſtæ putabant, quum adhuc liberè agerent quod vellent, *nihil intereſſe vbi fidem Chriſti tenerent*: ſed (vt ijdem per Imperatorum leges correcti iudicabant) *hoc vni Deo congruere, vt in vnitatę colatur*: quemadmodum commemorat Auguſtinus. Quam etiam ob cauſam & ille propter Donatiſtas, & ante eum Cyprianus, propter Nouatianos à ſchiſmate reuocandos, aureos illos libellos ſcripſerunt, *de vnitate Eccleſiæ*. Vbi inuictis & multis argumentis docent, non poſſe illos in Chriſtum credere, qui Eccleſiam non credunt: *non poſſe illos Deum patrem habere, qui Eccleſiam non habent matrem*: vel denique vt loquitur Auguſtinus, *eos qui vnitati Eccleſiæ non communicant, etiam ab ipſius Chriſti teſtificatione, diſſentire*. Quam ob cauſam & *Nouationos ſymbolo non credere* probat Cyprianus, & Arianos Eccleſiam non tenere, probat Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos. Quanquam & hi non de Eccleſia, ſed de Chriſto litem mouerent; & illi non contra Chriſtum, ſed contra Eccleſiam eiuſque poteſtatem, diſputarent. Exiſtimare denique debes, adeo eſſe vtriuſque Chriſti & Eccleſiæ, inſeparabilem nexum, *tam magnum eſſe hoc Sacramentum*, tam arctam copulam *in Chriſto & Eccleſia*, vt alterum qui neget, vtrumque negauerit; & fruſtra ſe Chriſtianum vocet, qui Eccleſiæ vnitatem non tenet: ipſo Chriſto de Eccleſiæ ſuæ magiſtris dicente:

Epiſt. 48. ad Vincentiũ.

Cypr. libro Citato.

Aug. libro citato c. 4.

Libro 1. epiſt. 6.

Epheſ. 4.

dicente: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: Qui ſpernit me, ſpernit eum qui miſit me,* vt propterea falſò & fruſtra Deum ſe putet habere patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Luc. 10.

Bene ergo habet. In vna fide, in vna Eccleſia manendum eſt. Animo & voluntate ad alias ſectas accedendum non eſt. Cęterum quæritur, an idem quoque palàm ſemper & in caſu iam propoſito, profiteri neceſſe ſit. Quæritur inquam, an graſſante iam & præualeſcente aliqua ſecta, vt in Hollandia & Zelandia magna ex parte nunc fit, diſiecta Eccleſiæ acie, perturbatis ordinibus, non minus quam in ipſa Eccleſiæ pace, vero & aperto vultu, Catholicum te præbere & profiteri, ſub periculo ſalutis æternæ neceſſarium ſit. Audio enim Apoſtolum ad Romanos dicere, *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem,* Audio illum apud ſuos Corinthios, *prouidere bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Audio denique illum ſuis Theſſaloni. ſcribere. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Et in cauſa fidei hoc potiſſimũ obtinere non dubito. Sed in huiuſmodi rerum motu, dominantibus Sectarijs & hęreſum Magiſtris, an nihil tempori, nihil neceſſitati concedendũ ſit, an ab omni prorſus huiuſmodi hominum conſortio ac communione, neceſſario abſtinendum, id fortaſſe queri & dubitari meritò poteſt. Et, vt apertius dicam; quid, inquies,

Profeſſio fidei an & quatenus neceſſaria.

Rom. 10.

2. Cor. 8.

1. Theſſal. 5

quies, periculi eſt, ſi nouos hos prædicantes interdum audiero; ſi libros eorum legero; ſi argumenta vt fortius confutem intellexero; ſi ineptias vt magis eos rideam animaduertero; ſi conuentus eorum prophanos atque ridiculos vt in noſtra ſacratiſſima Religione magis confirmer, conſpexero? Dicam adhuc amplius. Quid piaculi aut periculi, ſi etiam Sacramenta ab eorum manibus perceperọ? An propterea fidem negaſſe, aut ab Eccleſiæ vnitate excidiſſe videri potero, ſi interea in fide & pace Catholica animo & conſenſu perſtitero? Grauis ſanè & multiplex hęc quęſtio eſt; & cui paucis ſatisfacere velle, eſſet exigua ſcapha altitudinem mari emetiri te poſſe putare. Dicam tamen ad ſingula aliquid, vt potero breuiſſimè, & ad rem appoſitè.

Et vt à poſtremo incipiam, quod eſt grauiſſimum, atque in ijs quæ leuiora videntur (ſunt tamen æque grauia) deſinat oratio. Sacramentorum communionem nullam prorſus cum Hæreticis aut Schiſmaticis intercedere debere, ita clarum & compertum eſt, vt de ea re diſſerere velle, eſſet fortaſſe rem clariſſimam diſputando ambiguam facere. Hoc vnum dicam, non aliam eſſe Religionis certiſsimam notam, quàm eorundem Sacramentorum, vnam atque eandem ſocietatem. Hoc enim vnum pro validiſsimo argumento ſumit Auguſtinus, nullam fuiſſe apud Philoſophos veri nominis Religionem, *eò quod ſcholas habe-*

Sacramentorũ communio cũ hæreticis nulla.

De vera Relig. c. 5.

rent

rent diſſentientes, & templa communia: eadem ſacra in templis ſuſciperent, contrarias ſententias in ſcholis perſonarent. Contrà, hoc vno argumento apud ſolos Catholicos Chriſtianos eſſe veram Religionem demonſtrat, quòd non ſolùm ab illis abhorrent, qui in ipſo Sacramentorum ritu, & cultu externo, apertè diſcreparent, vt à Manichæis & illis ſimilibus, ſed etiam ab illis, *qui paria Sacramenta, & ritu non diſpari celebrantes, ſola ſententia & doctrina diſpares eſſent: vt quorum doctrinam non approbarent, nec Sacramenta cum illis communicarent.* Sicuti de Photinianis, Arianis, & alijs permultis, notat in libro de vera Religione. Nempe vnus eſt hic, nec minimus, Sacramentorum finis ac vſus, vt ſocietatem fidelis populi, tanquam vincula & nexus quidam colligarent. *Neque enim in vllam nomen Religionis ſeu verum ſeu falſum, coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio, colligentur*: vt contra Fauſtum Manichæum docet Auguſtinus: Lib 19. cap. 11. Quæ ſi ita ſunt, vnitatem Catholicus tenere non potes, qui cum hoſtibus vnitatis in Sacramentis communicas. Sunt enim retinendæ vnitatis vincula & nexus; ſunt ſocietatis Chriſtianæ notę & Characteres diuina ſacramenta; quæ propterea ab hoſte, aut apud hoſtem, non niſi transfuga potes accipere. Ad illam enim ſectam vnuſquiſque pertinet, in qua Sacramēta percipit. Quod illi Sanctiſsimi Maiores noſtri rectè intellexerant, qui extrema pati maluerunt

runt,quam ab hæreticis vel cum hæreticis,Sacramenta accipere. Habes huius rei illuſtre exemplum Conſtantinopolitanos Catholicos, qui nullis tormentis adigi poterant, vt cum Macedonio hæretico communicarent: apud Sozomenum lib.4. c.19. Idem de Edeſſenis Catholicis, videre licet apud Theodoretum lib.4. cap.16. & de Samoſatenis lib.4. cap.14.hiſt. Eccleſiaſticę. Legis hoc nomine laudatum Satyrum Ambroſij fratrem, apud ipſum Ambroſium in ſermone de obitu eius. Moyſes quoque celeberrimus Monachus,eodem nomine celebratur apud Theodoretum lib.4. cap.21.Hermigildum quoque Hiſpanũ Regis Ariani filium, hoc nomine martyrio affectum, legis apud Gregorium Magnum Dialogor. lib.3. cap. 31. Africanorum autem Catholicorum infinitam turbam, mille calamitates hoc nomine paſſam, legis apud Victorem libro 2.& 3. de perſecutione Vandalica.Dies me deficeret, ſi huiuſmodi exemplis recenſendis, immorari vellem.

Catholicorum veterũ exempla.

At inquies,etſi Sacramentis communicare non liceat,pręcibus ſaltem & Officijs eorum intereſſe,vnâque orare licebit;eaque de cauſa eorum conuentus ſiue templa,adire nefas non erit. Nec hoc quidem homini Catholico vlla ratione licebit.Neque enim minus oratio quàm Sacramentorum vſus, vnitatis argumenta,notæ & vincula ſunt arctiſſima. Hanc ob cauſam oratio illa Dominica à Saluatore dictata,

Hæreticorum templa non adeunda.

dictata, communis eſt, non priuata cuiuſque; & omnium atque totius corporis nomine probata, non huic aut illi propria. Volens quoque in Euangelio Saluator, eum demum orandi modum qui fructuoſus eſſet futurus, docere, *Si duo, inquit, ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint fiet illis a Patre meo. Vnanimitatem prius poſuit* (ait Cyprianus) *concordiam pacis antè præmiſit; vt conueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem poteſt ei cum aliquo conuenire, qui cum corpore ipſius Eccleſiæ, & cum vniuerſa fraternitate non conuenit? Itaque Dominus de Eccleſia ſua loquitur, ad eos qui ſunt in Eccleſia, quum dicit: Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Hęc Cyprianus. Sic & Auguſtinus. *Ille,* inquit, *in templo Dei orat; qui orat in pace Eccleſiæ, in vnitate corporis Chriſti, quòd conſtat ex multis credentibus in toto orbe terrarum.* Non ergo fructuoſa, ſed ſacrilega illa oratio eſt quæ in Schiſmate fit, iuxta illud Dauidicum: *Fiat oratio eius in peccatum.*

Libro de vnitate Eccleſiæ.

In præfat. enarrat. in Pſal. 130.

Pſal. 108.

Concedo, inquies, quando ab ijs qui Schiſmati conſentiunt, in Schiſmate oratur. Sed ſi ſolo corpore præſens, toto animo alienus, vnà cum Schiſmmaticis orem; nec quia placet illa nouitas aut ſocietas, ſed quia Principis mandato, grauique * mulcta impulſus & coactus illis me adiungo, an propter pręſentiam illam & inuoluntariam & ſolùm corporalem, Schiſmatis reus peragar, & orationem ſacrilegam feciſſe, cenſebor? Omnino, ſi Spiritum

* In Anglia eſt mulcta mẽſtrua 66 aureorum.

F ſanctum

ſanctum in Scripturis loquentem audis. In ſchiſmate illo Chore, Dathan, & Abyron, clamat ad populum vniuerſum Moyſes: *ſepa-*
Num.16. *ramini à tabernaculis iſtorum hominum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Hîc enim non authores tantùm, & animo participes ſchiſmatis, ſed & præſentes inuenti, pariter a Deo puniendi, oſtenduntur,
a Libro 1. epiſt.6. vt docuerunt ex hoc loco ſancti Patres,[a] Cy-
b Hom 11. ad Epheſ. prianus & [b] Chryſoſtomus. Propterea Dauid in perſona fidelium omnium dicit: *Odiui Eccle-*
Pſal. 25. *ſiam malignantium, & cum iniqua gerentibus non introibo.* Quibus verbis non conſenſum tantùm, ſed & acceſſum negat impiorum cætibus. Quod quidem per omnes ętates, à Chriſtiano populo, religioſiſſimè ſemper obſeruatum
Catholicorum veterũ exempla. fuiſſe, Maiorum res geſtæ loquuntur. Quum Nouatiani Carthagini graſſarentur, ſcribit ad populum Carthaginenſem diligenter B. Cyprianus, eorũ tum Epiſcopus, ſed abſens,
Libro 1. Epiſt.8. *ne vlla ratione ad Schiſmaticorum conuentus accedant.* Quum paſſim in Oriente dominarētur Aria-
Epiſt.69. ni & Eunomiani, ſcribit Baſilius, *In plurimis ciuitatibus populum cum mulieribus & pueris, ipſiſque ſenibus, ante portas effuſam ſub dio preces fundere ſolitos; omnes aeris iniurias magno animo ſuſtinere; nec ad hæreticorum oratoria ingredi vllo modo velle.*
Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. Narrat de populo Alexãdrino Theodoretus, quòd pulſo Athanaſio ipſorum Epiſcopo, *conuenerint in cæmiterio ad orationem, nec vllis minis vel cruciatibus adduci potuerunt, vt Georgio Ariano ſe coniun-*

coniungerent, vtcunque eos vexante, & excarnificante ex mandato Imperatoris, Sebaſtiano Duce. Nec minor fuit Antiochenorum Religio, qui deiecto Euſtachio Catholico Epiſcopo, ſub Euphronio & Phlacito Arianis Pſeudoepiſcopis, *ab Eccleſiaſtico conuentu ſemper abſtinebant*, vt idem refert Theodoretus. Tantundem de Samoſatenis refert idem Theodoretus, qui pulſo Euſebio Catholico Epiſcopo; ad vnum omnes ab Eccleſia abſtinebãt, & dum in illa ſolus ille Pſeudoepiſcopus Eunomius agebat, *nemo aut in eius conſpectum venit, aut ſermonem cum eo contulit, etſi alioqui vitam apud eos valde modeſtè, inſtituiſſet*. Romanorum etiam par religio, ab eodem Theodoreto refertur. Pulſo enim Liberio, & ſuffecto in eius locum Fælice, *nemo ex Romanis* (ait Theodoretus) *in Eccleſiam dum ille intus erat, ingredi voluit*. Plena eſt his exemplis hiſtoria Eccleſiaſtica. Hæc populi Chriſtiani fides; hæc Religio, hoc officium boni Catholici olim fuit, quum hæreſis inualeſceret.

Libro 1, cap. 22.

Libro 4, cap. 14.

Libro 2, cap. 17.

Prętet hanc populi fidem, vide etiam doctiſſimos & ſanctiſſimos viros, eadem religione vſos fuiſſe. Origenes, quo nihil in prima ætate aut ſanctius, aut doctius fuit, vnâ cum Paulo quodam Antiocheno Marcionita hæretico, in eadem familia neceſſitate compulſus habitans, *nunquam tamen induci potuit, vt precibus vna cum illo intereſſet*. Quod vt ſingulare in eo pietatis documentum recenſet Euſebius.

Libro 6, cap. 3.

D. Auguſtinus iam ex Manichæo Catholicus factus, & contra eos ſcripturus, præfatur ſe cum illis mitiſſimè acturum, nihil durius aut acerbius dicturum; denique eis quantum quidem liceat ſeſe accommodaturum; *hac tamen*, inquit, *lege ſeruata, vt vobiſcum non orem, vt conuenticula vobiſcum non celebrem, vt Manichæi nomen non accipiam.* Hæc ille. Hæc te Catholicorum & Patrum & populorum exempla doceant, quiſquis Catholicus es, ne ad ſchiſmaticorum templa aut conuentus orationis cauſâ, aliquando accedas. Ratio autem & in Sacramentorum & in orationum, cum ſchiſmaticis communione vitanda vna & eadem eſt, Spiritus Diuini indiuiduus, cum vna & ſola Catholica Eccleſia, nexus. Nam & ſine Spiritu Dei, tanquam anima & vita operum omnium, nec Sacramenta, nec orationes, nec quicquam aliud fructum adferunt, aut Deo grata ſunt; & in ſola Eccleſia tanquã in templo & domo ſua, habitat hic Spiritus. Quod quidem totum, quia ſine longa demonſtratione operoſius explicari non poteſt, hac breui notatione contentus, ad alia me conuertam. Nam hæc ſanè duo non difficulter fortaſſe, verè Catholicus conceſſerit, cum ſchiſmaticis nec Sacramentorum, nec orationum communionem, ineundam eſſe. At in alijs illis iam propoſitis, parem eſſe Religionis & cautelæ neceſſitatem, non ita facilè in animum induxerit ſuum. De illis ergo agamus, & officium

Cõtra epiſt. fundamẽti cap. 3.

pij viri

pij viri quale etiam circa illa ſit, breuiter oſtendamus.

Tria verò adhuc ſunt, de quibus meritò quæritur, an dominantibus Schiſmaticis, à Catholico & pio viro, licitè & legitimè fieri poſſint. Primùm, an eorum conciones frequentare; ſecũdo, an libros editos legere; tertiò, an & quatenus cum illis conuerſari, liceat. Nam quod ad primum attinet, vulgò quidem & leuiſsimè id à plęriſque fieri, qui tamen Catholici cenſeri volunt, cernimus. Etenim (vt externa taceam) quis neſcit, in hoc Belgio, his poſtremis annis, ad pſeudoprædicantium voces paſſim excurſum eſſe, & foris quidem extra mænia repletos populis agros, domi deſertas Eccleſias fuiſſe? Denique vix hoc pro crimine habitum fuiſſe, ſi ad noui alicuius prædicantis doctrinam audiendam, & à viris, & à fæminis, & à pueris, & à ſenibus; & à populo, & à Clero, curreretur? Quid verò? Hoccine pij & Catholici viri officium putamus? Aut vllo modo hoc Catholico licere arbitramur? Taceo hic periculum præſentiſſimum, vt hauſto illo dulci nouæ doctrinæ veneno, ex Catholico repente ſchiſmaticus fias. Quod & euidenti ratione facilè demonſtrari poſſet, & ipſa rerum experientia nimis clarum fecit. Omitto iniuriam quam facis matri tuæ Eccleſiæ Dei, dum adulteram & pellicem eius, tua præſentia honoras. Nihil dico dę graui ſcandalo, qui peſſimo hoc exemplo tuo *percuſ-*

Hæreticorũ conciones non audiẽdas.

1. 2. 3.

1. Cor. 8. *tis conſcientias aliorum infirmas, & per te peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*: Dum videlicet, alius putat id licitè fieri, quod à te Catholico viro publicè factum
4. videt. Illud dico, illud vrgeo, hoc dum facis, Chriſtum Dominum, Principem Paſtorum, vnicum Magiſtrum tuum, contemnis, abijcis, conculcas. Quid? An nunquam audiuiſti, aut ſi audieris contempſiſti, illud Chriſti grauiſſi-
Matth. 24. mum interdictum? *Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ*, &c. *Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire.* Audiſtine vocem Saluatoris? Non ſolum dicit, nolite credere, nec dicit, Ite quidem, audite audacter; ſed, credere nolite: Verùm dicit: & prudentiſſimè dicit: *Nolite exire.* Nolite accedere, nolite
Ioan. 10. appropinquare. Rurſum alio in loco. *Oues meæ vocem meam audiunt: alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.* Non ſolum non ſequuntur, non conſentiunt, non applaudunt, ſed & longiſſimè fugiunt. Non ſolum eorum dogmata & myſteria ignorant, ſed nec vocem audire ſuſtinent. Itaque parum eſt, quod eorum verbis non credis: Ne audire quidem eorum verba debebas. Hæc Chriſti Domini, hęc olim Prophetarum veterum, hæc poſtea Apoſtolorum vox erat:
Ierem. 34. Clamat Ieremias: *Nolite audire verba Pſeudoprophetarũ qui prophetant vobis & decipiunt vos.* Iubet ne audire quidem. Sic ſapiens ille Salomon
Prouerb. 5. de fornicaria hæreſi quę aduerſatur ſapientiæ, ſcribens;

ſcribens: *longè*, inquit, *fac ab ea vias tuas, & ne appropinques foribus domus eius.* Et quare? *Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertuntur, nec apprehendent ſemitas vitæ.* Nempe hæc eſt illa ſpelunca latronum, de qua verè poſſis dicere: *Veſtigia cerno, omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.* Hæc eſt illa Circe, hi Sirenum cantus, quos vt euites, præternauigare obturatis auribus debes. Hi ſunt illi, de quibus Apoſtolus dicit: *Sermo eorum vt cancer ſerpſit.* 2.Timo.2. Et iterum: *Rogo fratres, vt obſeruetis eos qui diſſentiones & offendicula* Rom. 16. *faciunt, præter doctrinam quam vos didiciſtis, & declinate ab illis.* Declinare te vult, non omnino accedere. Et quare? *huiuſmodi enim per dulces ſermones & benedictiones, ſeducunt corda innocentium.* Acrius verò adhuc præcipit Ioan. *Si quis* (inquit) Epiſt. 2. *veniet ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* Vides tantum abeſſe vt eum docentem audias, planè vt eum ne ſalutare quidem debeas. Et tu tamen Catholice, nequicquam prohibente Chriſto, fruſtra clamantibus Prophetis, incaſſum monentibus Apoſtolis, etiam ad horum hominum conciones (blaſphemias dicerem) excurres, adſtabis, audies?

Quid? Aut durum tibi hoc præceptum, aut ſuperuacaneum videtur eſſe conſilium? Si durũ putas, dic amâbo, quid facilius, quid leuius, hunc in modum tibi præceptum dari? Vade ad lupanaria, cõuerſare cum meretricibus, ſpectator formarum eſto; concupiſce audacter; ſed

Fugiendi prorſus hæreticos præceptũ non eſt durum.

concupiſcentiá vinces; nec animo nec opere, nec verbo nec facto, in malum conſentias; an potius ſic dicere; fornacem fuge, ad flammam non acceſſeris, concupiſcentiæ ardores caue, occaſiones deuita, vt caſtitatem conſerues? Quis dubitat, hoc, quã illud, & facilius obſeruari, & commodius præcipi, & diuinius cuſtodiri? niſi fortè prudentius ſit per præcipitia, & lubrica, & deuia vagari, quã in plano & regia
Matth. 5. via, ambulare. Quod ſi in cautela vitę & morum, iuſſit Saluator vt vitetur periurium, *non iurare omnino*; vt vitetur homicidium, *non iraſci omnino*; vt vitentur adulteria, *non concupiſcere*
Cõtra Fauſtum lib. 19 cap. 26. *omnino*; Quibus verbis, *non noua adiecit præcepta, ſed rationem qua tutius conſeruarentur vetera, aperuit*, vt docet Auguſtinus; quid miraris, ſi etiam in cautela fidei, vt hæreſes vitentur, iubet Saluator, ad hæreticos *non exire*, *alienorum voces fugere*, iubet Paulus, *eos declinare*, iubet Ioannes, *ne Aue quidem eis dicere*?

Eſt ſanè omnis hæreſis & ſchiſma, quædam circa Religionem fornicatio, vnde Apoſtolus ad hanc fornicationem euitandam, ſcribit.
2. Cor. 11. *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*; De hoc autem peccati genere dicit Apo-
1. Cor. 6. ſtolus, *fugite fornicationem*. Reliqua vitia, vt odium, ſuperbia, auaritia, vincuntur reſiſtendo, quia quantò magis circa illa particularia quis tractat atque conſiderat, tantò minus in eis inuenit vnde delectetur. Oſtendit enim ratio, diuturna & diligenti habita conſideratione,

tione, quàm vanè ſuperbitur, quàm ineptè pecunia amatur, quàm temerè vindicta appetitur. At verò in luxvriæ vitio, quantò magis particulare obiectum cogitatur, tantò magis accenditur. Vincitur autem fugiendo, & omnem de illis rebus cogitationem primo quoque tempore, deponendo. Nec aliter ſe in hæreſi res habet. Excutienda vt vipera, fugienda vt peſtis, abominanda vt certa pernicies eſt; nullo modo expendenda, tractanda, conſideranda. Illam enim expendere (niſi docendi cauſa) eſt de fide dubitare, indeque in hæreſis præcipitium de repentè prolabi. Non ergo durum, ſed & facillimum & ſaluberrimum præceptum eſt, *alienorum voces ne audire quidem: ſed fugere ab eis.*

Si ſuperuacaneum hoc putas eſſe conſiliū, teque ſatis fortem in fide ac robuſtum putas, vt etſi eos audias, nihil tamen tibi inde periculi metuas, primum illud Apoſtoli memineris. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Deinde, dic ſodes: An tu fortior ſancto illo Polycarpo Martyre, qui Marcionem hæreticum ne alloqui quidem dignatus eſt, vt refert Irenæus, & commemorat ex eo Euſebius lib.3. cap.13. moxque addit. *Hæc fuit Apoſtolorum & Diſcipulorum religio & timor, vt neque verbo tenus communicarent iis, qui adulterant veritatem.* Religio, inquit, & timor. Tu ergo illis aut religioſior aut fortior? Aut tu Ioanne prudentior, qui *balneum, in quo Cerinthus hæreticus lauerat, ne ingredi*

Fugiendi hæreticos conſilium non eſt ſuperuacaneū

1. Cor. 10.

Irenæus lib. 3. cap. 3

quidem voluit, vt idem meminit Irenæus lib.3. cap.3. Quod Apoſtoli factum imitati ſunt Samoſateni Catholici,qui,cum ad balneum veniſſent in quo lauerat Eunomius hæreticus, *illo egreſſo, omnem aquam è balneis per cuniculos in cloacam emittunt,& recentem parari iubent:* vt refert

Hiſtor. Eccleſ.lib.4. cap.14.

Theodoretus. Tu denique religioſior Antonio illo Eremita ſanctiſſimo & Eremitarum patre,cuius illa morientis ad diſcipulos ſuos

S. Antonij præclara vox.

vox erat? *Zelum meum contra hæreticos omnes & veritatis hoſtes tenete; Scitis, quia nihil vnquam illis molliter aut pacificè loquutus ſum. Itaque venena eorum & colloquia prorſus vitate.* Hæc ille, vt in eius vita ſcribit indubitatus Author Athana-

Epiſt 73.

ſius. Nec diſſimilis eſt S. Baſilij,ad ſuos quoque Monachos admonitio. *Congreſſus*, inquit, *illorum ſubdolos, & ad ſubuerſionem audientium inſtructos declinetis.* Moxque huius rei tres cauſas ſubiungit. Primam, *vt dilectionem* (inquit) *erga nos ſinceram cuſtodiatis.* Nemo enim Paſtorem ſuum colere, & cum hęretico libenter conuerſari,poteſt. Alteram,*vt Patrum fidem infractam & ſanam ſeruetis:* Tertiam,*vt apud dominum tanquam probati, veritatis amici deprehendamini.* Hæc ille. Poſtremò,ſi *Iudæi, in omnibus ſynago-*

In Cõm.in Eſai.cap.5.

gis ſuis,& per ſingulos dies, ſub nomine Nazarenorum,anathematiſent nomen Chriſtianum, vt commemorat Hieronymus: quidni veri fideles, ſic hæreticorum & nomen & voces exhorreant,& per ſingulos dies deteſtentur, vt ab eorum non dico conuentibus, ſed & planè

conſortio,

conſortio omni, non ſecus atque à ſerpentibus & viperis, abſtineant?

Video me huic parti paulò diutius immoratum fuiſſe, quàm noſtræ clepſijdræ iam penè exhauſtæ, curſus patiatur. Sed illud commodi acceſsit, quòd hanc partem dum prolixius tractaui, cęteris quoque quę ſuperſunt, quodammodo ſatisfęciſſe videri poſſim. Quùm enim non minus periculum ſit, in Hęreticorũ libris legendis, quàm in eorũ concionibus audiendis; & exempla ac præcepta quæ commemorauimus, non dictrinas tantùm, ſed & ipſa in vniuerſum commercia, atque conſortia ipſorũ Archihæreticorum, penitus declinanda, atque adeo fugienda docuerint; profectò quæ de horum hominum, vel ſcriptis libris nullo modo legendis, vel cõmercio & ſocietate fugienda, proximo iam loco dici debebant, ex his quæ iam dicta ſunt, ſatis clarè colligi, & euidenter eluceſcere, poſſint. De vtroque tamen, vno verbo quam breuiſsimè aliquid ſubmonebo.

Mouet enim ſanè multùm viros doctos, & alioqui egregiè Catholicos, non licere ipſis, maximè inter medios hereticos agentibus, & eorum quotidie contra veritatẽ Catholicam blaſphæmias audientibus, huiuſmodi hominũ ſcriptos de rebus Controuerſis libros legere, indeque argumentorũ quibus nituntur, vim atque momenta cognoſcere, vt ſemel cognitis diligenter reſpondere atq; ſatisfacere, valeant. Sic enim affecti, non ſolùm licitè ſed & lau- *Hęreticorũ libri non legendi.*

dabiliter

dabiliter ac piè ſe facturos arbitrantur, ſi pro Zelo religionis quo flagrent, huiuſmodi libros diligenter perlegant. Vt minimum extra periculum ſchiſmatis, plærique ſe eſſe exiſtimant; qui id faciunt: ſiue quia grauiter interdictum id eſſe à ſede Apoſtolica, neſciũt: ſiue vt ſciant quia recta intentione id faciunt ad ipſos huiuſmodi interdictum non pertingere, arbitrantur. Sed grauis hic eſt, & periculoſiſſimus bonorum virorum error. Cuius fundamentum illud eſſe videtur, quod ipſius fidei vel addiſcendæ vel aſſerendæ, vel denique propugnandę, cuiuſmodi tandem mediũ quæ ratio ſit; aut ignorant, aut non ſatis aduertunt. Nempe (vt vno verbo rem totam explicem) meminiſſe omnes debemus, oues nos eſſe ouilis ſeu gregis Dominici, ſiue vulgares & agnos, ex laicorum ſcilicet numero; ſiue huiuſmodi quidem, quibus aliqua ratione alios paſcere ex officio incumbit, quia Paſtores aut Doctores ſumus, vni tamẽ ſummo Paſtori & ποιμεναρχῃ ſubiecti. Siue autem in primo, ſiue in ſecundo ordine conſiſtimus, oues ſumus, & ab alio paſcendi; non ipſi nobis paſcua & pabula deligere pro arbitrio, poſſumus. Et primi quidem ordinis oues, in tota ratione fidei, hoc obſeruare debent, vt à ſola paſtorum voce pendeant, illud Saluatoris diligentiſsimè recolentes, *qui vos audit, me audit*, & illud item Apoſtoli: *Fides ex auditu. Quamodo autem audient ſine prædicante?* &c.

Luc. 10.

Rom. 10.

quæ

quæ ſequuntur. Qui ſecundi ordinis ſunt, etiam in grauioribus cauſis idem præſtare debent, memores ſanè vni ſoli eſſe dictum: *Confirma fratres tuos*: nempe ipſos Paſtores & compręſbyteros, in aliqua cauſa fidei fluctuantes & dubios corrobora. Hoc itaque poſito, quia oues ſumus, audire vocem Paſtoris debemus, & ab illo diſcere non ſolum quid ſit fidei, quid non, ſed etiam quid ad fidem conſeruandam ſpectat, quid non; quale iſtud eſt, ſintne hæreticorum libri legendi, & quatenus. Hic enim quia agitur cauſa fidei, & in eius controuerſia cuiuſque non eſt de cauſa cognoſcere, aut partium quærimonias & merita cauſæ expēdere: relinquamus hoc Iudici, & eius ſententiam expectemus. Luc. 22.

Sed vir doctus eſt, & qui aduerſarios legendo plurimum alijs prodeſſe poſsit. Facilè quidem reſpondere, *Melior eſt obedientia quam victima*, nec propter opus charitatis deſerenda Iuſtitia, iuxta illud Apoſtoli, *non faciamus mala, vt proueniant bona*. Sed nolo ſic cum docto viro ruſticè agere. Illud vrgeo: Ordinem in Eccleſia quo nihil eſt ſalubrius, perturbare non debes. Eſto enim: fueris de illorum numero qui ſine periculo tuo, vt tibi videtur, hoc præſtare poſſis: Reſpondeo tibi quod olim honorato Manichæo, reſpondit Auguſtinus. Videbatur enim ille ſibi *ſine duce ſine magiſtro, ſolis lectis ſcripturis ſacris, de vera Religione iudicare, & vi ingenij diuina ſecreta certa ratione capere*, 1. Reg. 15. Rom. 3. De vtilitate creden. cap. 10.

facilli-

facillimè poſſe. Etſi, inquit, *facto tibi nihil noceas, nocebis tamen exemplo cæteris.* Sed & præterea quotus quiſque eſt, qui de ſe non plus ſentiat quam poteſt? Quàm ſumus cæci noſtrarum virium iudices & arbitri? *Itaque ordo ille & ratio ſeruanda eſt, quæ ſine cuiuſque periculo ſeruari poteſt. Quod quidem facilè fit, ſi etiam hi qui volare poſſunt, ne cui ſit periculo exemplum, paulisper cogantur incedere, qua etiam cæteris tutum eſt. Hæc eſt prouidentia veræ religionis. Hoc iuſſum diuinitus: Hoc à Beatis maioribus traditum: Hoc ad nos vſque ſeruatum: Hoc perturbare velle atque peruertere, nihil eſt aliud, quàm ad Religionem ſacrilegam viam quærere. Quod qui faciunt, nec ſi eis concedatur quod volunt, poſſunt quò intendunt, peruenire. Cuiuſmodi enim libet excellant ingenio, niſi Deus adſit, humi repũt. Tunc autẽ Deus adeſt, ſi ſocietatis humanæ in Deum tendentibus cura ſit, ſi nihil ſingulare, nihil præter ordinem diuinitus inſtitutum, facimus.* Hæc Auguſtinus, in aureo illo libello de vtilitate credendi.* Cuius conſilio quia ſumma ratione nititur, & vniuerſam tam iucundæ quàm aſſerendæ fidei rationem complectitur, vt acquieſcere planè Chriſtianum, & Catholicum eſt; ita reſiſtere & reluctari velle, ſpecie ſchiſmatis carere nõ poteſt.

At dicet aliquis, multa ſunt in hęreticorum libris eruditè diſputata, & quæ etiam ad Scripturarum cognitionem egregiè conducant. Et habemus hac in re clariſſimorum virorum exempla: D. Hieronymi, qui in Epiſtola ad Minerium & Alexandrum non facit hoc tan-

tum,

tum, ſed & tuetur factum, ſequutus illud Apoſtoli: *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*: Theophili Alexandrini apud Socratem lib. 6. cap. 15. & Dioniſij Alexandrini quoque Epiſcopi apud Euſebium lib. 7. cap. 7. qui omnes hæreticorum libros diligenter legerũt. Quare ergo ſaltem doctis viris eorum lectio hodie non permittitur, vt & hic etiam liceat ſpoliare Ægyptios, ad Eccleſiæ caſtra ditanda? Huic doctorum hominum hodie periculoſæ ſanè & imprudenti querimoniæ, breuiter cum B. Gregorio reſpondeo. *Hæretici miſcent recta peruerſis, vt oſtendendo bona, Auditores ad ſe trahant; & exhibendo mala, latenti peſte, corrumpant.* Hæc ille. Cum B quoque Leone magno eius nominis primo, reſpondeo. *Quamuis ſint in hæreticorum ſcriptis quædam quæ videntur eruditionis & pietatis ſpeciem habere, nunquam tamen vacua ſunt venenis.* Hæc ille. Quis ergo cum certo ſalutis periculo, incertum oblectamentum quærat? Deinde non ego exiſtimauerim; hæreticorum labores ad veram Scripturarum cognitionem aliquid conferre, ſed potius cum Tertulliano dixerim: *Illic & ſcripturarum, & expoſitionum adulteratio deputanda eſt, vbi aduerſitas inuenitur doctrinæ.* Hæc ille. Quis enim neſcit, illorum hoc maximè intereſſe, vt ad falſæ doctrinæ ſuæ commendationem, Scripturas omnes illuſtrent? Huc accedit, quòd quum hæretici omnes ſint *Magiſtri mendaces*, vt eos Apoſtolus Petrus rectiſſimè vocauit; ideoque inter pauca vera,

1. Theſſal. 5

Moral. lib. 5. cap. 11.

Epiſt. 93. cap. 15.

In Præſcrip.

2. Pet. 2.

innumera neceſſariò ſpargant mendacia; metuendum ſanè maximè eſt, ne in fidem ſemel admiſſis, etiam in ijs quæ mentiuntur, temerè & pernicioſè credatur. Exempla verò producta, nihil noſtros iuuant, niſi & pares ſe eruditione ac vocatione, illis iudicent; & pręterea eandem hodie Catholicorum Scriptorum penuriam eſſe oſtendant, quę illorum tempore fuit. Eſt enim ſanè præpoſtera illa diligentia vel curioſitas potius, quod domi locupletiſſimè habere potes, in tanta Doctiſſimorũ Catholicorum Scriptorum varietate, foris apud hoſtes & Appoſtatas, & (vt ait Hieronymus) *aurum in luto quærere*. Ne dicam cum iniuria id Catholicæ Matris, aut potius Spiritus S. fieri, quaſi illa tam ſterilis & infæcunda doctorum virorum ſit, vt eruditione pares cum hęreticis poſt tot ſeculorum curricula, nondum protulerit. Etſi enim *filij huius ſeculi, prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua*, tamen in generatione non ſua, ſed noſtra nõ item. Sed quia in ſingulis prolixos eſſe non licet, ad alia pergo.

Epiſt. ad Fuſiam.

Luc. 16.

Hęreticorũ conſortia fugienda.

Supereſt poſtremò, de ipſo hęreticorũ conſortio breuiter aliquid dicere. Qua in re vt media via incedas, nec externis periculis non neceſſarijs te exponas, nec fidem etiam tuam periclitari ſinas, hic modus tenendus eſt, vt in perturbato quidem Eccleſiæ ſtatu, qualem nunc fingimus, dominantibus ſcilicet & omnes Eccleſias occupantibus hæreticis atque ſchiſmaticis, cum promiſcua quidem & vulgari

gari ſchiſmaticorum plebe vendere, mercari, aliaque commercia & ciuiles ſocietates inire vetitum non ſit, quia neceſſarium eſt. Quemadmodum enim, *cum ebrioſis, maledicis & rapacibus* iam paſſim commiſcemur, & *cibum* cum eis *ſumimus*, etiam ſi fratres ſint, & vnius Eccleſiæ Catholicæ nobiſcum membra, ſecus quàm Apoſtolus præcepiſſe videtur; quia huiuſmodi hominibus iam mundus plenus eſt (Vnde hac de re Auguſtinus docet, *quod tunc ſanè Apoſtoli præceptum nullo modo negligendum eſt, quando ſine periculo violandæ pacis fieri poteſt*) & qui horum commercia vitare vult, de hoc mundo exeat oportet; ita cum ſchiſmaticis vulgaribus, in ſimili ſchiſmaticorum graſſante turba, niſi de hoc mundo exire velimus, commercia iſta neceſſaria ineunda ſunt. Alioqui etiam vulgariũ hæreticorum conſortia fugienda eſſe, quia tales etiam in moribus deprauantur, traditi in reprobum ſenſum, &c. Docet D. Baſilius. At verò quomodocunque graſſante & dominante hæreſi, cum ipſis ſchiſmatum Magiſtris, Authoribus, Ducibus, aut quomodocumque miniſtris, atque fautoribus, nullâ ratione homini Catholico communicandum eſt, ne quidem in vita hac communi & ſocietate ciuili. Nam de huiuſmodi dixit Apoſtolus Ioannes. *Ne Aue ei dixeritis: Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert* (vide, de afferentibus & docentibus nouam doctrinam, loquitur) *nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui*

1. Cor. 5.

Contra Parmen. lib. 3. cap. 2.

In regulis breu. ad Interrogat 10

Epiſt. 2.

G enim

enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Ecce, prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini. Hæc ille. De huiuſmodi dixit Apoſtolus
Rom. 16. Paulus, *obſeruate eos qui diſſentiones faciunt præter doctrinam quam accepiſtis, & declinate ab illis.* Declinari, deuitari prorſus iubet Authores ipſos ſectarum qui faciunt diſſenſiones. Huiuſmodi denique ſunt lupi illi, de quibus cauẽdis, vniuerſis fidelibus dedit Saluator mandatum, di-
Matth. 7. cens diſcipulis ſuis ac turbis: *Attendite vobis à falſis Prophetis qui veniũt ad vos in veſtimentis ouium,*
Actor. 20. ſub prætextu miniſtrorum verbi Dei, *intus autem ſunt lupi rapaces, vt abducant diſcipulos poſt ſe.*
Ioan. 10. Huiuſmodi ſunt *latrones* illi, *qui non veniunt niſi vt mactent, & perdant*, quos fugiendos docet Saluator, id eſt, vt ad illos nullo modo accedas. Quem verò hæc Saluatoris & Apoſtolica, luculenta præcepta non mouent, vt planè ſibi perſuadeat, à mendacium Magiſtrorum & Pſeudoprophetarum conſortio abſtinendum eſſe, non ille meis verbis, aut rationibus quibuſcunque, quę adhuc afferri poſſent, quicquã mouebitur.

Epilogus. Qui autem vlla ſe vel ratione, vel authoritate moueri ſinet, is ſanè his rectè perpenſis, & intellectis quæ iam diximus, id ſibi in poſterùm perſuaſiſſimum habebit, boni & Catholici viri officium hoc eſſe, graſſante ſemel
1. & obtinente hæreſi; primùm quidem vni & ſoli Catholicæ Eccleſiæ animo & voluntate
2. firmiſſimè & conſtantiſſimè adhærere: deinde

fidem

ſidem, quam animo tenet, eatenus ſanè publicè profiteri, ac præ ſe ferre, vt nec à ſchiſmaticis Sacramenta percipiat; nec vna cum ipſis 3.
oret; nec eorum conciones vlla ratione adeat; 4.
nec huiuſmodi hominum libros, niſi accepta 5.
poteſtate legat, nec denique cum ſectæ Magiſtris vllam vitæ ſocietatem, quantum fieri 6.
poteſt, ineat. Hæc qui præſtiterit, verè ille & re & nomine, Catholicus erit. Horum vnum qui prætermiſerit, à ſchiſmatis piaculo tutus non erit. Hæc autem ſi difficilia videntur, cogitandum eſt, pro fide qua viuimus & ſtamus, omnia etiam extrema ſubeunda eſſe, & hanc eſſe illam *pretioſam margaritam pro qua inuenta, vadit homo & vendit omnia quæ habet, & emit* eam; Matth. 13.
& hunc denique eſſe caſum (ceſſante Ethnicorum perſecutione, in quorum locum hæreſum Authores, ſicut in ipſarum hęreſum locum idola ſucceſſerunt) in quo illud Saluatoris locum habet. *Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum, & matrem & vxorem, & filios, & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14.
Hæc enim omnia cum ipſa patria, beneficijs, patrimonijs bonis atque fortunis omnibus, abijcienda potius ſunt & pro ſtercore conculcanda; quàm vt propterea retinenda, inualeſcente ſemel hæreſi, vel latum vnguem à fide Catholica, quæ vnica eſt & ſimpliciſſima, auelli nos & abduci patiamur. Hîc enim illa Ieremiæ vox ſemper auribus noſtris intonare debet. *Fugite de* Ierem. 51.

medio Babylonis, vt ſaluet vnuſquiſque animam ſuam. Nolite tacere ſuper iniquitatem eius. Illud quoque ſapientis: *Qui amat periculum peribit in illo, Et,*
Eccle. 13. *qui tangit picem inquinabitur ab ea.* Poſtremò, illa Auguſtini ſaluberrima & veriſſima ſententia, ſemper in memoria habenda eſt: *Nihil ſic de-*
Tract. 27. in Ioan. *bet formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius. Si non eſt membrum eius, non vegetatur ſpiritu eius. Quiſquis autem (ait Apoſtolus) Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt Chriſtianus.* Hæc ille. Sic comparatos nos eſſe oportet chariſſimi filij, oborta ſemel hic (quod abſit) illa tempeſtate quæ vicinos vndique deuaſtauit: hac armatura præmuniri neceſſe eſt,
Epheſ. 6. *vt poſſimus reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* Quæ ſi importunius in hac lætitia veſtra imò omnium noſtra ſuggeſſi, excuſabit me iſte ſapiens, qui iubet *nos eſſe memores*
Eccle. 11. *malorum, in die bonorum.* Si malus ominator videar, excuſabit me ſanctus ille Iob, *qui in*
Iob 1. *diebus conuiuij ſanctificauit filios ſuos, offerens holocauſta per ſingulos.*

DE

DE HÆRESIS RECIDIVA IN BELGIO.

Oratio in Comitijs Doctoralibus habita Duaci 15. Octob. 1585.

AD maiorem Dei gloriam (ampliſſimi, ornatiſſimi & doctiſſimi Auditores) ad huius celeberrimi actus ornamentum, ad veſtram ædificationem aliquid hodie dicturus, diu multumque apud me cogitaui, quid Deo gratum, quid hac celebritate dignum, quid vobis vtile, dicere, tractare & explicare poſſem. Neq; enim ego nunc is ſum, qui vel curioſis auribus quicquā dare, vel ad oſtentationem aliquid dicere, vel hoc ornatiſſimo grauiſſimorum virorum conſeſſu indignum, vel ab hoc loco & tempore, addo etiam à mea profeſſione alienum aliquid agere velim. Dicam igitur, quod (niſi vehementer fallar) & ad Dei Opt. Max. gloriam, & ad hoc ſupremę laureæ decus, & ad audientium profectum, vel certè cautelam neceſſariam imprimis pertinet. Si quis ex graui & diuturno morbo magna & diligenti medicorum opera conualuiſſet, quæ illi acceptior oratio, quis ſermo vtilior, quod conſilium oportunius dari poſſet (ſi tamen ea, qua par eſt ſalutis ſuæ cura tenetur) quàm vt id audiat, quo à ſimili morbo, & ægritudine ſibi in poſterum bene caueat? Si quis ex longinqua & pericu-

periculoſa nauigatione poſt multa naufragij pericula, tempeſtates, & procellas multas, rebus omnibus ſaluis optatum portum tenuit, an ingratus ei eſſe poterit, aut non ei ſingulare beneficium contulerit, qui de eiſdem periculis ac procellis in proxima nauigatione euitandis, de locorum ſitu, de tempore nauigationis oportuno, de ventis propitijs, eum diligenter inſtruxerit? Denique ſi ex quocunque vitæ ac fortunarum diſcrimine recenter aliquis euaſerit, importunus illi amicus erit; qui qua ratione ſimile diſcrimen poſtea declinet, eum diligenter monet, hortatur, ac docet? Non opinor. Sic enim natura comparatum eſt, vt qui primum fœlicitatis partem tenere non potuit, de qua vnus Poëta dixit, *Optimum eſt aliena frui inſania*, & alius Poeta: *fœlix quem faciunt aliena pericula cautum*; ſaltem ſecundam teneat, vt vel ſuo malo edoctus, ſapiat, nec bis ad eundem lapidem impingat. Iam verò ſi illud malum, è quo iam primùm liberatur huiuſmodi eſt, vt in illud recidere, multò ſit periculoſius, multoque ad curandum difficilius, quàm cùm primùm id paſſus eſt; non ſolùm non ingrata ſed & valde oportuna; nec tantum vtilis, ſed & neceſſaria hæc erit admonitio, inſtitutio, doctrina. Ac poſtremò, ſi hoc malum etiam cum certa animæ ac ſalutis æternæ iactura, cum luculenta diuinę maieſtatis iniuria coniunctum eſt, quis non videt talem admonitionem etiam ſollicitè expetendam,

dam, vel forte quouis etiam pretio emendam, non ſolùm libenter admittendam & audiendam eſſe? Atqui ab huiuſmodi malo iam dudum liberati ſumus, quotquot hic adſumus omnes. Ab huiuſmodi non vitæ tantùm ac fortunarum, ſed & ſalutis æternę diſcrimine grauiſſimo, olim florentiſſimum ſed nuper afflictiſſimum hoc Belgium, admirabili & incomparabali Dei beneficio, liberatum eſt. Intelligitis, opinor, quod malum dicam, quam peſtem intelligam. Hoc malum, hæc peſtis hęreſis eſt: & quidem omnium quę vnquam fuerunt, ſiue ſectarum multitudinem, ſiue blaſphemiarum magnitudinem, ſiue deniquè ipſorum profitentium impietatem, pertinaciã, crudelitatem ſpectes, teterrima hęreſis. Ab hac peſte plurimæ eędemque celeberrimæ Flandriæ, Brabantię, & aliarum prouinciarum vrbes liberatę ſunt, quatenus quę in illis ſola dudum dominabatur, nunc planè iaceat, nec vel verbum palam mutire audeat. Ab hac peſte liberatę ſunt etiam adiacentes nobiliſſimę & ſemper Catholicæ Arteſiæ, Hannoniæ huiuſque Tripolis ptouinciæ, quatenus prę ſentiſſimum huius contagionis periculum ab hoc tam vicino, & tam potenti malò certiſſimè imminens, à ceruicibus ſuis depulerunt. Sed quid? An ſic ab hac peſte liberatum ex longè maxima ſua parte Belgium eſt, nullum vt ſit amplius ab eius contagione periculum? vt huius redituri mali metus omnis penitus

 ſublatus

ſublatus ſit? An ſic ſtabilita & reſtaurata Catholica religio eſt, vt non ſit magis ab hęreſis recidiua quicquam metuendum? Equidem optime confido eam fore & Dei erga nos miſericordiam; & Principum ac Prælatorum Eccleſiæ curam, ac prouidentiam; & ipſius populi Belgici moderationem ac pietatem; vt nunquam amplius hoc peſtilens malum his in locis, graſſari queat. Sed fit interdum, imò nimis ſæpe accidit, vt qui ex longa ęgritudine conualuit, qui graue naufragij periculum euaſit, qui ex quocunque vitæ ac fortunarum diſcrimine ereptus eſt, is quadam oſcitantia, & præteriti quidem mali obliuione, præſentis autem boni dulcedine captus, ac delinitus, quaſique alto ſopore correptus, ita ſe negligenter gerat, vt in idem malum primo quoque tempore recidat. De hoc igitur in cauſa grauiſſima periculo, de hac hæreſis recidiua, diuino auxilio, veſtraque omnium humanitate fretus, hoc tempore ac loco, dicere inſtitui.

Enimuerò præueniendum hoc malum eſt, non exſpectandum. Nauis quum per rimulas aquam bibit, in portu non in freto, ſarcienda eſt. Mænia ciuitatis diſrupta, in pace non in bello, reficienda ſunt. Equis in ipſo curſu nemo fræna inijcit, ſed longe ante. Denique arma ante pugnam, non in ipſa pugna, præparanda ſunt. Quare Alexander Magnus inſtructa iam ad prelium acie, quum cerneret militem

militem quendam id temporis amentũ telo adaptantem, vt inutilem ab exercitu ſubmouit. Sic in pace Eccleſiæ, de bello hæreticorũ cogitandũ eſt: & qui tam fælices non fuimus, vt ab hac peſte prorſus immunes eſſemus, ſaltem ſecundum hoc obtineamus, vt ab ea ſemel liberati, ab eius recidiua ſapienter caueamus. De hac igitur hæreſis recidiua eo ordine agam, vt primùm quàm ſit res illa ex ſe & in ſuo genere periculoſa Deoque exoſa; ſecundo loco quare in hoc Belgio meritò timeri debeat; tertiò ac poſtremò, quibus medijs ac vijs caueri poſſit, breuiter explicem. Quæ tria dum pertracto, vos Auditores humaniſſimi, diligenter, quæſo, quod facitis, attendite. Partitio.

Si in corporum morbis quo quiſque morbus grauior eſt, magiſque valetudinem infeſtat, & quoque eius morbi recidiua periculoſior eſt, & difficilius curatur; multò magis in animorum morbis & corruptelis, id locum habet. Nam, vt ipſe animi morbus ſemper difficilius curatur, quam corporis ægritudo, ſic & eius recidiua. Difficilius autem animorum morbi, quàm corporum curantur, quia rarius & difficilius cognoſcuntur: quum tamen ad curam morbi nihil magis impellere ſoleat, quàm quòd ſenſum mali percipimus. Vbi enim nullus mali ſenſus eſt, nec eius remedium quæri ſolet. At animorum morbos difficilius cognoſci quàm corporum, vel ex eo manifeſtum eſt, quòd corporis morbi pul- 1. Pars. Animima-la diffici-lius curan-tur.

 ſibus

ſibus arteriarum, vultuſque pallore deprehenduntur, feruor quoque inſolitus, aut tremor, aut facilis laſſitudo, hoc ſolet arguere. Contrà animi mala nec vllis huiuſmodi ſignis ſe produnt, & preterea pleroſque ita fallunt vt etiam pro malis non habeantur; vnde fit, vt febrem quidem nemo ſanitatem dixerit; nec tabem quis appellauerit bonam corporis habitudinem; nec podagram pedum velocitatem; nec pallorem ruborem; vitijs tamen virtutum nomina ſępè imponantur: vt irę fortitudo, amori amicitia, inuidiæ ęmulatio; ſuperbię magnanimitas, auaritię frugalitas, ignauiæ cautela ac diligentia. Et hanc ſanè ob cauſam corpore ægroti medicos quàm primùm accerſunt: animo ęgri etiam oblatam medicinam, reſpuunt. Quid dico, reſpuunt? Hoſtem arbitrantur qui medelam offert.

Hęreſis difficillimè curatur.

Iam verò vt hoc in vniuerſum de omnibus animi vitijs ac malis verũ eſt, ita maximè in hæreſi, quæ ſola talis animi ægritudo eſt, vt ea qui laborat, eam agnoſcere nullo modo poſſit. Cętera enim vitia etſi interdũ pro huiuſmodi agnoſcantur, voluptate tamen ſua, peccantes trahunt; & infiniti ſunt, qui *ſcientes voluntatem Domini non faciunt eam*, & qui *videntes lucem, diligunt tamen tenebras magis quàm lucem*. At hęreſis, quæ certæ alicuius ſcientiæ opinio eſt ſingularis, & perſuaſio pertinax, cum erroris opinione, id eſt, cum morbi agnitione, conſiſtere nequit. Hinc porrò conſequitur, quòd

Iacob. 4.

Ioan. 3.

vt hęre-

vt hæreſis animi morbus eſt occultiſſimus, ideoque ad curandum difficillimus, ſic etiam eius recidiua multis adhuc modis maiorem afferat curandi difficultatem. Sicut enim inter corporis morbos febris, quia acutiſſimus eſt, maximeque latè patens (omnes enim corporis partes tenet) ideò & eius recidiua longè eſt periculoſiſsima; quumque ex ipſa febri innumeri quotidie conualeſcant, ex eius recidiua pauciſſimi incolumes euadunt; ſic hęreſis, quia is animi morbus eſt vehementiſſimus, maximeque generalis (totam enim mentem occupat, quum & intellectum ſide, & voluntatem charitate, cæteriſque conſequenter virtutibus omnibus ſpoliet) eius quoque recidiua eſt omnium malorum maxima, & ad ſanitatem recuperandam, difficillima. Porro febris recidiua difficillimè curatur, non quidem propter morbi magnitudinem, ſed propter ſubiecti, debilitatem. Ex febri enim ſanatus, quia ad illam ſanationem neceſſaria erat & venę ſectio, & ſuperfluæ materię abductio, & peccantis humoris correctio, atque per fortiora remedia maturatio atque concoctio; quę quidem omnia in prima ęgritudine ſuſtinere adhuc infirmus potuit, propter corporis vires nondum exhauſtas, ſed afflictas tantùm eadē poſt morbum morbique curam, quę duo corpus variè exhauriunt, vireſque frangunt, perferre iam amplius non poteſt. Vnde fit vt in morbum relabens, nec iam per propria illa &

Hæreſis recidiua Febrili recidiuæ cōparatur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

faciliora media curari valens, vel per extraordinaria difficillimè, vel certè non omnino ſanetur. Eodē planè modo in hęreſi ſe res habet. Primus enim in hæreſim lapſus, quia necdum gratię vires in populo hęretico exhauſtę ſunt, ſed aliquę adhuc priſcæ fidei ac pietatis ſcintillæ relucent; vel per Ecclesiaſticam diſciplinam, quaſi per venæ ſectionem; vel per diuinitus inflictas pęnas, famem, peſtem, bellum, quaſi per ſuperfluæ materię abductionem; vel per ſalutarem inſtructionem atque doctrinam, quaſi per peccantis humoris, id eſt, erroris hæretici correctionem, non ita difficulter ſanari poteſt. At verò idem populus in hæreſim relapſus, nec priſtina iam remedia capit, (vt potè quę iam olim ſemel abiecit atque contempſit, & fortè exhauſtus nō habet quod ſubſtrahatur) nec noua remedia ſuſtinet, aucta iam pertinacia proprio huius morbi malo. Huc accedit (quod in febri recidiua locū non habet) ipſa ſecundi morbi magnitudo & grauitas longè alia quàm primi, propter ingentis ingratitudinis vitium, quę noua circunſtantia eſt peccatum vehementer aggrauans: & propter quam peccata ſemel dimiſſa, redire ſummi Theologi conſtanter docent. Etſi enim verum non ſit peccata ſemel dimiſſa in recidiuante ſic redire quo ad pænam, vt perinde à Deo puniantur, ac ſi nunquam per pænitentiam dimiſſa fuiſſent; tamen illud certiſſimè conſtat, ingratitudinem eius qui accepta

Ingratitudo peccati recidiuam aggrauat.

alicuius

alicuius grauioris peccati remiſſione (quod maximum Dei beneficium eſt) denuò in idem relabitur, grauiſſimam eſſe benefactoris Dei offenſam, ſuaque propria & peculiari pœna dignam. Eſt autē repetitis peccatis & ingratitudini adiunctæ ſolennis & vſitata pœna, deſeri à Deo, vel (vt loquitur acrius ſcriptura) *tradi in reprobum ſenſum*, id eſt, poſt recidiuam non reſipiſcere. Hanc ob cauſam, ſanato à ſe paralytico Chriſtus in Euangelio grauiſſimè interminatur, dicens. *Ecce ſanus factus es. Iam noli amplius peccare, ne tibi deterius aliquid contingat.* Appoſita quoque parabola rem illuſtrat, docens ſpiritum immundum redire interdum in domum vnde exierat: & tunc, *poſteriora hominis illius fieri peiora prioribus*. Quod in vniuerſum de omnibus, qui *accepto ſancto mandato retrorſum conuertuntur, & inquinamentis ſeculi rurſus implicati ſuperantur*, pronuntiat Apoſtolus Petrus. Paulus quoque vt à peccati recidiua fideles potentiſſimè abſterreret; *impoſſibile eſſe* ait, *eos qui ſemel illuminati ſunt, rurſumque prolapſi, ad pœnitentiam reuocari.* Quę omnia ſi de quocūque flagitij ac facinoris genere vera ſunt, de ipſa hęreſi, eiuſq; recidiua veriſſima eſſe, dubitari non debet. Cuius rei argumēto eſt, quod alijs peccatis atque ſceleribus etiā aliquoties repetitis, peracta pœnitētia Eccleſia ignoſcit. At poſt ſęmel abiuratā hęreſim, in hęreſim relapſo iterumque abiuranti, pœnam mortis Eccleſia non remittit. Quo grauiſſimo ſuo iudicio

Rom. 1.

Peccati recidiua.

Ioan. 5.

Luc. 11.

2. Petr. 2.

Hebr. 6.

iudicio docere nos voluit,quàm longè ſuperet & ſceleris magnitudine, & pœnæ grauitate cæterorum omnium criminũ relapſus, vnius hęreſis recidiua. Docere etiam nos voluit ipſa Dei terribilia iudicia (quorum haud dubiè certiſſima figura Eccleſiaſticum iudicium eſt) quanta & qualia ſint circa hæreſis recidiuam. Nimirum & homines priuatos, & totas prouincias ac regiones frequenter Deus . Opt. Max. à primo in hæreſim lapſu reuocauit; ſed in hæreſim denuò relapſos in æternum plærunque deſeruit: imò ab hęreſi in pagniſmum interdum recidere,paſſus eſt. Et priuatorum quidem ac particularium hominum exempla domeſtica tam in Anglia multa, quàm in hoc Belgio aliqua in medium proferri poſſent, niſi illud odioſum videretur,& à re propoſita nonnihil alienũ, qui de generali alicuius gentis, non de priuata cuiuſuis in hęreſim recidiua,hoc iam potiſſimum loco diſputamus. Recolat tamen apud ſe vnuſquiſque,quos vel ex notitia propria , vel ex auditu non incerto in hæreſim aliquando , vel lapſos , vel relapſos cognouit , & veriſsimum eſſe quod diximus, facilè conperiet.

Regionum & regnorum exempla aliquot proferam, quæ nobis omnibus documẽto eſſe debent, *quàm ſit horrendum incidere in manus Dei viuentis*, quod propriè de relapſis, ſiue *de voluntariè peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis*,
Hebr.10. dixit Apoſtolus. Quo loco nunc ſint florentiſſimi

tiſſimi quondã totius Orientis & Africæ populi, & quàm miſerã ſeruitutem ſeruiant tam corporis quàm animæ, ſub deteſtandi Mahometis iugo, qui olim in Chriſtianę & Catholicæ religionis profeſſione quaſi primas partes obtinebant, vndeque ſplendidiſſima Eccleſię lumina per multos annorum curriculos toti orbi illuxerunt, ſatis omnibus compertum & exploratum eſt. At ſola hęreſis recidiua latiſſimos illos tractus Sarrecenis primùm, poſteaque Turcis (horum principio ſocijs, ſed poſtea per inteſtinam ſeditionem Dominis) ſubiecit. Africa quidem vniuerſa ſaltem cultior illa & magis habitata, vſque ad Sancti Auguſtini tempora annis amplius 400. Chriſtianam & Catholicam religionem (quam ab initio propagati Euangelij acceperant) integram & illibatam conſeruauit. Sed cùm ſub vltima eius ætate ſchiſma quoddam à Romanæ Eccleſiæ vnitate & obedientia feciſſent tempore Cœleſtini & Bonifacij 1. Romanorum Pontificũ, vt in epiſtola Decretali Bonifacij 2. ad Eulalium Alexandrinum Patriarcham manifeſtè patet, ac centum annis poſt per Eulalium Carthag. Primatem ſubmiſſione facta, rogante etiam & intercedente Iuſtino ſeniore Imperatore reconciliati fuiſſent (vt ex dicta Decretali conſtat) reſtituta eſt Africanis Eccleſijs pax & concordia Catholica, variæque Donatiſtarum, Manichæorũ, & Arrianorum hæreſes (quæ hoc interea temporis dominantibus

Africa per hæreſis recidiuam in Mahometiſmum lapſa.

Tom. 2. Conc.

in Africa Vandalis, Arrianis, & ſolam Catholicam acerbiſſimè perſequentibus mirabiliter creuerunt) huius Bonifacij 2. & ſuccedentium Romanorum Pontificum opera, maximè Gregorij magni & primi, repreſſæ & extinctę ſunt: Vandalorum quoque iugo ſtatim poſt dictam reconciliationem per Beliſarium Iuſtiniani Imperatoris Ducem fortiſſimum, excuſſo At verò vix alijs cẽntum annis pòſt ſub Heraclio & Conſtante Nepote eius Imperatoribus Monothelitis, quum & illa hæreſis in Africa graſſaretur, fieretque poſt tot illas antedictas hæreſes fæliciter eiectas, noua recidiua; à Saracenis Mahometiſtis ſubacti, in illorum quoque perfidiam tranſierunt; nec ab eo tempore, quũ mille iam fere anni effluxerint, ab illa peſte Mahometana ſe explicare potuerunt. Orientalis autem Eccleſia, ſub cuius nomine Syriam, Perſidem, Ægyptum, Aſiam minorem vniuerſam, etiam aliquam Europæ partem, Thraciam & Bulgariam comprehendimus, & Græca Eccleſia nuncupatur, non quia populi illi omnes Græcè loquantur, ſed quia lingua Doctorum per omnes illas gentes communis Græca erat, vt apud nos Occidentales Latina eſt; & quia Eccleſiæ Patriarchales, Alexandrina Ægypti, Antiochena Syrie, Hieroſolymitana Paleſtinæ, Conſtantinopolitana Thraciæ, Gręco ſermone vſæ ſunt; Deniq; quia Doctores & Patres harũ Eccleſiarum, tum ſacras ſcripturas, tum officia diuina

Regiſtr. lib. 8. epiſt. 31. & 36.

Sigibert, Pantaleon, & alij anno 650.

Græca Eccleſia cur ſic dicta.

Cręcè

Gręcè tractabant & peragebant. Hic inquam ampliſſimus totius Orientalis,& Gręcæ Eccleſię tractus,propter varios in hęreſim relapſus, ab omni tandem fide & religione Chriſtiana, excidit. Ac Syriam quidem, Perſidem, Ægyptum,ab annis 800.Mahumetani eodem fere tempore occuparunt;

Paulus Diaconus hiſtoriarum: lib. 18.

& quidem eo, quo (poſt varias Arrianorum, Neſtorianorum, & Eutychetarum hæreſes in illis locis reſtinctas atque depreſſas) adhuc de nouo Monothelitarum hęreſis graſſata fuerat,ſub Anaſtaſio Iacobita Patriarcha Antiocheno, & Cyro Monothelita Patriarcha Alexandrino. Cętera quidem Orientalis Eccleſiæ loca, ab Imperatoribus adhuc Orientalibus per Aſiam & Europam occupata, in fide Chriſti aliquot poſt ſeculis perſtiterunt;donec & illi per varia ſchiſmata laſciuientes,in idem quoque Mahometiſmi barathrum, ſublato Orientali Imperio, inciderunt.

Orientalis Eccleſiæ frequentes recidiuæ.

Cujus rei miſerabilis exitus,non alia ex cauſa, quàm ex ſola in hæreſim recidiua,contigit. Quum enim ab annis mille quidem & amplius Gręca Eccleſia magis propriè ſic dicta, quæ Conſtantinopolitano Archiepiſcopo per totam Aſiam minorem,magnamque Europæ partem Græcè loquens, ſubiecta erat, propter ſedem Imperialem eodem in loco conſtitutam vehementer ſuperbiret; & primùm quidem vt Patriarchalis ſedes eſſet, in Concilio Conſtantinopolitano 1.generali 2. obtinuiſſet;Deinde vt Alexandrinæ & Antioche-

Græcorũ 1. ſchiſma vnde ortũ.

* Act.15. tiochenæ prælata; poſt Romanam prima cenſeretur, in * Chalcedonenſi Concilio generali
*Liberatus in Breuiar. cap.18. 4. ambitioſè ſatageret; Sede tamen Apoſtolica per † Leonem Magnum alioſque eius ſucceſſores diu multumque reluctante; quod tamen tandem in Concilio generali 5. ſub Iuſtiniano Imperatore obtinuiſſe videtur; poſteaque non hoc tantum, ſed & vniuerſalis ſeu Oecumenicus Epiſcopus nuncupari (quem titulum eo maximè ſenſu, quo ambiebatur,
Regiſtri libro 3. epiſt. 36. & lib. 4 epiſt. 32. in multis ſuis Epiſtolis deteſtatur Gregorius Magnus) adeoque par Epiſcopo Romano haberi vellet; eò tandem hac ambitione peruentum eſt, vt etſi paritatem hanc prætenſam
Platina in Bonifacio 3. Phocas Imperator ſtatim poſt Gregorij mortem ſuo decreto ſuſtulerit; tandemque 200. poſt annis ſub Ioanne IX. Romano Pontifice huic liti hic finis impoſitus fuerit, vt Oecumenici quidem Patriarchæ titulum Conſtanti-
Genebrardus in notis Chron. nopolitanus, Oecumenici autem Papæ titulum ſolus Romanus Pontifex obtineret, vt deſcribit Onuphrius, tandem gliſcente ſem-
Ad vitam Bonifacij 3 per inuidia, in nouam hæreſim, contra proceſſionem Spiritus S. prolapſa, nouum ſchiſma excitauit, idque eodem planè tempore, quo
Nicolaus 1 ad Michaelē Imperat. vetus illa querela conſopita fuerat; Baſilio videlicet Imperatore regnante, ſub quo Photius intruſus Conſtantinopolis Patriarcha, eiectus eſt. Iſte enim Photius in odium Romanæ Eccleſię, (à qua per Nicolaum ſeptimum deiectus erat), & Ignatius verus Patriarcha

reſtitu-

reſtitutus, hanc hæreſim primus publico decreto ſanciuit, vt narrat Nilus auctor Græcus. Et hæc hæreſis ingentis illius ſchiſmatis, quo ab Occidentali Eccleſia Orientalis tot ſeculis ſeparata fuit, vera cauſa erat, vt in Concilio Florentino Græci affirmant. Sed quum ex hac hęreſi & conſequenti ſchiſmate ſæpius Græci Latinis conciliati fuiſſent, primùm quidem annis 60. poſt ſub Chriſtophoro Romano Pontifice (etſi vſque ad hunc Pontificem, Græcos Latinis vnitos ſemper fuiſſe, Nilus iam citatus falſò aſſerat.) Deinde trecentis annis poſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio Patriarchis Græcis, Hieroſolymitano & Conſtantinopolitano præſentibus ac dein ſeptuaginta poſt annis in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio decimo, ſtudio Michaelis Paleologi Imperatoris Græcorum (poſt cuius tamen mortem ſchiſma reſumunt, exceptis Theſſalis, Pthiotis & Pelaſgis, ipſoque Ioanne Beco Patriarcha Conſtantinopolitano viro doctiſſimo vnionem Catholicam retinentibus, vt latè deſcribit * Nicephorus Gregoras) denique alijs adhuc tot vicibus, vt tredecim ab illis factas eſſe vniones ſcribit * Trithemius, vltima tamen ac poſtrema vice in Concilio Florentino ſub Eugenio quarto, præſente tum Ioſepho Patriarcha, tum Ioanne Paleologo Imperatore Conſtantinopolitano, in maximo Gręcorum Epiſcoporum numero, reconciliati cum Latinis Gręci, & facta

Seſſ. 1.

Tom. 3. Conc.

* Hiſtor. lib 5. & 7.

* In Chronico monaſterij Hirſaugienſis.

In Decreto Eugenij 4. Catholicæ fidei profeſſione integra; non ita multò poſt domum redeuntes, & leuitate Græca, propter vnum Marcum Epheſium recidiuantes, ſub Conſtantino Paleologo ſupradicti Ioannis fratre, in manus Turcici Imperij omnes deuenerunt, & ſub Mahometis iugo in hodiernum vſque diem ab annis iam 130. duram ſeruitutem ſeruiunt. Atque hic fuit in Orientali Eccleſia fœdæ in hæreſim recidiuæ, fœdiſſimus exitus.

Sed quid opus eſt tam procul exempla petere, quum in proxima vicinia, niſi non ſurdi tantùm, ſed & cæci eſſe volumus, triſte quidẽ, ſed illuſtre admodum huius rei exemplũ, ſeſe offert. Angliæ ſchiſma. Ante annos circiter quinquaginta, in graue ſchiſma Angliæ regnum per immanem Henrici Octaui Anglorũ Regis ſæuitiam, violenter pertractum eſt. Huic ſchiſmati poſt annos decem hæreſis primũ Lutherana, dein Caluiniana ſub Edouardo Rege puero, fraude & improbitate eorum, qui ad gubernacula ſedebant, ſucceſſit. Sed vtrumque hoc malum etſi acerbiſſimum, & per illam Inſulam latiſſimè patens, Dei tamen miſericordia ſingularis, breui momento ſine vllo ciuili ſanguine, & (quod dicendum eſt) non abſque euidenti miraculo, è medio ſuſtulit. Nam vix dum ſex annis hæreſis præualuerat, quum mortuo Edouardo Rege, etſi penes Principes hęreticos contra legitimam regni hæredem apertè rebellantes, & aliam in regni ſolio de facto collo-

collocantes, vniuerſæ regni vires, theſauri, opes & munimenta bellica eſſent; tamen infra vnius menſis ſpacium vniuerſo ferè populo diuino quodam nutu à Principibus deficiente; & ad veram Regni hæredem Mariam Henrici filiam primogenitã ſponte confluente; ſine vllo certamine & ſanguine, captis rebellibus, Maria Catholica & pientiſſima Principe Regina declarata, ſimulque nullis expectatis decretis, paſſim per totam Angliam religione Catholica reſtituta, ſilentium procaci hæreſi impoſitum. fuit. Et ſic quidem primo Anglorum lapſui pepercit Deus. Cathol. religionis prima reſtitutio facilis.

At verò hac pientiſſima Regina Maria, & meliori regno digna, vix quinque poſt annis ſuperſtite, eadem Anglia ad vomitum rediens, & partim (ſed certè paucioru͂m) aperta voluntate, partim (ſed longè plurimorum) fœda ignauia in hæreſim ſecundò lapſa, iam his totis * 26. annis & amplius in ea quaſi conſeneſcit, tyrannidemque ac barbariem vix vllo ſeculo auditam, vel ſuſtinet vel exercet. Quod facilè is intelliget, qui libellum *de perſecutione Anglicana*, vel alium eruditum librum *contra perſecutores Anglos*, vel denique duo recentiſſima hæreticæ illic crudelitatis exempla latinè & gallicè typis edita, perlegerit. Nec ab illa tyrannide & barbara hereticorum crudelitate quando liberanda ſit, vel tenui adhuc coniectura conſequi licet. Nam & nuper ante duos menſes 50. preſbyteros & amplius (quos ab aliquot

Angliæ recidiua.

Nunc 38.

aliquot annis in carcere detinuerant non aliã quàm religionis ob cauſam) nauibus impoſitos, nec vllam ſuorum conſolationem abeuntes accipere permiſſos, in perpetuum exilium nudos & inopes relegarunt. Martyres videlicet faciendi (quos ſupra 40. infra annos 4. aut quinque fecerunt) vel tędio affecti, vel inuidia conſtricti, vel denique ſui quidem cacangelij graui detrimento, Catholicæ autem Religionis maximo incremento inde conſecuto, vehementer perturbati. Hæc (Auditores) exempla mouere nos debent, quàm ſit horrendum per hæreſis recidiuam incidere in manus Dei viuentis, quis exitus, quis finis, quæ cataſtrophe eorum ſit, qui in tam graui & horrendo crimine, tam petulanter & negligenter ſe gerunt.

2. Pars. Venio nunc igitur ad id quod ſecundo loco dicendum propoſui, & dico hanc hæreſis recidiuam in hoc Belgio multas ob cauſas, meritò eſſe metuendam. Et ego quidem, quoties hac de re ſeriò cogito rerumque præſentium ſtatum penitius conſidero, ad huius tremendi mali metũ, totus perhorreſco. Vtinam certè inanis iſte metus ſit, & ſcrupuloſæ mentis conceptio vana. Sed mecum, quæſo, Auditores perpendite & diligenter aduertite quæ dico. Ceſſauit iam quidem in celebribus illis Flandriæ & Brabantiæ vrbibus, Gandauo, Brugis, Ipris, Bruxellis, Antuerpia, alijſque permultis omne hæreſis exercitium publicũ. Reſtitu-

Cauſæ Recidiuæ in Belgio metuendæ.

Reſtitutus eſt ſolius Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanę Eccleſiæ cultus orthodoxus. Tota religionis facies non niſi Catholica eſt. Maximum profectò & ſempiterna memoria dignũ Dei beneficium. Sed quid? An propterea exulat hæreſis? An ideo ſopita, repreſſa, extincta eſt? An in ciuium animis atque pectoribus Catholica reuixit fides, pietas, religio? Aut ſi non reuixit pietas, impietatem exploſam putas? Cogitate primùm, attentiſque animis perpendite, totam iſtam quanta quanta eſt Religionis Catholicæ reſtaurationem externam eſſe, militarem eſſe, violentam eſſe. At nihil violentum diuturnum, niſi vel quod violenter cæpit, poſtea voluntarium fiat, vel qua diligentia vis primùm fieri cæpta eſt, eadem perpetuò inſiſtatur. Quorum prius in ſui quidem temporis hæreticis accidiſſe teſtatur Auguſt. ſed ideo quia inſtructio & admonitio neceſſaria præceſſerat, quæ hoc in loco nulla hactenus fuit; poſterius optare magis licet, quam ſperare. Ita facilè, qui aduerſo flumine lembum trahit, manum remittit; & longa ac diuturna pax belli obliuionem parit. Ab hac igitur potenti, & armata hæreticorum depreſſione, nihil adhuc tutum aut ſecurum poſſumus nobis polliceri. Sed ne iterum dormientibus nobis ſic caput ſuum attollat hæreſis, ſicut nuper ſtertentibus nobis ſic caput ſuum extulit, vt noſtrum deprimeret, pedibuſque conculcaret ſuis; me-

2. Cauſa.

Contra Petilianum lib. 2. c. 83.

ritò eſt huic Belgio formidandum.

2. Cauſa. Deinde illud iterum atque iterum cogitate, publicum tantū hæreſis exercitium ſublatū eſſe, ipſas autem hæreſes & ſectas minimè. Manent qui apud nos erant Caluiniſtæ, Martiniſtę, Anabaptiſtæ. Manent ad certos annos & ita manent, vt in illa hęreſis ſuę poſſeſſione nemo eos turbare debeat. Mutata eſt eorum non mens, ſed fortuna. Quam eſt igitur in tanta ſerpentum multitudine nobis comixta, cantè ambulandū, vigilanter attendendum, & de huius mali recidiua ſæpè & identidem metuendum? Verè enim ſerpentes ſunt hęretici, & magni illius ſerpentis filij, qui primum noſtrū parentem in paradiſo perdidit, vt deſcribit author operis imperfecti in Matth. Homil. 45. apud Chryſoſt. *Super ventrem repunt, quia quicquid faciunt propter ventrem faciunt, & propter vanam gloriam pectoris ſui terram mandutant, quia neminem lucrantur, niſi illos, qui in terra ſunt, id eſt, homines carnales.* Hæc ille. Porrò hæreticis ſic inter nos manentibus, de illorum ſanè cōuerſione parua, aut nulla ſpes eſt, (quomodo enim hanc ſperare audeas, quum doceri, vel moneri nequeant, niſi ipſi velint, id eſt, niſi ſponte reſipiſcant? quod in omni hæreſi, maximè in tali, tam blanda, tam carnali, tam ſuperba, tam pertinaci, rariſſimum eſſe longa experientia docuit) de noſtrorū autem corruptione meri- 2. Timo. 2. tò magna dubitatio eſt. *Sermo enim eorum vt cancer ſerpit.* Sic igitur cogitate obductum quidé, & alli-

& alligatam eſſe hoc hæreſis vulnus, ita vt ſanies non defluat, nec apertam amplius nauſeam moueat, minimè autem ſanatum eſſe; nec è medio noſtri ſublatum hoc peſtilens malum, ſed quaſi obſcurius in angulo collocatum; nec denique omne plane ſilentium huic procaci meretrici impoſitum, ſed id tantum effectum, vt blandius & cautius loquatur; id eſt, vt facilius ac mollius decipiat, ad quorum aures clanculum irrepere poteſt. Hæreſis in Belgio non ſanata ſed obducta.

Porrò & illud expendite, quod huic ferè Belgio proprium eſt, perpetuam cum hæreticis conuerſationem his in locis multò eſſe periculoſiorem, propter propria huius generis commercia, & aſſiduas negociationes. Hanc cauſam qui exiguam putat, meminerit negotiatores & mercatores Anglos, Germanos, Gallos, hęreſum quæ ſic in Belgio præualuerunt, pręcipuos fuiſſe authores, inſtigatores, procuratores. Quemadmodum enim fieri ſolet, vt nimia eloquētiæ voluptate captus, dum Oratorem bonum ſed hominem malum, & malæ alicuius cauſæ patronum diſſerentem audit; vnà cum verbis rem ipſam quoque imbibat; nec elocutionis tantùm, ſed & iudicij atque opinionis imitator exiſtat (vnde multi nimis auidè Ciceronem & Platonem lectitantes, Ciceroniani & Platonici magis, quàm Chriſtiani facti ſunt) conſimilem planè in modum quamplurimi in Belgio nimia quadā lucri cupiditate ducti, per quos ſe rem facere, 3. Cauſa. Mercatores hęreſũ in Belgio procuratores.

& ex quorum commercio lucrum ſe bonum adportare viderunt, ab illis quoque in cauſa religionis ſeduci ſe paſſi ſunt. Vt enim qui beneuolentia & honeſtate ducuntur, amicorum mores facile induunt; ſic qui in omnibus quod vtile & compendioſum eſt, conſectantur, illos facilè imitantur, quorum ſibi conſortia atque commercia vtilia, & compendioſa eſſe perſpiciunt. Hac igitur eadem cum hęreticis perpetua negotiatione, hoc aſſiduo commercio permanente, vnde hęreſis primum in Belgium inuecta eſt, eiuſdem certè recidiuam, cur non rectiſſimè ſuſpicari debemus?

Sed fuerint hę cauſæ, quas hactenus diximus leues, & meticuloſi cordis ſuſpiciones inanes. Vnum adhuc eſt huius recidiuæ incitamentum, ipſiuſque in Belgio hęreſis fomentum perpetuum, tantum & tale, vt eo ſtante, qui nihil in Belgio ab hæreſi metuendum putat, imò pręualiturę adhuc hęreſis certiſſimum periculum qui non videt, is mihi in media luce palpare, vel vt lethargicus quiſpiam omni ſenſu & vitę actione, carere videatur. Quis enim non videt Angliam vicinam Inſulam potentem, opimam, florentem, in qua ſola dominatur hęreſis, & quidem impotenter ac furioſè, hęreticorum & improborum hominum in Belgio non ſolum perpetuum fore receptaculum, vt propterea de vera cum Deo & Rege reconciliatione minus curent (quum in omnem euentum habeant quò ſe commodiſſimè

4. Cauſa vicina Anglia hæretica.

diſſimè

diſſimè recipiant) ſed præterea ad res nouas attentandas, & ad hęreſes (vbi oportunum fuerit) reſtaurandas, prę́ſentiſſimum ſemper illis fore adiumentum, atque adeò incitamentum? Iſtud verò; hunc, inquam vicinæ Angliæ ſtatum, illud eius, quam iam diximus recidiuę exemplum; hoc tam prope nos ſeditioſæ & irrequietæ hæreſis dominium; nihil ad Belgij ſtatum, nihil ad hæreſis in eo recidiuam facere, tam ſtupidus quiſquam eſt, vt exiſtimet? Et quis dubitat, quin illud vicinum malum huius noſtri mali certiſſima cauſa fuerit? Manente porrò cauſa, effectum ſuſpicari abſurdum erit? imo non ſuſpicari, quomodo non erit abſurdiſſimum? An non licebit ad Poëtæ imitationem exclamare? *Anglia væ nimium miſeris vicina Brabantis*: Et iterum, *Flandria væ nimium miſeris vicina Britannis.*

Sed agam hac in re preſſius & ſolidius. 5. Cauſa.
Spiritus Sancti per Apoſtolum vox eſt de rebus veteris populi. *Hæc omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem propter correptionem noſtram.* 1. Cor. 10.
Legimus verò in veteri hiſtoria poſtquam Vnius illius populi facta diuiſio eſſet, vt altera pars Iſrael, quæ decem tribus continebat, altera Iuda vocaretur, Regnumque 3. Reg. 12.
iam eſſet planè diuerſum atque diſtinctum, vicinum tamē & potens vtrumque; primum propter frequentes idololatrias & diuini numinis offenſiones, veriquc ac legitimi cultus deſertiones (quæ hæreſum noſtrarum veriſ-

ſimi typi erant) abductas fuiſſe illas decem
4. Reg. 17. tribus in Aſſyriam, in ciuitates Medorum, totumque illud Regnum Iſrael, ſiue Samariæ, penitus diſſipatum fuiſſe. Nonne autem par erat, vt huius exemplo Regnum Iudæ caueret, ſicque legem cultumque à Deo præſcripta cuſtodiret, ne ſimili quoque caſu periret? Planè ęquiſſimum id erat, & vel mediocriter pios, huiuſmodi tam vicinum & ante oculos exemplum vehementer commouere, & contra ſimile diſcrimen ſufficienter armare, & præmunire debuerat. At verò quæ illius populi vel craſſa ignorantia, vel ſupina negligentia, vel ſtupida obliuio, vel arrogans præſumptio, vel denique petulantia & improbitas fuit; ſic etiam & ille Dei iracundiam prouocauit, vt cuius facta imitaretur, exitum quoque perſentiſceret. Hanc eius abſurdam impietatem (quum iam in illam tenderet, curſuque præcipiti ferretur) iterum atque iterum Prophetæ taxarunt; &, vt alterius regni exemplo ſaperent, ſæpe, & identidem, ſed incaſſum monuerunt. Oſeas ſub Ezechia Rege, qui Iudæ captiuitatem non adeò multum præceſſit, ſic clamat.
Oſeæ 4. *Populus non intelligens vapulabit. Si fornicaris tu Iſrael, ſaltem non delinquat Iuda.* Ieremias verò imminente iam hac ſecunda captiuitate, plurimis & acerrimis verbis Iudam hortatur, vt ab alterius populi exemplo, ſibi proſpiceret.
Ierem. 3. *Dixit Dominus ad me in diebus Ioſiæ Regis*

(poſt

(poſt cuius mortem ſtatim captiuitas Babylonica cæpta eſt.) *Nunquid vidiſti quæ fecerit aduerſatrix Iſrael? ſub omni ligno frondoſo fornicata eſt, &c. Et vidit præuaricatrix ſoror eius Iuda, quia pro eo quod mœchata eſt auerſatrix Iſrael, dimiſiſſem eam, & dediſſem ei libellum repudij; & non timuit præuaricatrix ſoror eius Iuda: ſed abijt & fornicata eſt etiam ipſa, & facilitate fornicationis ſuæ contaminauit terram, & mœchata eſt cum lapide & ligno.* Cum iam autem in captiuitate poſita eſſet præuaricatrix Iuda, hanc, vt dixi, abſurdam imò abſurdiſſimam impietatem, Ezechiel Propheta multis verbis illi populo exprobrat, quaſique inſultat, ſub figura duarum ſororum Oollæ & Oolibæ, quas Samariam & Ieruſalem interpretatur. Deſcribens enim primæ ſororis Oollæ grauiſſimas à Deo inflictas pœnas, addit. *Quod vt vidit ſoror eius Ooliba, pluſquam illa inſaniuit libidine, & fornicationem ſuam ſuper fornicationem ſororis ſuæ præbuit impudenter.* Vnde infert. *Propterea Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ſuſcitabo aduerſus te omnes amatores tuos, de quibus ſatiata eſt anima tua.* Et paulo poſt. *In via ſororis tuæ ambulaſti: & dabo calicẽ eius in manu tua. Hæc dicit Dominus Deus. Calicem ſororis tuæ bibes profundum & latum: eris in deriſum & in ſubſannationem, quæ eſt capaciſſima. Ebrietate & dolore repleberis, calice mœroris & triſtitiæ, calice ſororis tuæ Samariæ, & bibes illum, & epotabis vſque ad feces, & fragmenta eius deuorabis: quia ego locutus ſum, ait Dominus Deus.* Videtis (Auditores) diuini

Ezech. 23.

diuini ſpiritus indignationem verbis vehementiſſimis & ſignificantiſſimis, expreſſamq́; eum ſanè ob [...]nem, vt oſtendat huius generis peccatum, non ſolum impietate, ſed & abſurditate eſſe maximum: hoc inquam peccatum, quo alieno malo & exemplo, ſapere nolumus:

Rom. 2. hoc peccatum, quo *ſecundum duritiam & impœnitens cor noſtrum, diuitias bonitatis & patientiæ, & longanimitatis Dei* (quã alios flagellans, nobiſq; interim parcens oſtendit) *contemnimus & theſaurizamus nobis irã in die iræ.* Si enim hęc omnia *in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem propter correptionem noſtram,* dubitare non debemus, & Afros, & Græcos & Anglos, quos hæreſis recidiua ſic perdidit, ſororé noſtram Oollam eſſe:

Anglia & Belgium Oolla & Ooliba. maximè vicinum Angliæ Regnũ, quod huic Belgio, totiq; familię Burgundicæ ab aliquot iam ſæculis, non ſolum negotiatione mutua, ſed & fœdere perpetuo, arctaq; amicitia morumque ac vitæ, maxime religionis ſimilitudine, non minus coniunctum ſemper fuit, quàm Samaria Ieruſalem, vel Regnum Iſrael Regno Iudæ. Caueat igitur Ooliba, caueat Belgium, ne facilitate fornicationis ſuæ; ne de hæreſis recidiua nullam curam gerens; nec eius extinctionem omnibus modis procurãs; denique ne ambulans in vijs ſororis ſuę, *calicem eius bibat; latum & profundum, & epotet vſque ad feces, & fragmenta eius deuoret,* id eſt, exquiſitiſſimas repetitæ hęreſis pęnas, luat. Caueat denique, ne quod de veteri Ooliba dictũ eſt,

de hac quoque dicatur. *At illi ſubſannauerunt nuncios Dei, & paruipendebant ſermones eius, illudebantque Prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populũ eius, & nulla eſſet curatio.* Quod ne fiat, & vt tam ingens ac triſte malum a florentiſſimi Belgij finibus quàm longiſſimè arceatur, de vijs nunc illis ac medijs, quibus hæc hæreſis recidiua caueri poſſit ac debeat (quod tertio loco dicendũ propoſuimus) breuiter aliquid donante Deo, ſuggeremus. 2.Paralipo. cap. vltimo

Ad hęreſis recidiuam efficaciter cauendam, & certiſſimè auertendam, multa media à pijs ac prudentibus viris, ſi in eam rem curam & cogitationes ſuas conuertere velint, facilè excogitari poſſunt. Mihi hac de re obiter his diebus cogitanti, quædam occurrunt, partim politica, partim religioſa media. Nam tyrannica illa & barbara media, quibus Caluiniſtæ Proceres in Anglia abutuntur, vt ſolam Catholicam religionem (alias enim ſectas tolerant) de tota illa Inſula violenter exturbent, ne quidem contra pertinatiſſimos hæreticos, ſalua publica honeſtate, vſurpati poſſunt. Itaque illa in hunc locum ac numerum venire nolim: ſic omnem & modum excedunt, & iuſtitiam violát, & ipſam ſocietatem humanam (quam humanitatem dicimus) penitus exuerunt. Politica media nec iniuſta, nec immoderata hæc eſſe videntur. Hæreticos in Belgio conſiſtentes ad nullos publicos honores euehere; nullum illis Magiſtratũ, Reipubl. curam 3. Pars. Recidiuæ cauendæ media politica. 1.

nullam

2. nullam committere; ſed neque arctas amicitias cum illis exercere; quum iuxta Euangelij ſententiam, quia *Eccleſiam non audiunt*, imò Eccleſiam odio habent, ignominia, contumelia, iniuria quacunque poſſunt, afficiunt; *prò ethnicis ac publicanis habendi ſunt*: ab eorũ menſis,
3. & colloquijs & non neceſſaria conuerſatione,
4. prorſus abſtinere; carnem & ſanguinem ſpiritui poſtponere, id eſt, religionis Catholicæ maiorem curam habere, quàm amicorum & cognatorum. Quos dum in ciuitates temerè recipimus, ipſas ciuitates ſæpenumero perdimus: & illis bene conſultum dum volumus, nos & fratres noſtros in certiſſimum diſcrimen adducimus. Non eſt enim, non eſt hæc Christiana charitas, ſed humana quędam beneuolentia, & magna inconſiderantia. Imò impietas eſt, cognatum vel amicum Reipub. ſaluti anteponere; & ſuæ naturæ facilitati ſeu ignauię potius magis indulgere, quam quid ex re & bono Reipub. ſit prudenter proſpicere.
5. Denique nulla ratione connubia cum illis & matrimonia inire.

De quo vno medio, quia vt politicum eſt, quatenus ciuilis contractus & officium naturæ eſt; ſic religioſum eſt, quatenus Sacramentum eſt, pauca hoc loco dicam. Nam de cæteris medijs politię & Reipub. adminiſtratoribus, diſpiciendum relinquo. In veteri lege populo Iudaico verum Deum colenti, cum gentibus idolatris matrimonia iungere grauiter

Matrimonia cum hæreticis non ineunda.

ter interdictum fuit. *Non inibis cum eis fædus, neque ſociabis cum eis connubia : filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam eius accipies filio tuo.* Et quare iſtud? *Quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me, ſed magis vt ſeruiat dijs alienis.* Hæc illa Dei altiſſimi lex. Sic Salomonem ſapientiſſimum mulieres alienigenæ, quas in vxores duxerat, à Deo ad idola traduxerunt. Sic Achab Regem impia Ieſabel, alioſque tam Iſrael quàm Iudę Reges, vt ſingulariter de Ioram filio Ioſaphat notat ſcriptura, vxores gentiles ad idololatriam pellexerunt. Hac de cauſa (quod nobile & illuſtre exemplum nobis eſſe debet) quum duæ tribus ex captiuitate Babylonica Hieroſolymam redirent, in ipſo ſtatim reformationis & Moſaicæ legis iam citatæ reſtaurationis initio, alienigenas vxores quas in captiuitate duxerant, omnes & nobiles & ignobiles hortante Eſdra, & propter verba legis iam citatę, penitus repudiarunt & abiecerunt. Et audebit Chriſtianus, vxorem alienigenam, hoc eſt, hæreticam ducere, quum Iudæus iam ductam repudiat? Quid? quod ante legem Moyſis hác ipſam ob cauſam Abraham ſeruum ſiue Oeconomum adiurauit, *ne ex filiabus Chanaan filio ſuo Iſaac vxorem acciperet*, & pia Rebecca *ſe viuere poſſe negauit, ſi dilectum ſuum filium ex filiabus Heth vxorem accipere, cerneret?* Quod quidem ſancti Patriarchæ Abrahæ factum ampliſſimis verbis commendat, & diligenter exponit Sanctus Ambroſius. *Cum ſancto*, inquit,

Deuter. 7.
3. Reg. 11.
3. Reg. 16.
4. Reg. 8.
1. Eſdræ. 9.
Gen. 24.
Gen. 27.
De Abrahã lib. 1. cap. 9

ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. Si hoc in alijs, quantò magis in coniugio, vbi vna caro & vnus ſpiritus eſt? Quomodò autem poteſt congruere charitas, vbi diſcrepat fides? Quomodo coniunctis precibus obſecrabitur Deus? Quomodo prolis fæcunditatem à Deo petent, qui diſpares fide ſunt? Hæc ille, & multa ibidem alia. Sanctus Auguſtinus acutè probat inter fidelem & infidelem, & conſequenter inter Catholicum & hęreticū, nullam veri nominis amicitiam cōſtare, poſſe. *Cùm enim* (inquit) *amicitia à Cicerone definiatur, rerum diuinarum atque humanarum cum beneuolentia & charitate conſenſio, primùm rerum hic diuinarum conſenſionem nullam eſſe ex ſe liquidò patet: Vnde ex maxima definitionis ſuæ parte hæc amicitia claudicat. Deinde, nec de rebus humanis inter eos vlla conſenſio eſt, qui eas rerum diuinarum cognitione non penſant, ſed plus eis tribuunt, quàm modus earum iuſtiſſimus poſtulat. Neceſſe enim eſt vt humana aliter æſtimet quàm oportet, qui diuina contemnit: nec hominem rectè diligere poteſt, quiſquis eum non diligit, qui hominem fecit.* Hæc ille.

Diſparis matrimonij incommoda.

Epiſt. 155.

Sed ad amorem coniugalem quod attinet, quomodo ſeruabit fidem thori, qui non ſeruauit fidem Eccleſiæ? An coniugalis thori arctior eſt obligatio, quàm fidei ab Eccleſia traditæ & acceptę? Scilicet ijs qui carnem ſpiritui præponunt. Denique quæcunque antiquiſſimus Tertullianus contra Ethnici cōiugium ad vxorem ſcribens grauiter & copioſe diſputat, eadem omnia in hæreticorum con-

iugio

fugio locum habent. Nam & in iſtis ſicut in illis alijs, *ſi ſtatio facienda eſt, maritus de die condicat ad balneas: ſi ieiunia obſeruanda ſunt, maritus eodem die conuiuium volet inſtruere: ſi procedendum ad ſupplicationes publicas, aut ad aliqua charitatis officia, nunquam occupatior familia fuerit.* Denique & hic non ſecus quàm ibi, *Catholicæ conſortis muta erit benedictio, furtiua ſignatio, ſacrificia cum ſcrupulo.* Non minus enim hæretici hodie, quàm ethnici olim ſtationes fugiunt, ieiunia non ſeruant, ad ſupplicationes non prodeunt, a ſigno crucis abhorrent, benedictiones irrident, ſacrificia damnant. Lib. ·. ad vxorem.

Deinde quomodo vel vxor Catholica viro hęretico coniuncta, libera ſuæ religionis profeſſione gaudere, vel vir Catholicus vxorem hæreticam habens, liberos ſuos Catholicè educare poterit? An non meritò timendũ erit ne ſicut quum Iudæi vxores Azotidas haberent, *eorum liberi loquebantur Azoticè & neſciebant loqui Iudaicè.* ſic patris Catholici, ſed matris hæreticę liberi loquãtur hęreticè & neſciant loqui Catholicè? Et quę erit hic liberorũ miſeria, quum ad Miſſam Catholicã Pater, ad cœnam Caluinicam mater, vel contrà appellat, inuitat, trahit? Ob has igitur aliaſque cauſas grauiſſimas, quas ex toto coniugalis thori conuictu & neceſſitudine arctiſſima varias adhuc colligere licet, tum Sancti Patres hęc diſparia coniugia vehemẽter improbant, propter illud Apoſtoli, *cui vult nubat, tantũ in Domino,* vt [a] Tertullia- Eſdræ lib. 2 cap. 13. 1 Cor. 7. a. Lib. 2 ad vxorem.

 tullia-

b. Libro 3. cap 65. c. Libro 1. cap 67 d Cañ. 14.

tullianus loco citato,[b] Cyprianus ad Quirinũ & Sermo.5.de lapſis. [c] Hieronymus aduerſus Iouinianũ, Ambroſius, & alij Latini ad dictũ Apoſtoli locũ,tum veteres Epiſcopi in [d] Concilio Agathenſi, & poſtea in Cõcilio generali Chalcedonenſi,hęreticorum coniugia prohibuerunt. Innocentius autẽ Papa 4.mulieribus cum hęreticis ſcienter contrahentibus hanc pœnam infligit, vt dotem amittãt fiſco publico applicandam,vt euidenter colligere licet ex eius reſpõſo cap. *Decreuit*.Etſi ergo hæc diſparia coniugia nulla nunc lex vel diuina vel Eccleſiaſtica ſic damnat,vel ſic contrahenda impedit, vt dirimat contracta:tamen ita contrahentes quaſi in bonos mores & publicam honeſtatem,&(quod caput eſt) in ſanctę religionis conſeruationem grauiter peccantes; imò cum eius contaminandę certo & euidenti periculo contrahentes, grauibus pœnis meritò punire; & ne ſic contrahant ſub certa & graui mulcta interdicere, vtriuſque fori & iuris adminiſtratores legitimè poſſunt: & quidẽ in tali articulo vt id facerent; ſummopere à bonis omnibus optandum & ſatagendum eſſet.

Sext. decretal. lib. 5. cap 14.

Sed ad alia pia,religioſa & Chriſtianis viris propria media,veniamus. Illa verò dicam quæ quia in noſtra Anglia defuerunt, nec poſt reſtitutam Catholicę religionis liberam profeſſionem adhibita ſunt, citò poſt in recidiuam lapſi ſumus, eamque vt omnes norunt multis modis acerbiſſimam. Illa autem ideò potiſſimum

Recidiuæ cauendæ media religioſa.

mum commemorabo, vt ſi vos Belgæ ab ipſa hæreſi Angliæ exemplo cauere non potuiſtis: ſaltem ab hęreſis recidiua Angliæ exemplo caueatis. Primum cauendę & auertendę recidiuæ medium eſt, vt pręteritum crimē quo in hæreſim lapſi ſumus, aut ſub hæreticorum iugum nos turpiter mitti noſtra ignauia paſſi ſumus, humiliter coram Deo & hominibus oppreſſę ciuitates agnoſcant; noſtrorumque prius delictum fateamur omnes, & aliquam eius nomine pęnitentiam agamus. Quū enim *primus ad indulgentiam gradus ſit agnoſcere delictum*, vt grauiter ſcribit Cyprianus, fruſtra indulgentia ſperatur, vbi necdum delictum agnoſcitur. At, inquis, iam hoc Belgij delictum, ſi quod erat, Deus indulſit; reſtituta, vt vides religione Catholica. Sed vide ne te egregiè fallas, quiſquis es qui hoc opinaris. Equidem & idem ſentirem, ſi Catholicorum virtute, precibus, pietate, reformatione pręuia, hæc reſtitutio facta fuiſſet: ſi etiam hæc cauſa hęreſis, cum aperta in Regem optimum rebellione coniuncta non fuiſſet. Nunc autem quum regijs armis res hęc tota confecta ſit, ego certè cogitare ſoleo propter optimum Regem, cui virtute, prudentia, potentia parem, aliquot ſeculis orbis Chriſtianus non vidit, hoc à Deo beneficium promanaſſe, primùm ne ſumma cum iniuria Rex ille optimus & *Philippus iuſtus* meritò à ſuis cognominatus, dominijs ſuis hęreditarijs excideret: Deinde, *vt eſſet pax in die-*

1. Medium

Epiſt. 3. lib. 1.

Philippi Regis Hiſpaniarū iuſta laus.

4. Reg. 22. *bus eius, nec videret mala populi ſui,* vt de Ioſia S. Rege ſcript. cõmemorat. Proximũ mediũ eſt, vt agnita culpa, eiuſque venia pijs apud Deũ precibus impetrata, de reccenti beneficio, de ſublato hæreſis exercitio atque Dominio (beneficio longè maximo) debitas Deo & Regi optimo gratias agamus: Dei quidem benignitati totius vitæ ſanctum obſequiũ offeramus, pro Rege autem aſſidua vota fundamus. *Ceſſat enim diuinæ gratiæ ad nos decurſus, vbi non eſt reciprocus ex parte noſtra gratiarum recurſus: ſicut flumina in mare reuertuntur omnia, vnde primum fluxuerunt, vt iterum fluant.* Alterum medium eſt, vt ciuilis quidem Magiſtratus iuſtitiam diligenter adminiſtret, in Clero autem vniuerſo Eccleſiaſtica diſciplina vigeat; fiat morum reformatio, tollatur variorum criminum publica infamia qua grauiter laborat; tollatur denique (quod vel vnica, vel certè primaria graſſantis hęreſis cauſa eſt) peccatum; Propter *peccatum enim datũ eſt Antichriſto robur contra iuge ſacrificium. Non enim error peccatum, ſed peccatum errorem gignit*, dixit eleganter author operis imperfecti in Mattheum apud Chryſoſtomum. *Nec ex alijs hominibus fiunt hæretici, quàm ex illis, qui etiam ſi in Eccleſia permanſiſſent, tamen* propter vitę turpitudinem *nihilominus perijſſent,* ait grauiſſimè Auguſtinus. *Nemo æſtimet bonos poſſe de Eccleſia recedere,* ait B. Cyprianus. *Triticum non rapit ventus, arborem ſolida radice fundatam procella non ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactãtur, inualidæ arbores turbinis incurſione*

Margin notes: 2. Mędium; Bernardus ſerm. 1. in cap. ieiunij.; 3. Medium; Dan. 8.; Homil. 19.; De vera relig. cap. 8.; Libro de vnit. eccleſ.

curſione ſternũtur. Hęc ille. Sed & ex Euangelio hoc ide liquet. *Dilexerũt homines ten. bras magis quã lucem*, id eſt, mendaciũ magis quam veritatem, hęreſim magis quã fidem Catholicã. Quare? *Quia opera eorũ mala erant.* Magnus autẽ Baſilius facta diligenti inquiſitione, quænam eſſet tot hęreſum ſuo tempore grallantium cauſa, non aliã aſſignat quam peccatũ, idque iuxta ſcripturę ſenſum. Quum enim dicatur in libro Iudicũ, *Vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, illud faciebat*, eiuſque cauſa paulò ſuperius aſſignetur, *Quia in diebus illis non erat Rex in Iſrael*, ſapienter colligit Beatus Baſilius, ideo ſectas & hęreſes in Eccleſia graſſari, ideo vnumquemque quod ſibi rectum videtur & ſapere & facere, *quia non eſt Rex in Iſrael, quia à Rege Regũ, à Deo Opt. Maximo per Peccatum omnes defecimus.* Saluianus quoq; Epiſcopus Maſſilienſis multis verbis oſtẽdit, Afros Catholicos à Vandalis Arianis propter atrociſſima illius populi flagitia, quæ copioſè commemorat, crudeliſſimum in modũ vexatos, multiſque annis oppreſſos fuiſſe. Peccatũ ergo, ſolum dico peccatum, tot & tantorum Patrum iudicio, imò ex S. Scripturę ſententia, graſſantium hęreſum cauſa eſt. Et quis dubitat, quin & recidiuæ erit, niſi totis viribus opprimatur? Morbi enim & recidiuæ eius eadem cauſa eſſe ſolet, niſi quòd recidiuæ, quũ eiuſdem generis ſit cauſa, non ita vehemẽs tamen cauſæ virtus ad eam efficiendam requiratur.

Ioan. 3.

In tract. de iudicio Dei cap. 21.

Cap. 17. De prouidentia lib. 7. & 8.

Aliud adhuc medium erit, non ſolum pec- 4. Medium

9. Medium catum exterminare, ſed & ſummo ſtudio virtutem colere & pietatem conſectari, maximè illos qui in ſortem Domini cooptati ſunt. Magnus ille Pater S. Dominicus quũ contra Albigenſes hęreticos bellum gereret, iamque celebris inſtaret diſputatio, ad quá & cum loci Epiſcopo procedere voluit, ſed pompa conſueta, cũ apparatu ſplendido, & familia copioſa, dixit ad eum S. Dominicus. *Non ſic mi Domine Pater, non ſic contra ſuperbiæ filios procedendum eſt, ſed humilitatis, patientiæ, religionis, aliarumque virtutum exemplis, reuincendi ſunt hoſtes veritatis. Armemus nos igitur deuotis precibus, & humilitatis inſignia præ nobis feramus, detractis calceis procedamus*: quod & factum eſt. Si hanc viam omnium ſanè præſtantiſſimam & expeditiſſimá clerus Catholicus imitari non poteſt, ſaltem illud neceſſariò ſibi tenendum iudicare debet, non verbis tantùm, ſed & operibus bonis, eximijs & illuſtribus virtutibus agendum eſſe, vt hęretici reuocentur, & Catholici in officio contineãtur. Quod ſi verò reſtituta iam Catholica religione non de paſcendis vel reducendis ouibus, ſed de ſeipſis ditandis & honorandis cogitare volunt; ſi ad beneficia, dignitates, honores certatim confluunt; (vt in Anglia factum vidimus, vbi reſtituta Catholica religione, plures in Aula regia ſacerdotes togati beneficia conſectantes, quàm Aulici nobiles gladijs accincti conſpiciebantur) ſi priſtinũ ſomnum dormiunt, nec adhuc veternum excutiunt; ſi necdum

In vita S. Dominici Lib. 1 cap 7

necdum ad ſtrenuam aliquam reformationem euigilare volunt; horrendam hæreſis recidiuam lamentabile Belgium meritò formidare debet.

Sed vt finem dicendi faciam, paucisq; multa complectar; media magis particularia ſunt *Alia media neceſſaria.* frequentibus concionibus de hac inſana, & 1. abſurda hęreſi populum bene informare; de 2. Eccleſiæ Catholicæ vnitate retinenda, quantique ad ſalutem momenti res illa vna ſit, diligenter inſtruere; ad aliquam ſectam ſe adiũgere, quam certa & euidens animę iactura ſit 3. frequenter inculcare; Sacramentorũ (eorum 4. maximè quę magis frequentãtur) intelligentiam tradere, vſum docere, ad ea frequentanda, quàm ſępiſſimè cohortari: quæ quidẽ omnia Paſtorum officia ſunt perneceſſaria. Hæc 5. autem vt fiant, florere imprimis debent celebres Belgij Academiæ, florere ſcholę, florere etiam illi ordines, maximeque in Belgio propagari debent, quorum inſtitutum eſt Euangelium gratis ponere, iuuentutem rectè informare, bonas literas cũ virtute & pietate coniunctas tradere, rerum denique humanarũ & diuinarũ ſcientiã accuratè profiteri. Hęc ſunt Catholicæ religionis in Belgio firmiter retinẽdę, hęreticę peſtis efficaciter auertẽdæ, ſalutis deniq; iam adeptæ fœliciter conſeruandæ, media ſaluberrima, potentiſſima, neceſſaria.

Quę cum ita ſint, hodiernæ diei ſolennitas non ſolum huic Academiæ Duacenæ, ſed & *Epilogus.*

toti Belgio longè debet eſſe gratiſſima, in qua ſex eruditos & præſtantes viros Magiſterio Theologico inſignitos videmus: *quaſi ſex alas ſeraphicas, quarum duæ faciem, aliæ duæ pedes ſolij ex-*

Eſai. 6. *celſi*, in quo Dominum ſedentem vidit. Eſaias) *velabant & aliæ duæ volabant*: id eſt, ad Eccleſiæ

Duo Profeſſores Catholicę ornamentum (in qua Chriſtus, vt in domo ſua ſedet) duo in hac celebri ſchola

Duo Paſtores. profitentur, quaſi in facie, & luce Eccleſię: duo

Duo Dominicani. populum Catholicum, qui ſunt quaſi pedes in myſtico Chriſti corpore, diligenter paſcunt; alij duo volant, quia ſuperiores mundo facti, ſarcinisque eius abiectis, per voluntarię paupertatis onus leue, & ſanctæ obedientię iugũ

Coloſſ. 3. ſuaue ſemper ſurſum volunt, *ea quæ ſurſũ ſunt, ſapiunt, quæ ſurſum ſunt quærunt, non quæ ſunt ſuper*

Ioan. 2. *terram*. Iſtę ſex alæ, vel ſi vultis *ſex Hydriæ plenæ, quibus benedixit Dominus*, optimoque vino repleuit, ſic per hoc Belgium eruditionis ac pietatis ſuæ pennas expandent, ſic de fonte ſpiritus quem biberunt eructabunt & effundent, vt ad eam quam diximus hereſis recidiuam efficaciter auertendam, ad Catholicæ religionis conſeruationem, ad virtutis ſtudiũ & incrementum, grauiter & fœliciter ſint cooperaturi, magnumque & pręclarum adiumentum allaturi. Quod vt ad maiorem ſui nominis gloriã, Deus Opt. Maxim. concedat, vtque hodierna celebritas huic ſcholæ, huic Academiæ, totiq; Belgio fauſta fœlixque obueniat, ex animo pręcor & opto.

ORA-

ORATIONES QVODLIBETICÆ TRES, DVACI IN COLLEGIO Marchennenſi in vigilia S. Thomę Apoſtoli, anno, 1578. habitę.

QVÆSTIO PRIMA CVM ARGVMENTIS DE MORE SCHOLÆ.

Vtrum Eccleſiæ Romanæ Religio ab illis hodie reformata fuerit, qui ſe Eccleſiæ reformatores vel Eccleſiam reformatam, hodie vocant.

1. *Argumentum à diſputationum quodlibeticarum Præſide propoſitum.*

Reformatio Eccleſiæ Romanæ quæ hodie inſtituitur, non niſi ex verbo Dei & veteris Eccleſię praxi, petitur. At hæc ſunt certiſſima inſtituendę religionis fundamenta: Rectè ergo ab huiuſmodi reformatoribus reformata fuiſſe, videri poteſt.

2. *Argumentum.*

Non eſt melior Eccleſiæ Romanæ ſtatus nunc, quàm fuit olim Regni Iſrael ſub Ieroboam: quod iſti Reformatores abundè probāt. Quia vt apud illos manebat circuncïſio, fiebant ſacrificia, lex Moyſaica pro ſancta habebatur, Deus Patrum inuocabatur; reliquus tamen cultus totus idololatricus erat; ſic apud Eccleſiam Romanam manet Baptiſmus, fit liturgia, Scripturæ in veneratione habentur,

verus

verus Deus & Chriſtus inuocatur : Reliqua tamen omnia ſuperſtitionibus & cultu idololatrico plena ſunt. At licuit tunc Prophetis, Eliæ, Micheæ, Oſeę & Amos illam Iſraeliticam corruptelam arguere, corrigere, reformare. Licebit ergo idem hodie vocatis à Deo ad hoc munus doctis & præſtantibus viris.

VTRVM ECCLESIÆ ROMANÆ RELIGIO AB ILLIS REFORMATA hodie fuerit, qui ſe Eccleſiæ reformatores vel Eccleſiam reformatam hodie vocant.

QVAM mihi doctiſſimus D. Quodlibetarius de tantopere hodie iactata, & prętenſa Eccleſię reformatione Quæſtionem propoſuit; eam vt hoc loco ac tempore, quantumuis alioqui arduā implicatam, & calūniæ, atquę inuidię obnoxiam diligenter tamē diſcutiam atque pertractem; ſanè præter ampliſſimi huius atque ornatiſſimi collegij poſtulatum, accedente

D. Arnoldi de Gantois

etiam pręſtantiſſimi ac R. D. Abbatis, huius Collegij fundatoris deſiderio (cui quantò magis me iam pridem & arctius obſtrictum agnoſco, tantò in hoc dicendi munere magis gratificari cupio; ſi tamen quod illi non ingratum & celeberrima hac diſputationum quodlibeticarum conſuetudine nō indignum futurum ſit, hic aliquid dicre potuero;) etiam ipſius rei & cauſæ grauitas, dignitas, magnitu-

do,

do, vehementer me mouet: veſtra porro Auditores humaniſſimi iam olim mihi in hac celeberrima Academia ſępius peroranti perſpecta humanitas, alacritatem magnam adiecit. Ego ſanè vt aliquid de more hoc loco ac tempore dicerem rogatus, quo loco ac tempore maximam mihi dé re qualibet dicendi libertatem dari animaduerterem; de eo potiſſimũ liberrimè dicere volui, in quo nimia quadam & plus quàm quodlibetica libertate à quàm plurimis hodie liberè, aut licenter potius, diſceptari, diſputari, ac decerni video. Eſt enim hodie hominum genus, qui quidem ſanctiſſimo & glorioſiſſimo Chriſtianorum titulo vocantur & gaudent, à Chriſtiana tamen ſobrietate, obedientia, fideique ſimplicitate alieniſſimi ſunt, quibus liberum ſanè viſum eſt, non quidem de re qualibet, aut animi aut exercitationis ingenij cauſa, dicere in ſcholis ac diſputare; ſed de re omnium grauiſſima, de ſacroſancta religione, qua Deus colitur, qua ſalus nobis æterna vel cõparatur ſi rectè illa inſtituitur, vel amittitur ſi ab illa deflectitur, quidlibet ſentire, docere, facere. Qui ſanè homines quũ pro ſua de religione ſacra ſentiendi, dicẽdi, ac faciendi libertate; multa ſibi in varijs orthodoxę fidei particulis permutãdis, corrigẽdis, expungendis, permitterent, multa auderent atque tentarent; in eam tandem licentiã atque audaciam ſua libertate proruperunt, vt à paruis initijs ad maximam tandẽ molem,

à mo-

à modica ſcintilla ad vniuerſę penè Chriſtianitatis & orthodoxiæ conflagrationem peruentum fuerit.

Initia & progreſſus hodierni Schiſmatis Act 71,& 72.

Libuit audaci monacho, Martino Luthero execrandæ memorię apoſtatę, ante annos iam 60. plus minus, Indulgentias Pontificias carpere; *ita tamen vt earum potius nundinationes quam ipſas reprehenderet.* Sic enim in ſuis diſputationibus primo ſui ſchiſmatis anno propoſitis ſcripſit. Quum autem hæc illi reprehenſio bellè ſuccederet; non longè poſt, in concione quadam de indulgentijs, etiam ipſas indulgentias, *vt bonis operibus & ſalutari pœnitentiæ noxias*, criminatus eſt. Quod etiam cum applauſu acceptum quum videret, maiora auſus nouis propoſitis articulis, etiam Pontificiam in illis conferendis poteſtatẽ, vellicauit. Quã audaciam cum ſuo Principi & auditoribus non diſplicere animaduertit, ait enim in pręfatione in ſuas diſputationes poſtea excuſas, *hic multi boni viri meas propoſitiones extollebant,*) incepta libertate porro pergens, vniuerſam Romanam Pontificiam authoritatem, quæ ſupra cæteros Epiſcopos illi conceditur, è medio quoque tollere aggreſſus eſt: ſed paulatim adhuc & pedetentim. *Ego enim* (ait Lutherus in dicta præfatione) *in multis & magnis articulis Papæ non ſolum cedebam, ſed etiam vltrò adorabam.* Hac autem perfracta per Lutherum glacie, & perturbata ordinis Eccleſiaſtici acie, imò ipſo iam violato totius hierarchiæ capite, violentius

tius alij irruerunt, & (vt ait ipſe Lutherus in eadem præfatione) *vulneratam Pontificis maieſtatem cæperunt ſuperbiſſimè inuadere*, id eſt, in ſpargendo & mactando ouili Chriſti huic Petro commiſſo, licentius graſſari. Sed & ipſe quoque Lutherus quotidie audacior factus, ne poſt terga à ſocijs relinqueretur, alias atque alias quotidie nouas propoſitiones diſputauit, aſſeruit, docuit. Et cauſam ſuæ audaciæ reddit. *Fouebat me vtcunque*, alioqui trepidantem, *aura iſta popularis, quod inuiſæ iam eſſent omnibus artes & Romanationes illæ, quibus totū orbem impleuerant.* Sic de religione Romana & Catholica loquitur homo audaciſſimus, in priore præfatione operibus ſuis pręfixa. Acceſſit quoque ad auram illam popularem Maximiliani Imperatoris optimi, importuna mors. *Illo enim mortuo* (vt narrat ipſe Lutherus in dicta iam præfatione) *factus eſt iure Imperij vicarius dux Fredericus. Tunc deſiit paululum ſæuire tempeſtas, & ſenſim obrepſit contemptus excommunicationis ſeu fulminis papiſtici.* Hęc ille. Nempe hinc factum eſt, vt Leonis decimi bullam, quę proximo anno emanauit, & in qua peſtilentiſſimi doctrinæ Lutheranę articuli 40. & vnus damnarentur, ne hili quidem faceret audax ille Monachus, ſed ſtatim arrepto calamo eam audaciſſimè confutandam, ſuſciperet. Erat itaque iam de Lutheri fide, religione, obediētia Chriſtiana, prorſus conclamatum: & ab hoc audaciſſimo homine, libertimè quicquid libuit aſſerente ac docente,

docente, totũm hoc hominum hodie audaciſ-ſimorum genus tanquam ab altero Cain Babylonicæ ciuitatis parente deſcendit; & quod ille in quibuſdam liberrimè tentauit, hoc iſti in vniuerſa religionis orthodoxæ corruptela; non minori libertate ſibi tentandum, & quoquo modo poſſent perficiendum putarunt. Itaque non ſolum in permultis orthodoxæ doctrinæ articulis, à matre Catholica ſeſe ſegregauerũt, ſed etiam (quod paucæ admodum hæreſes auſæ fuerunt, Manichęi videlicet, alijque nonnulli (vt notat Auguſtinus) in ipſa ſacrorum & externæ religionis forma diſpares eſſe voluerunt: imò quod nulla adhuc ſecta auſa fuiſſe legitur, vniuerſam religionis Eccleſiaſticę formam reprehendere, corrigere, immutare non ſunt veriti: ſeſeque propterea, nouo ſed ſpecioſo admodum & populari titulo Eccleſiæ Romanæ atque Catholicę Reformatores, ſuamque ſocietatem Eccleſiam Reformatam nuncuparunt. Magna ſanè & pluſquam quoblibetica libertas Cenſores ſe, magiſtros & ariſtarchos totius orbis atque Eccleſię, Dei inſtituere.

In libro de vera Relig. cap. 5.

Sed & nos quoque pro huius loci ac temporis libertate, in hanc cenſoriam poteſtatem liberè tantiſper inquiramus, & an nomini ſuo res tanta reſpondeat, diſpiciamus. Videamus an vel reformatio quæ prætenditur ea ſit quæ eſſe dicitur, vel reformatores qui dicuntur, pro talibus haberi poſſint ac debeãt. Opinor

nor ſanè, re tota bene perſpecta & ante oculos omnium propoſita, vnâ mecum omnes iudicaturi eſtis nihil eſſe vel hac reformatione, vel his reformatoribus, deformius. Sed ne ante victoriam triumphum canere videamur, demonſtremus hoc ipſum prius, quanta ſanè & breuitate res tam ampla, & perſpicuitate res tam inuoluta, demonſtrari à nobis poteſt: Quod vt viâ aliqua & ratione fiat, id primum inueſtigabimus, quid & circa quæ verſatur religionis reformatio, de quâ hoc loco quæritur. Proximo loco de modo reformationis inſtituendæ ex parte rei, inquiremus. Tertiò ac poſtremò de perſonis ipſis reformantibus agemus. Quæ tria dum expono, diligenter quæſo, quod facitis, attendite.

Quòd ad primũ attinet, Religionis Chriſtianæ reformatio tam multiplex & varia eſſe poteſt, quàm multa & varia ſunt ea circa quæ religio Chriſtiana, verſatur. Illa autem ſunt potiſſimum tria. Religio enim vniuerſa qua Deus piè colitur, aut circa fidei doctrinam diuinitus traditam, aut circa cultum externum & publicum à Deo præſcriptum, aut denique circa vitam & mores iuxta Dei leges inſtitutos, verſatur. Nam neque ſine his tribus ſana & integra vlla vera religio eſt; & vbicunque hæc tria ſana & integra conſpiciuntur, veram ibi religionẽ eſſe dubitari nõ debet. Eſt autem ſingulorũ horum triũ certa aliqua forma, facies, & norma, quã diuinitus acceptã violare,

præterire, aut peruertere non licet. Ac de fidei quidē forma ſeu hypotypoſi, dixit Apoſtolus,
1.Timo.2. *formam habe ſanorum verborum quæ à me audiſti*: & Philip. 3. rurſum: *obſeruate eos qui ita ambulant*: *ſicuti habetis formam noſtram.* Denique & Romanos lau-
Rom. 6. dat, *quod obedirent ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſſent.* Vocatur enim hæc forma apud Apoſtolum regula, ratio, analogia, ſeu canon fidei Rom.12. Philipp.3. Ad Galat.6.2. ad Cor.10. Sed de hac religionis parte ſeu forma eiuſque regula nec hodie quæritur, nec propriè quæri ſolet, quum de reformatione, quæſtio inſtituitur. Non quòd doctrinę ipſius corruptelæ ſint nullæ (tales enim ſunt quàm plurimæ, ſanè omnes hæreſes) nec quòd corruptę doctrinę inſtauratio ad religionem non pertineat, ſed quòd alia fidei forma aut regula, eſſe non poteſt. Vna enim illa ſemper eſt, eiuſque regula eadem, & immutabilis, & (vt appoſitè loquitur Tertullianus) *immobilis*
In libro de velandis virgin. *& irreformabilis*, ideoque illa aliqua ex parte corrupta nulla ſupereſt vera religio; nec ad Eccleſiaſtici corporis membrum is pertinet, in quo fides corrumpitur. Cultus autem externus quo Deus publicè colitur, vitę quoque & morum ratio, partim ex ſe ipſo mutabilis eſt, partim immutationem interdum ex aliqua parte vel patitur, vel etiam poſtulat, ſine religionis iacturа, & vniuerſo detrimento. Itaque ad duas iſtas poſteriores religionis partes illa potiſſimum reformatio ſpectat, de
qua

qua tanto molimine hodie controuertitur, tanto ſtudio & contentione agitur, quum de reformatione quæritur. Nam doctrina fidei quum eius regula vniformis ſemper & inuariabilis ſit, nõ ſecus ac ſcientia in naturalibus, reſtaurari vel redintegrari deperdita poteſt, reformari corrupta, non poteſt.

At tamen & inter has duas partes magnum in hac prætenſa reformatione, diſcrimen eſt. Nam cùm in omni religioſa reformatione primum ac potiſſimum locum habere debebat tota illa interioris hominis regeneratio, ac renouatio, quæ ſane (ſuppoſita orthodoxæ fidei puritate & integritate) in vitæ ac morum pietate atque ſanctimonia, conſiſtit; ita in hac reformatione prætenſa, reformatores iſti & totius orbis Chriſtiani cenſores præpoſterè egerunt, vt de hac interiori aut parũ aut nihil ſolliciti, omnes ferè ingenij ſui vires, cogitationes omnes, ad alterã illam externi cultus formam in Eccleſia Catholica receptã & conſtitutam, omnibus modis exagitandã conuerterint; in eaq; vt aiunt reformanda, omni ſtudio & labore contenderint. Qua vna in re vt grauiſſimè peccarunt, & turpiter in ipſo tantę rei limine ac veſtibulo impegerunt, (eſt enim hęc interioris hominis recta inſtitutio, renouatio, mortificatio alterius externi cultus fundamẽtum, & ſine qua corruit penitus, vanum atque inane eſt quicquid externi cultus ſuperextruitur:) ita tamen doctrinę ſuę prin-

 cipijs

cipijs conformiter & conſentaneè ſatis proceſſerunt. Quam enim illi homines internam renouationem aut mortificationē ſtudioſius atque ſollicitius tradere & inſtituere potuerunt, qui vniuerſam illam renouationem internam, quā Chriſti gratia operatur in nobis,
Rom. 5. *diffuſa charitate in cordibus noſtris per Spiritum Sanctū qui datus eſt nobis*, totamque illam mortificationem, ſanctificationē, & vitę nouitatem, in qua ambulandum eſſe toties literæ Apoſtolicæ inculcant, nihil prorſus ad iuſtitiam noſtram coram Deo facere, & ad ſalutem æternā conſequendam non ſolū nullo modo neceſſariam, ſed neque etiam vllo modo conducibilem, imò vt rigidiores Lutherani defendunt, etiam pernicioſam eſſe, conſtantiſſimè docent; ſolamque Chriſti illam perfectiſſimā iuſtitiam, & obedientiam, noſtram eſſe omnē iuſtitiam & obedientiam, quam à nobis Deus exigit, nobis videlicet per fidem apprehendentem ac ſi noſtra propria eſſet, imputandam, veréque attributam, aſſerunt ad vnum omnes atque tuentur? Itaque quòd ab huius generis reformatione non exorſi fuerunt, imò quòd eam penitus prætermiſerint, quamuis turpiſſimè ab illis vt dixi peccatum ſit, & vel inde ſolum conſequatur nullam hanc reformationē eſſe poſſe, quoniam ſuo caret primario capite, & maximè neceſſario fundamento; tamen minimè hoc in illis mirandum eſt; imò certè poſita hac illorum admirabili doctrina, totum hoc illis

illis claro iure donandũ eſt. Si enim (quod illi ſibi perſuaſiſsimũ habent) ſola fide piè & purè colitur Deus, fide autem non qua ea quæ ad ſanam doctrinam pertinent, aut qua vniuerſo verbo Dei credimus, ſed qua Chriſti iuſtitiam in Euãgelio nobis oblatam atque promiſſam fide apprehendimus; profectò in ea reformatione qua de cultu interno inquiritur, ſuperuacaneum prorſus erit de vitæ ac morum ſanctitate, pietate, integritate, inquirere. Eſt ergo hæc tota reformationis pars penitus nobis prætermittẽda, ſi quam iſti homines reformationẽ quærunt, pariter inquirere, & de ea conferre volumus. Sit ita ergo, & ad tertiam illam reformationis partẽ veniamus, in qua omnes illi ingeniorũ ſuorũ neruos intenderũt, vt hac pretextu ab Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana, tanquã à deformatiſsima quadã papiſtarũ colluuie (ſic enim illi, & acerbius multò loquũtur) iuſtiſſimis de cauſis receſſiſſe, aliamq; Religionis formam neceſſariò inſtituiſſe, videantur. Hic igitur vt preſſius rem agamus, & cominus cum præclaris iſtis Reformatoribus certamen iſtud ineamus, quæro, quæ eſt iſta tanta deformitas in Eccleſia Catholica, Romana, cuius conſpectum Angelici iſti, & ſanctiſsimi viri perferre non valentes, ad aliam formam inſtituendam, animum adiecerunt? Aiunt externum Dei cultum in hac Eccleſia, innumeris eſſe ſuperſtitionibus obrutum, ſacrilegijs pollutum, idololatrijs cõtaminatum,

natum,denique vel iudaiſmi cuiuſdam aut paganiſmi, vel potius Babylonicæ meretricis, quàm Eccleſiæ Chriſtianæ faciem,hunc cultum præ ſe ferre.Nempe templa,altaria,ſacrificia,nos habere ritu gentilium; ſacra vaſa,incenſa,luminaria nobis eſſe more Iudæorum; ferias, ieiunia, ſtatuas mortuorum (ſic enim Imagines ſanctorum prophana & vili nuncupatione traducunt,vt olim Iulianus Pelagianus,pro baptizari, *perfundi*, & Iulianus Apoſtata pro Chriſto, *Galilæum* dicere eſt ſolitus) ita nos colere,& ceremonijs propemodum infinitis,in amictu, in geſtu,in cantu,ita omnia oppleuiſſe, vt nihil minus quam ſincera pietas & inuocatio pura, nihil magis quàm fœda hypocriſis & moroſitas phariſaica,vel barbarica κακοζηλία in Eccleſijs noſtris, in cultu & officio ſacro,conſpiciatur. Imò,omnia ita deformata ac fœdata eſſe affirmat Caluinus, vt *vix vllum* (inquit) *cum papiſticis conuentum habere poſſimus, in quo non aperta idololatria nos polluamus.* Grauis ſanè hæc & acerba eſt accuſatio, ingens & miſeranda deformitas,imò qua nulla grauior, nulla deformior eſſe poſſit, ſi vera ſint quæ narrantur. Et quidem eſſe hanc totam accuſationem, hominum ſceleratiſſimorum impudentem calumniam, vel hæc ipſa quam iſti homines inſtituunt, reformatio luculenter docebit.Ponamus tamen interea veram eſſe quam clamitant,cultus hodie Eccleſiaſtici deformitatem. Videamus quam iſti

Refor-

Reformationem eius loco ſubſtituant, & explicata nunc de Reformatione prætenſa Reformatorum ſententia, vt cuius generis Reformationem inſtituere velint iam intelligatur, ad id quod ſecundo loco tractaturos nos dixeramus, veniamus; & de modo Reformationis prętēſæ ex parte rei ipſius, inquiramus.

Enimuero poſtquam hodierna Eccleſiaſtici cultus forma in vniuerſum Proteſtantibus diſplicet, vt nihil aliud quàm Babylonis cuiuſdam facies, vt loquitur Caluinus, iſtic appareat, præſtantiſſimi hi viri vt eam reforment, debent opinor, formam aliquam aliam præexiſtentem & præconceptā habere, ad cuius normam tanquā ad exemplar quoddam purum atque completum, pulchrum atque perfectum, omnique tum labe & macula, tum etiam imperfectione carens, hanc ſuam Reformationem prætenſam dirigant, & ſecundum eam omnia reforment. Hęc ſanè vt arbitror illis non ſolum æquiſſima, ſed & neceſſaria poſtulatio, videbitur. Reformaturi Eccleſiaſticum cultum, ad aliquam antiquam Eccleſiæ Chriſtianę formam & faciem eum reformare & reſtaurare, debent. Alioqui niſi veterem aliquam formam iam antea in Eccleſia Chriſti olim exiſtentem, cuius normam ſequantur, oſtendant, non erit iſta quæ prætenditur pia aliqua Reformatio, ſed peregrina & prophana erit Transformatio, ideoque horrenda & Satanica Deformatio.

2. Pars.

Reformatio omnis formā aliquam præexiſtentem ſu[illegible]onit.

Duplex hactenus diuini cultus præſcripta forma.

Itaque hoc in loco recolendũ eſt diligenter Auditores, Deum Op. Max. ſicut ab orbe condito duos tantum populos, vel duplicẽ quandam populorũ ſocietatem, à qua eius numen publicè coleretur, habuit, Iudæorum videlicet Synagogam, & gentium ſeu populi Chriſtiani Eccleſiã; ita duplicem tantum externi cultus formam iuxta quã coleretur, in terris ab orbe cõdito habuiſſe. Priorem quidẽ illam à Moyſe dictante Deo pręſcriptã, & vſque ad minutiſſimas ceremonias exactiſſimè delineatã; idque

Exod. 25. Heb. 8.

iuxta exemplar quod illi à Deo in monte monſtratũ eſt, Alteram verò partim à Chriſto viua voce, partim ab Apoſtolis dictante Spir. S. inſtitutam, Sicut autem pręter vmbram & veritatẽ, præter veteris ac noui teſtamenti ſtatum, præter Moyſem & Chriſtũ, nihil eſt in hac militantis Eccleſię religione tertiũ; ita præter has duas formas, pręter hũc duplicẽ cultum Moſaicũ & Chriſtianum, legalẽ & Euangelicũ, Iudaicum & Apoſtolicum, nulla tertia religionis forma, nullus tertius aut dari poteſt, aut cogitari à fidelibus debet. Nam quod ad primos illos Patres attinet, qui ante Moyſem Deũ coluerũt, quemadmodum magis in perſonis quam in populis vera tunc religio obtinuit, ita cultus ille externus magis perſonalis fuit, & vt cuilibet fideli Dei ſpiritus inſpirauerat, quam vel localis vt apud Iudęos, vel vniuerſalis vt apud Chriſtianos, certo aliquo ritu pręſcriptus, quaſique circumſcriptus. Ideoq; nec Eccleſiæ vel

colle-

collectionis aliquod nomen in primis illis fidelibus auditū eſſe legimus: ſed data lege, ſacerdotibus & ceremonijs inſtitutis, tum primum Eccleſię ſeu collectionis vox in Scripturis legitur, Nempe vbi dicitur. *Cur eduxiſti Eccleſiam Domini in ſolitudinem?* Numer. 20. Nam ſanè quéadmodum, *in nullū nomen religionis coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorū viſibilium conſortio, colligantur,* vt ſapiéter ſcripſit Aug. Contra Fauſtum lib. 19. c. 11. ſic niſi fiat prius aliqua collectio & coagulatio Sacramentis & ſignaculis certis, ceremonijs preſcriptis, cultu cōſtituto non eſt opus. Sicut ergo tantum fuit hactenus fidelium collectio, prior Synagoga dicta, poſterior Eccleſia nūcupata, ídque diſtinctionis cauſa, vt tradit Aug. Enar. in pſal. 81, ita duplex tantū hactenus cultus diuini forma, extitit. Proteſtantes igitur cultus Eccleſiaſtici Reformationé inire ſi volunt; non tertiā aliquā & nouam à ſemetipſis inuentā & excogitatā inſtituere; ſed veterem aliquā & Chriſtianorū propriā, reſtaurare debent. Erit ergo eorū hac in parte officiū, quale olim vel Prophetarū fuit Ieremię, Oſeę, Amos quū Synagogę corruptelas taxarent, vel pientiſſimorū Regum, Ezechię, Ioſaphat, Ioſię qui collapſum, atq; extinctum penitus per Reges Idololatras prędeceſſores ipſorū diuini numinis cultū, diligenter reſtaurarūt. Illi auté Prophetæ nō vniuerſam Synagogę formā abolēdam exiſtimarūt, quę in téplo Hieroſol. obſeruabatur. (Nā aliud eſt de alijs Prophetis qui

Reformatorū hodie officium quale ſit.

verus Deus & Chriſtus inuocatur : Reliqua tamen omnia ſuperſtitionibus & cultu idololatrico plena ſunt. At licuit tunc Prophetis, Eliæ, Micheæ, Oſeę & Amos illam Iſraeliticam corruptelam arguere, corrigere, reformare. Licebit ergo idem hodie vocatis à Deo ad hoc munus doctis & præſtantibus viris.

VTRVM ECCLESIÆ ROMANÆ RELIGIO AB ILLIS REFORMATA hodie fuerit, qui ſe Eccleſiæ reformatores vel Eccleſiam reformatam hodie vocant.

QVam mihi doctiſſimus D. Quodlibetarius de tantopere hodie iactata, & prętenſa Eccleſię reformatione Quæſtionem propoſuit; eam vt hoc loco ac tempore, quantumuis alioqui arduã implicatam, & calũniæ, atque inuidię obnoxiam diligenter tamẽ diſcutiam atque pertractem; ſanè præter ampliſſimi huius atque ornatiſſimi collegij poſtulatum, accedente etiam pręſtantiſſimi ac R. D. Abbatis, huius Collegij fundatoris deſiderio (cui quantò magis me iam pridem & arctius obſtrictum agnoſco, tantò in hoc dicendi munere magis gratificari cupio; ſi tamen quod illi non ingratum & celeberrima hac diſputationum quodlibeticarum conſuetudine nõ indignum futurum ſit, hic aliquid dicere potuero;) etiam ipſius rei & cauſæ grauitas, dignitas, magnitudo,

D. Arnoldi de Gantois

do, vehementer me mouet: veſtra porro Auditores humaniſſimi iam olim mihi in hac celeberrima Academia ſępius peroranti perſpecta humanitas, alacritatem magnam adiecit. Ego ſanè vt aliquid de more hoc loco ac tempore dicerem rogatus, quo loco ac tempore maximam mihi dé re qualibet dicendi libertatem dari animaduerterem; de eo potiſſimũ liberrimè dicere volui, in quo nimia quadam & plus quàm quodlibetica libertate à quàm plurimis hodie liberè, aut licenter potius, diſceptari, diſputari, ac decerni video. Eſt enim hodie hominum genus, qui quidem ſanctiſſimo & glorioſiſſimo Chriſtianorum titulo vocantur & gaudent, à Chriſtiana tamen ſobrietate, obedientia, fideique ſimplicitate alieniſſimi ſunt, quibus liberum ſanè viſum eſt, non quidem de re qualibet, aut animi aut exercitationis ingenij cauſa, dicere in ſcholis ac diſputare; ſed de re omnium grauiſſima, de ſacroſancta religione, qua Deus colitur, qua ſalus nobis æterna vel cõparatur ſi rectè illa inſtituitur, vel amittitur ſi ab illa deflectitur, quidlibet ſentire, docere, facere. Qui ſanè homines quũ pro ſua de religione ſacra ſentiendi, dicẽdi, ac faciendi libertate; multa ſibi in varijs orthodoxę fidei particulis permutãdis, corrigẽdis, expungendis, permitterent, multa auderent atque tentarent; in eam tandem licentiã atque audaciam ſua libertate proruperunt, vt à paruis initijs ad maximam tandẽ molem, à mo-

à modica ſcintilla ad vniuerſę penè Chriſtianitatis & orthodoxiæ conflagrationem peruentum fuerit.

Initia & progreſſus hodierni Schiſmatis Art 71.& 72.

Libuit audaci monacho, Martino Luthero execrandæ memorię apoſtatę, ante annos iam 60. plus minus, Indulgentias Pontificias carpere; *ita tamen vt earum potius nundinationes quam ipſas reprehenderet.* Sic enim in ſuis diſputationibus primo ſui ſchiſmatis anno propoſitis ſcripſit. Quum autem hæc illi reprehenſio bellè ſuccederet; non longè poſt, in concione quadam de indulgentijs, etiam ipſas indulgentias, *vt bonis operibus & ſalutari pœnitentiæ noxias*, criminatus eſt. Quod etiam cum applauſu acceptum quum videret, maiora auſus nouis propoſitis articulis, etiam Pontificiam in illis conferendis poteſtatē, vellicauit. Quā audaciam cum ſuo Principi & auditoribus non diſplicere animaduertit, ait enim in pręfatione in ſuas diſputationes poſtea excuſas, *hic multi boni viri meas propoſitiones extollebant,*) incepta libertate porro pergens, vniuerſam Romanam Pontificiam authoritatem, quæ ſupra cæteros Epiſcopos illi conceditur, è medio quoque tollere aggreſſus eſt: ſed paulatim adhuc & pedetentim. *Ego enim* (ait Lutherus in dicta præfatione) *in multis & magnis articulis Papæ non ſolum cedebam, ſed etiam vltrò adorabam.* Hac autem perfracta per Lutherum glacie, & perturbata ordinis Eccleſiaſtici acie, imò ipſo iam violato totius hierarchiæ capite, violentius

tius alij irruerunt, & (vt ait ipſe Lutherus in eadem præfatione) *vulneratam Pontificis maieſtatem cœperunt ſuperbiſſimè inuadere*, id eſt, in ſpargendo & mactando ouili Chriſti huic Petro commiſſo, licentius graſſari. Sed & ipſe quoque Lutherus quotidie audacior factus, ne poſt terga à ſocijs relinqueretur, alias atque alias quotidie nouas propoſitiones diſputauit, aſſeruit, docuit. Et cauſam ſuæ audaciæ reddit. *Fouebat me vtcunque*, alioqui trepidantem, *aura iſta popularis, quod inuiſæ iam eſſent omnibus artes & Romanationes illæ, quibus totũ orbem impleuerant.* Sic de religione Romana & Catholica loquitur homo audaciſſimus, in priore præfatione operibus ſuis præfixa. Acceſſit quoque ad auram illam popularem Maximiliani Imperatoris optimi, importuna mors. *Illo enim mortuo* (vt narrat ipſe Lutherus in dicta iam præfatione) *factus eſt iure Imperij vicarius dux Fredericus. Tunc deſiit paulùlum ſæuire tempeſtas, & ſenſim obrepſit contemptus excommunicationis ſeu fulminis papiſtici.* Hęc ille. Nempe hinc factum eſt, vt Leonis decimi bullam, quę proximo anno emanauit, & in qua peſtilentiſſimi doctrinæ Lutheranę articuli 40. & vnus damnarentur, ne hili quidem faceret audax ille Monachus, ſed ſtatim arrepto calamo eam audaciſſimè confutandam, ſuſciperet. Erat itaque iam de Lutheri fide, religione, obediẽtia Chriſtiana, prorſus conclamatum: & ab hoc audaciſſimo homine, liberrimè quicquid libuit aſſerente ac docente,

docente, totũm hoc hominum hodie audaciſſimorum genus tanquam ab altero Cain Babylonicæ ciuitatis parente deſcendit; & quod ille in quibuſdam liberrimè tentauit, hoc iſti in vniuerſa religionis orthodoxæ corruptela; non minori libertate ſibi tentandum, & quoquo modo poſſent perficiendum putarunt. Itaque non ſolum in permultis orthodoxæ doctrinæ articulis, à matre Catholica ſeſe ſegregauerũt, ſed etiam (quod paucæ admodum hæreſes auſæ fuerunt, Manichęi videlicet, alijque nonnulli (vt notat Auguſtinus) in ipſa ſacrorum & externæ religionis forma diſpares eſſe voluerunt: imò quod nulla adhuc ſecta auſa fuiſſe legitur, vniuerſam religionis Eccleſiaſticę formam reprehendere, corrigere, immutare non ſunt veriti: ſeſeque propterea, nouo ſed ſpecioſo admodum & populari titulo Eccleſiæ Romanæ atque Catholicę Reformatores, ſuamque ſocietatem Eccleſiam Reformatam nuncuparunt. Magna ſanè & pluſquam quoblibetica libertas Cenſores ſe, magiſtros & ariſtarchos totius orbis atque Eccleſię, Dei inſtituere.

In libro de vera Relig. cap. 5.

Sed & nos quoque pro huius loci ac temporis libertate, in hanc cenſoriam poteſtatem liberè tantiſper inquiramus, & an nomini ſuo res tanta reſpondeat, diſpiciamus. Videamus an vel reformatio quæ prætenditur ea ſit quæ eſſe dicitur, vel reformatores qui dicuntur, pro talibus haberi poſſint ac debeãt. Opinor

nor ſanè, re tota bene perſpecta & ante oculos omnium propoſita, vnâ mecum omnes iudicaturi eſtis nihil eſſe vel hac reformatione, vel his reformatoribus, deformius. Sed ne ante victoriam triumphum canere videamur, demonſtremus hoc ipſum prius, quanta ſanè & breuitate res tàm ampla, & perſpicuitate res tam inuoluta, demonſtrari à nobis poteſt. Quod vt viâ aliqua & ratione fiat, id primum inueſtigabimus, quid & circa quæ verſatur religionis reformatio, de quâ hoc lòco quæritur. Proximo loco de modo reformationis inſtituendæ ex parte rei, inquiremus. Tertiò ac poſtremò de perſonis ipſis reformantibus agemus. Quæ tria dum expono, diligenter quæſo, quod facitis, attendite.

Quod ad primũ attinet, Religionis Chriſtianæ reformatio tam multiplex & varia eſſe poteſt, quàm multa & varia ſunt ea circa quæ religio Chriſtiana, verſatur. Illa autem ſunt potiſſimum tria. Religio enim vniuerſa qua Deus piè colitur, aut circa fidei doctrinam diuinitus traditam, aut circa cultum externum & publicum à Deo præſcriptum, aut denique circa vitam & mores iuxta Dei leges inſtitutos, verſatur. Nam neque ſine his tribus ſana & integra vlla vera religio eſt; & vbicunque hæc tria ſana & integra conſpiciuntur, veram ibi religionẽ eſſe dubitari nõ debet. Eſt autem ſingulorũ horum triũ certa aliqua forma, facies, & norma, quã diuinitus acceptã violare,

præterire, aut peruertere non licet. Ac de fidei quidē forma ſeu hypotypoſi, dixit Apoſtolus,
1.Timo.2. *formam habe ſanorum verborum quæ à me audiſti*: &
Philip. 3. rurſum: *obſeruate eos qui ita ambulant: ſicuti habetis formam noſtram*. Denique & Romanos laudat,
Rom. 6. *quod obedirent ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſſent*. Vocatur enim hæc forma apud Apoſtolum regula, ratio, analogia, ſeu canon fidei Rom.12. Philipp.3. Ad Galat.6.2. ad Cor.10. Sed de hac religionis parte ſeu forma eiuſque regula nec hodie quæritur, nec propriè quæri ſolet, quum de reformatione, quæſtio inſtituitur. Non quòd doctrinę ipſius corruptelæ ſint nullæ (tales enim ſunt quàm plurimæ, ſanè omnes hæreſes) nec quòd corruptę doctrinę inſtauratio ad religionem non pertineat, ſed quòd alia fidei forma aut regula, eſſe non poteſt. Vna enim illa ſemper eſt, eiuſque regula eadem, & immutabilis, & (vt appoſitè loquitur Tertullianus) *immobilis & irreformabilis*, ideoque illa aliqua ex parte corrupta nulla ſupereſt vera religio; nec ad Eccleſiaſtici corporis membrum is pertinet, in quo fides corrumpitur. Cultus autem externus quo Deus publicè colitur, vitę quoque & morum ratio, partim ex ſe ipſo mutabilis eſt, partim immutationem interdum ex aliqua parte vel patitur, vel etiam poſtulat, ſine religionis iactura, & vniuerſo detrimento. Itaque ad duas iſtas poſteriores religionis partes illa potiſſimum reformatio ſpectat, de qua

In libro de velandis virgin.

qua tanto molimine hodie controuertitur, tanto ſtudio & contentione agitur, quum de reformatione quæritur. Nam doctrina fidei quum eius regula vniformis ſemper & inuariabilis ſit, non ſecus ac ſcientia in naturalibus, reſtaurari vel redintegrari deperdita poteſt, reformari corrupta, non poteſt.

At tamen & inter has duas partes magnum in hac prætenſa reformatione, diſcrimen eſt. Nam cum in omni religioſa reformatione primum ac potiſſimum locum habere debebat tota illa interioris hominis regeneratio, ac renouatio, quæ ſane (ſuppoſita orthodoxæ fidei puritate & integritate) in vitæ ac morum pietate atque ſanctimonia, conſiſtit; ita in hac reformatione prætenſa, reformatores iſti & totius orbis Chriſtiani cenſores præpoſterè egerunt, vt de hac interiori aut parũ aut nihil ſolliciti, omnes ferè ingenij ſui vires, cogitationes omnes, ad alterã illam externi cultus formam in Eccleſia Catholica receptã & conſtitutam, omnibus modis exagitandã conuerterint; in eaq; vt aiunt reformanda, omni ſtudio & labore contenderint. Qua vna in re vt grauiſſimè peccarunt, & turpiter in ipſo tantę rei limine ac veſtibulo impegerunt, (eſt enim hęc interioris hominis recta inſtitutio, renouatio, mortificatio alterius externi cultus fundamẽtum, & ſine qua corruit penitus, vanum atque inane eſt quicquid externi cultus ſuperextruitur:) ita tamen doctrinę ſuę prin-

cipijs conformiter & conſentaneè ſatis proceſſerunt. Quam enim illi homines internam renouationem aut mortificationē ſtudioſius atque ſollicitius tradere & inſtituere potuerunt, qui vniuerſam illam renouationem internam, quā Chriſti gratia operatur in nobis,
Rom. 5. *diffuſa charitate in cordibus noſtris per Spiritum Sanctū qui datus eſt nobis*, totamque illam mortificationem, ſanctificationē, & vitę nouitatem, in qua ambulandum eſſe toties literæ Apoſtolicæ inculcant, nihil prorſus ad iuſtitiam noſtram coram Deo facere, & ad ſalutem æternā conſequendam non ſolū nullo modo neceſſariam, ſed neque etiam vllo modo conducibilem, imò vt rigidiores Lutherani defendunt, etiam pernicioſam eſſe, conſtantiſſimè docent; ſolamque Chriſti illam perfectiſſimā iuſtitiam, & obedientiam, noſtram eſſe omnē iuſtitiam & obedientiam, quam à nobis Deus exigit, nobis videlicet per fidem apprehendentem ac ſi noſtra propria eſſet, imputandam, veréque attributam, aſſerunt ad vnum omnes atque tuentur? Itaque quòd ab huius generis reformatione non exorſi fuerunt, imò quòd eam penitus prætermiſerint, quamuis turpiſſimè ab illis vt dixi peccatum ſit, & vel inde ſolum conſequatur nullam hanc reformationē eſſe poſſe, quoniam ſuo caret primario capite, & maximè neceſſario fundamento; tamen minimè hoc in illis mirandum eſt; imò certè poſita hac illorum admirabili doctrina, totum hoc illis

illis claro iure donandũ eſt. Si enim (quod illi ſibi perſuaſiſsimũ habent) ſola fide piè & purè colitur Deus, fide autem non qua ea quæ ad ſanam doctrinam pertinent, aut qua vniuerſo verbo Dei credimus, ſed qua Chriſti iuſtitiam in Euãgelio nobis oblatam atque promiſſam fide apprehendimus; profectò in ea reformatione qua de cultu interno inquiritur, ſuperuacaneum prorſus erit de vitæ ac morum ſanctitate, pietate, integritate, inquirere. Eſt ergo hæc tota reformationis pars penitus nobis prætermittẽda, ſi quam iſti homines reformationẽ quærunt, pariter inquirere, & de ea conferre volumus. Sit ita ergo, & ad tertiam illam reformationis partẽ veniamus, in qua omnes illi ingeniorũ ſuorũ neruos intenderũt, vt hoc pretextu ab Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana, tanquã à deformatiſsima quadã papiſtarũ colluuie (ſic enim illi, & acerbius multò loquũtur) iuſtiſſimis de cauſis receſſiſſe, aliamq; Religionis formam neceſſariò inſtituiſſe, videantur. Hic igitur vt preſſius rem agamus, & cominus cum præclaris iſtis Retormatoribus certamen iſtud ineamus, quæro, quæ eſt iſta tanta deformitas in Eccleſia Catholica, Romana, cuius conſpectum Angelici iſti, & ſanctiſsimi viri perferre non valentes, ad aliam formam inſtituendam, animum adiecerunt? Aiunt externum Dei cultum in hac Eccleſia, innumeris eſſe ſuperſtitionibus obrutum, ſacrilegijs pollutum, idololatrijs cõtami-

natum,denique vel iudaiſmi cuiuſdam aut paganiſmi, vel potius Babylonicæ meretricis, quàm Eccleſiæ Chriſtianæ faciem,hunc cultum præ ſe ferre.Nempe templa,altaria,ſacrificia,nos habere ritu gentilium;ſacra vaſa,incenſa,luminaria nobis eſſe more Iudæorum; ferias, ieiunia, ſtatuas mortuorum (ſic enim Imagines ſanctorum prophana & vili nuncupatione traducunt,vt olim Iulianus Pelagianus,pro baptizari, *perfundi*, & Iulianus Apoſtata pro Chriſto, *Galilæum* dicere eſt ſolitus) ita nos colere,& ceremonijs propemodum infinitis,in amictu, in geſtu,in cantu,ita omnia oppleuiſſe, vt nihil minus quam ſincera pietas & inuocatio pura, nihil magis quàm fæda hypocriſis & moroſitas phariſaica,vel barbarica κακοζηλία in Eccleſijs noſtris, in cultu & officio ſacro,conſpiciatur. Imò,omnia ita deformata ac fædata eſſe affirmat Caluinus, vt *vix vllum* (inquit) *cum papiſticis conuentum habere poſsimus, in quo non aperta idololatria nos polluamus.* Grauis ſanè hæc & acerba eſt accuſatio, ingens & miſeranda deformitas,imò qua nulla grauior, nulla deformior eſſe poſſit, ſi vera ſint quæ narrantur. Et quidem eſſe hanc totam accuſationem, hominum ſceleratiſſimorum impudentem calumniam, vel hæc ipſa quam iſti homines inſtituunt, reformatio luculenter docebit.Ponamus tamen interea veram eſſe quam clamitant,cultus hodie Eccleſiaſtici deformitatem. Videamus quam iſti

Refor-

Reformationem eius loco ſubſtituant, & explicata nunc de Reformatione prætenſa Reformatorum ſententia, vt cuius generis Reformationem inſtituere velint iam intelligatur, ad id quod ſecundo loco tractaturos nos dixeramus, veniamus; & de modo Reformationis prętēſæ ex parte rei ipſius, inquiramus.

Enimuero poſtquam hodierna Eccleſiaſtici cultus forma in vniuerſum Proteſtantibus diſplicet, vt nihil aliud quàm Babylonis cuiuſdam facies, vt loquitur Caluinus, iſtic appareat, præſtantiſſimi hi viri vt eam reforment, debent opinor, formam aliquam aliam præexiſtentem & præconceptã habere, ad cuius normam tanquã ad exemplar quoddam purum atque completum, pulchrum atque perfectum, omnique tum labe & macula, tum etiam imperfectione carens, hanc ſuam Reformationem prætenſam dirigant, & ſecundum eam omnia reforment. Hęc ſanè vt arbitror illis non ſolum æquiſſima, ſed & neceſſaria poſtulatio, videbitur. Reformaturi Eccleſiaſticum cultum, ad aliquam antiquam Eccleſiæ Chriſtianę formam & faciem eum reformare & reſtaurare, debent. Alioqui niſi veterem aliquam formam iam antea in Eccleſia Chriſti olim exiſtentem, cuius normam ſequantur, oſtendant, non erit iſta quæ prætenditur pia aliqua Reformatio, ſed peregrina & prophana erit Transformatio, ideoque horrenda & Satanica Deformatio. 2. Pars. Reformatio omnis formã aliquam præexiſtentem ſupponit.

Duplex hactenus diuini cultus præſcripta forma.

Itaque hoc in loco recolendũ eſt diligenterꝗ Auditores, Deum Op. Max. ſicut ab orbe condito duos tantum populos, vel duplicẽ quandam populorũ ſocietatem, à qua eius numen publicè coleretur, habuit, Iudæorum videlicet Synagogam, & gentium ſeu populi Chriſtiani Eccleſiã; ita duplicem tantum externi cultus formam iuxta quã coleretur, in terris ab orbe cõdito habuiſſe. Priorem quidẽ illam à Moyſe dictante Deo pręſcriptã, & vſque ad minutiſſimas ceremonias exactiſſimè delineatã; idque *iuxta exemplar quod illi à Deo in monte monſtratũ eſt*, Alteram verò partim à Chriſto viua voce, partim ab Apoſtolis dictante Spir. S. inſtitutam. Sicut autem pręter vmbram & veritatẽ, præter veteris ac noui teſtamenti ſtatum, præter Moyſem & Chriſtũ, nihil eſt in hac militantis Eccleſię religione tertiũ; ita præter has duas formas, pręter hũc duplicẽ cultum Moſaicũ & Chriſtianum, legalẽ & Euangelicũ, Iudaicum & Apoſtolicum, nulla tertia religionis forma, nullus tertius aut dari poteſt, aut cogitari à fidelibus debet. Nam quod ad primos illos Patres attinet, qui ante Moyſem Deũ coluerũt, quemadmodum magis in perſonis quam in populis vera tunc religio obtinuit, ita cultus ille externus magis perſonalis fuit, & vt cuilibet fideli Dei ſpiritus inſpirauerat, quam vel localis vt apud Iudęos, vel vniuerſalis vt apud Chriſtianos, certo aliquo ritu pręſcriptus, quaſique circumſcriptus. Ideoq; nec Eccleſiæ vel colle-

Exod. 25. Heb. 8.

collectionis aliquod nomen in primis illis fidelibus auditũ eſſe legimus: ſed data lege, ſacerdotibus & ceremonijs inſtitutis, tum primum Eccleſię ſeu collectionis vox in Scripturis legitur, Nempe vbi dicitur. *Cur eduxiſti Eccleſiam Domini in ſolitudinem?* Nam ſanè queadmodum, *in nullũ nomen religionis coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorũ viſibilium conſortio, colligantur*, vt ſapiẽter ſcripſit Aug. ſic niſi fiat prius aliqua collectio & coagulatio Sacramentis & ſignaculis certis, ceremonijs preſcriptis, cultu cõſtituto non eſt opus. Sicut ergo tantum fuit hactenus fidelium collectio, prior Synagoga dicta, poſterior Eccleſia nũcupata, ídque diſtinctionis cauſa, vt tradit Aug. Enar. in pſal. 81, ita duplex tantũ hactenus cultus diuini forma, extitit. Proteſtantes igitur cultus Eccleſiaſtici Reformationẽ inire ſi volunt; non tertiã aliquã & nouam à ſemetipſis inuentã & excogitatã inſtituere; ſed veterem aliquã & Chriſtianorũ propriã, reſtaurare debent. Erit ergo eorũ hac in parte officiũ, quale olim vel Prophetarũ fuit Ieremię, Oſeę, Amos quũ Synagogę corruptelas taxarent, vel pientiſſimorũ Regum, Ezechię, Ioſaphat, Ioſię qui collapſum, atq; extinctum penitus per Reges Idololatras prędeceſſores ipſorũ diuini numinis cultũ, diligenter reſtaurarũt. Illi autẽ Prophetæ nõ vniuerſam Synagogę formã abolẽdam exiſtimarũt, quę in tẽplo Hieroſol. obſeruabatur. (Nã aliud eſt de alijs Prophetis qui

Numer. 20.

Contra Fauſtum lib. 19. c. 11.

Reformatorũ hodie officium quale ſit.

Prophetæ veteres & Reges quomodo Synagogā reformarunt.

Iſraelitarū in Samaria cultus prorſus idololatricos penitus dānarunt) ſed corruptelas tantum,&ſuperſtitiones taxarunt quę irrepſerāt; idque magis ex parte perſonarum & ſacerdotum ipſorū, qui rebus ſanctiſſimis turpiſſimè abutebantur ad quæſtum, & ad hypocriſim, quam ex parte rerum & cultus ipſius qui ſatis integer adhuc erat, iuxta legem Moyſaicam: quemadmodū etiam Reges prædicti,non niſi iuxta exemplar legis quod à ſacerdotibus acceperant; nihil verò nouum, nihil proprium inuexerūt;eodem ſanè modo horum temporum reformatores ſi tales eſſe de factovolunt, ſibi quoque faciendum eſſe ſtatuere, debent. Ad veterem,inquam,Chriſtianę Eccleſię formam ſuam inſtituere & formare reformationem,oportet.Et quidem præclara huius rei in veteri populo exempla occurrunt, vbi non ſolum ſtante adhuc templo ſed ceſſante cultu, reſtauratio per pios Reges ſupra nominatos facta eſt; verum etiam vbi euerſo penitus templo atque deiecto, idem tamen de nouo reædificatum eſt, totuſque cultus legitimè reſtauratus,vt à Duce Zorobabele,& Nehemia poſt reditum à captiuitate Babylonica,ac poſtea à Iuda Machabęo poſt cęſos Antiochi Duces. Quanta autem religione,quanto ſtudio, in tam varia reformatione,laboratum fuit ne vel latum vnguem à veteri forma per Moyſem præſcripta recederetur, nihil nouum inſtitueretur, veteris illius populi hiſtoria luculenter

lenter

lenter oſtendit. 4.Reg.18. & 33. 2. Paral.17. & 29. Eſdræ 2.cap.8. & ſeq.1. Mach.4. & ſeq. Hæc opinor exempla ſi Reformatores eſſe volunt,imitari debent.

Videamus ergo quam tandem formam veterẽ in hac ſua reformatione ſequi voluerint, & ad quod exemplar,ad quem typum præcedentem,deformatam hãc Eccleſiaſtici cultus faciem reformare & recorrigere,planeque reſtaurare conati ſint. Proteſtants ſanè initio huius infauſti ſchiſmatis, quemadmodum in doctrina fidei non niſi recentiora hæc tempora, & nominatim primò Concilium tantum Conſtantienſe damnarunt,ſic & in quęſtione de cultu externo, dę vſu Sacramentorum, de ritibus ac ceremonijs Eccleſiaſticis, non niſi poſteriorum horum temporum ac ſeculorum ſuperſtitiones,taxarunt. Veterem verò illam Eccleſiam quæ primis quingentis aut ſexcẽtis annis floruit, debita veneratione amplecti, colere,& obſeruare tam in doctrina fidei, quã in ratione cultus atque regiminis præ ſe tulerunt; ſiue quia quas in doctrina & cultu corruptelas vocant,illis primis ſeculis nondũ receptas fuiſſe,aut certè ex illorum temporum hiſtoria conſtare nobis tam clarè nõ potuiſſe initio exiſtimabant; ſiue vt hac moderata poſteriorum tantum temporum reprehenſione, & Antiquitatis prętenſa veneratione,non ſolum imperitũ populum, ſed & graues pręterea ac doctos viros & ſedata quędã ac magna

Vnde Proteſtantes Reformationis initiũ ſumãt.

Proteſtantũ vel craſſa ignorantia vel dolus malus.

ingenia

ingenia in ſuarum opinionum naſſam pertra-
Inſtit.lib.4 cap.2.ꝟ.3. herent. Itaq; Caluinus quemadmodũ de do-
ctrina fidei dicit, *meritò veteres illos patres Tertul-
lianum, Optatum, Irenæum, Auguſt. argumento ſucceſ-
ſionis contra ſuorum temporum hæreticos vſos fuiſſe,
quia extra controuerſiam erat nihil à principio vſque ad
illam ætatem mutatum fuiſſe in doctrina*: ſic etiam
Lib. eodẽ. cap.4 pa 1. de cultu ac regimine Eccleſ. dicit, *veteris Eccle-
ſiæ formam diuinæ inſtitutionis imaginem quandam
oculis noſtris repræſentare, ideoque illorum temporum
Epiſcopos tametſi multos canones ediderunt, quibus plus
viderentur exprimere, quàm Sacris literis expreſſum
eſſet, ea tamen cautione totam ſuam œconimiam compo-
ſuiſſe ad vnicam illam verbi Dei normam, vt facile vi-
deas nihil ferè hac parte habuiſſe à verbo Dei alienum.*
Hæc ille. Moxque Hieronymum teſtem
producit, vt de quo tempore veteris Eccleſiæ
loquatur, certius intelligamus. Denique &
eodem cap. §. 3. *Gregorij primum tempore ab anti-
qua puritate multum degeneraſſe Eccleſiam ſcribit*: quē
etiam Pont. (qui ſexcenteſimo poſt Chriſtum
anno ſedit) *vltimum* vocat *Romanum Epiſcopum
hoc nomine dignum* lib. eodem cap. 17 §. 43. Cui
In orat. de corrigẽdis ſtudiis. & Melanchthon conſentit qui eundem Gre-
gorium, *pereuntis Theologiæ præſultorem vocat, qui
infœliciſſimi ſeculi caſum quoad potuit ſcribendo docen-
doque, ſuſtinuit.* Ad hanc etiam ſententiam ſatis
multi accedunt Proteſtantes, qui Bonifacium
3. huic Gregorio (excepto Sabiniano qui ſeſ-
quianno tantum intermedio ſederat) proxi-
mum ſucceſſorem primum Antichriſtum fa-
ciunt

ciunt,& defectionis in Eccleſia quam ſupponunt,primum Authorem. Tales autem ſunt Henricus Pantaleon in ſua chronographia, qui hunc Bonifacium 3. primũ Papam & primum ſummum Pont. vocat: Ioannes quoque Foxus Anglus in ſuo Martyrologio idẽ notat. Denique non ſolum Melanchthon in Apologia Confeſſionis Auguſtanę & libro de Eccleſia,ſed & nuperrimè Martinus Chennicius in examine vt vocat decretorum Conc. Trid. in Cap. de Sanctorum cultu, Inuocationem Sanctorum, orationem pro defunctis, Miſſæ vocabulum & vſum ſub hoc Gregorio primo exorta primum & introducta fuiſſe, affirmat. Poſtremò adeò hoc præ ſe ferunt ſanè Proteſtantum Principes & ſigniferi, vt ante annos iam octodecim plus minus pſeudoepiſcopus quidam Sariſburienſis in Anglia pro concione Londini præſente Senatu Regio totaque nobilitate, ſemel atque iterum Catholicos in vniuerſum omnes ad veteris Eccleſiæ formam atque doctrinam prouocauerit, idque adeò vt propoſitis Articulis 27. ſtipulatus fuerit ſe Pontificiæ doctrinæ ſtatim velle ſubſcribere, ſi ex illis omnibus vnus aliquis vno aliquo vel teſtimonio vel exemplo veteris Eccleſiæ vſque ad annum ſexcenteſimum cõfirmari poſſet: quę arrogantiſſima prouocatio multis poſtea pijs atque Catholicis libellis Louanij ſcriptis, atque vernacula Anglorum lingua editis occaſionem dedit.

Vaniſſima Superintendentis cuiuſdã Angli Prouocatio.

Annis 65, 66, 67, & 68

Hæc

In Apologia recentioris Ecclesiæ. Orat. 21.

Hæc ergo tam conſtans aduerſariorum pię-ſcriptio & veteris ſaltem illius Eccleſiæ veneratio, etſi propter poſteriora ſecula damnata; multis nominibus eſt iniqua, vt olim copioſè demonſtrauimus; tamen hoc ſanè nomine eſt æquiſſima & meritò complectenda, quòd ſaltem formam aliquam Eccleſiæ Chriſtianæ agnoſcit, eámque ſanè temporis haud dubiè florentiſſimi, & ab omni corruptionis labe alieniſſimi, ad cuius normam & exemplum; deſiderata hęc tantopere & prædicata Reformatio, inſtitui poſſit ac debeat. Noſtrum itaq; nunc erat ea quę hodie à Reformatoribus iſtis tanquam deformia damnantur, ea quæ nunc ſuperſtitiones, corruptelas, idololatriam in cultu eccleſiaſtico vocant, puta templa, altaria, ſacrificia, ſacra vaſa & ornamenta, incenſa, luminaria, ferias, ieiunia ſtata, memorias & imagines Diuorum, ipſum Sacroſanctę Miſſę vniuerſum ritum & modum, Sacramentorum numerum, materiam & formam ſingulorum, vſus & ritus circa ſingula, denique alias ceremonias quaſcunque vel neceſſariò in religionis vſum aſſumptas, vel certè vtiliter hodie receptas, oſtendere & demonſtrarę apud veterem illá Eccleſiam in vſu etiam Chriſtiani cultus recepta fuiſſe; vel ſi qua recepta adhuc eo tempore non eſſent, ex illius Eccleſiæ doctrina oſtendere, recipi ſaltem ea non incommodè poſtea potuiſſe; vel denique meliori capto conſilio, ea temerè recepta prudenter deſerere;

deſerere, omniaque ad illius Eccleſiæ faciem & formam quantò id exactius fieri poſſet, reſtituere & reſtaurare, vt ita tandem pax aliqua in his tantis diſſidiis & de religione certaminibus, coaleſceret.

Sed vniuerſo hoc demonſtrandi & probandi labore & onere ipſi nos aduerſarij infœliciter liberarunt; atque ab hac tota futuræ reformationis & concordiæ ſpe, ijdem ipſi nos deiecerunt. Quamobrem inquies, aut quo tandem iſtud modo? Quia ſanè in hac ſua ſententia nullo modo perſiſtunt, nec pro eo quod ſentiunt loquuntur, ſed planè vt dici ſolet, ad populum phaleras. Quantumcunque enim ſic in genere interdum loquantur; tamen cùm de certa aliqua cultus Eccleſiaſtici parte quæ illis diſplicet, diſputatur, & veteris illius Eccleſiæ vſum, praxim, & teſtimonia contra ipſos manifeſtè facere animaduertunt & proferri audiunt; mox priorem ſtipulationem nihil morati, excipiunt; nihil eſſe in religione & cultu admittendum, quàm quod vel Chriſtus ipſe verbo ſuo mandauit & Euangeliſtæ retulerunt, vel Apoſtoli ipſi accepto ab illo mandato, inſtituerunt. Veterem verò Eccleſiã in hoc genere grauiter peccaſſe, etiam ſtatim poſt Apoſtolos, quod ritus Iudaicos atque etiã ethnicos præpoſtera quadam κακοζηλία, in cultu Chriſtianę religionis vel reſidere paſſi ſunt, vel ipſimet introduxerunt.

Proteſtantum tergiuerſatio & fœda contradictio.

Sed vulgus fortaſſe Proteſtantum & craſſiores

ſiores Zelotas hoc facere dixeris; magnos autem illos viros & præcipuos reformatæ religionis aſſertores, à veteris Eccleſiæ conſenſu, praxi, Authoritate atque à priore ſua aſſertione, minimè recedere. Imo ſanè & illi ipſi hoc potiſſimum & quidem perpetuò faciunt; quorum exempla alij ſymmiſtæ diligenter ſequuntur. Caluinus enim ipſe qui ita veterem Eccleſiam laudat, vt lectorem in ipſo diſputationis limine more ſuo ineſcaret, (quod in multis alijs primarijs fidei quæſtionibus in illa ſua Inſtitutione facit) mox vt ſe premi videt, eam prorſus renunciat, quaſique dato libello repudiat. Et videte obſecro quàm parum verecundè, quàm non rarò id faciat. In quæſtione de oratione publica pro defunctis habenda, quæ illuſtris admodum eſt in Eccleſia Chriſtiana ceremonia, ſic ſcribit. *Cum mihi obiiciunt aduerſarij ante mille & trecentos annos vſu hoc receptum fuiſſe, Reſpondeo, veteres illos hac in re & mandato Dei & legitimo exemplo deſtitutos fuiſſe, abreptos denique in errorem, dum nimium publico mori & vulgi imperitiæ, cederunt.* Hæc ille. Rurſum de pœnitentiæ & ſatisfactionis forma, diſputans; *Parum*, inquit, *me mouent quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam ſimpliciter, omnes ferè quorum libri extant, aut hac in parte lapſos eſſe, aut nimis aſperè ac durè loquutos.* hæc rurſum ille: nempe paulò antè dixerat, *dupliciter illos modum exceſſiſſe.* libro eodem cap. 3. par. 16. Eadem audacia

Caluini aſtutia.

Veteris Eccleſiæ forma à Caluino repudiata.

Inſtit lib. 3 c. 5. par. 10.

Lib. eodē c. 4. par. 38.

audacia reſeruationem ven. Euchariſtiæ quũ apud vetuſtiſſimos patres in vſu fuiſſe negare non poſſet, *habent*, inquit, *veteris Eccleſiæ exemplum, fateor: ſed in re tanta nihil tutius eſt, quàm ipſam veritatem ſequi.* Hæc ille. Inſtitut. lib. 4. cap. 17. parag. 39. moxque eodem capite parag. 43. de alijs circa tam venerabile Sacramentum ritibus diſputans, vt de pane azymo, de oſtenſione ſeu eleuatione, & ſimilibus. *Si quis*, inquit, *vetuſtate tueri huiuſmodi inuentiones velit, nec ipſe ignoro quàm vetuſtus ſit Chriſmatis & exufflationis in Baptiſmo vſus, quàm non longè ab Apoſtolorum ætate Cœna Domini tacta rubigine fuerit: Sed iſt hæc ſcilicet humanæ confidentiæ procacitas eſt, quæ ſe continere nequit quin ſemper in Dei myſterijs ludat & laſciuiat.* Hæc ille. Videtis opinor, quantum veteris Eccleſiæ formæ, praxi & ritibus in religione receptis deferat, qui illa omnia humanę confidētiæ procacitatem, ludumque & laſciuiam in Dei myſterijs vocat. Quid verò, quòd in tota illa ſacratiſſima liturgiæ Chriſtianæ actione, quam Miſſam vetuſtiſſima nuncupauit Eccleſia, veterem illam Eccleſiam prorſus damnat? Ait enim. *Sed & veteres quoque illos video aliò hanc totam paſſionis Dominicæ memoriam detorſiſſe, quàm inſtitutioni Domini conueniebat. Quin & in actionis modo peccauerunt. Imitati ſunt enim propius Iudaicum ſacrificandi morem, quàm aut ordinauerat Chriſtus, aut Euangelij ratio ferebat. Non contenti enim ſimplici ac germana Chriſti inſtitutione, ad legis vmbras nimis deflexerunt.* Hæc ille. Sic de caſtitatis

Caluini procacitas in veterem Eccleſiam.

Inſtit. lib. 4 c. 18. par. 11

ſtitatis propoſito ac voto. *Fateor certè antiquitus quoque receptum fuiſſe hunc morem: ſed eam ætatem ſic ab omni vitio liberam fuiſſe non concedo, vt pro regulâ habendum ſit quicquid tunc factum eſt. Et paulatim irrepſit exorabilis illa ſeueritas, vt poſt conceptum votum nullus pœnitentiæ locus fieret. Quòd ex Cypriano cõſtat.* Hęc ille, vt non niſi de ſumma Antiquitate eum loqui lector intelligeret. Vixit enim B. Cyprianus 250. tantũ annis poſt Chriſtũ. Cal. Inſtit. lib. 4. cap. 13. num. 17. An iſte ergo reformator tantus, vel Reformatorum potius magiſter ac Dictator qdidem ſupremus, veteris Eccleſiæ formam ac typum in hac ſua reformatione ſequi velle, aut aliquo loco habiturus eſſe, videri vobis auditores poteſt?

Melanchthon vet. eccl formã repudiat.

Sed non eſt hoc huic homini ſingulare, nec ſolus hac in re ſic ſapit. Alter quoque primarius huius pretẽſæ Reformationis architectus Philippus Melanchthon, veteris Eccleſię formam non minus reiicit atque condemnat. Ait enim. *Statim initio Eccleſiæ ſcriptores veteres obſcurauerunt doctrinam de iuſtitia fidei, & auxerunt ceremonias, & finxerunt eſſe peculiares cultus, fuerunt duriores quàm oportuit in præcipiendo cœlibatu; miſcuerunt adhuc aliquam verecundam inuocationem mortuorum.* Hæc ille. Rurſum Comment. in 3. cap. 1. Timoth. *Multum,* inquit, *ſtipularum (quæ contagia opinionum Apoſtolus nominat) Auguſtinus & alij ſancti ſuper fundamentum extruxerunt circa ceremonias.* Idem docet ac repetit in locis com. in titulo de Eccleſia.

In cõment. ad 1. Cor. 3.

Sed

Sed quid vnius aut alterius hac in re mentem referimus? Magni illi Magdeburgenſes Centuriaſtæ Reformatorum Principes, euidenter oſtendunt veteris Eccleſiæ formam, in hac ſua reformatione minimè gentium ſibi arridere. In ſingulis enim Centurijs etiam primis illis poſt Chriſtum natum, quemadmodum in capite quarto quod eſt de doctrina, vnum articulum habent de *Inclinatione*, vt vocant, *doctrinæ*, in quo vetuſtiſſimorum Patrum conſentientes ſententias de rebus hodie in fide controuerſis pro erroribus, næuis, & ſtipulis illius ætatis diligenter notant; ita quoque in cap. 6. de ceremonijs & in cap. 7. de gubernatione Eccleſię, illorum temporum errores circa cultus diuini formam commemorant; idque ſanè tanta diligentia, vt *myſterium iniquitatis* de quo Apoſtolus 2. Theſſ. 2. loquitur, in ipſis primis Epiſcopis, Patribus, & Magiſtris Eccleſiæ, maximè Romanæ perpetuò operatum fuiſſe ab Apoſtolorum vſque ætate, ad noſtra hęc tempora hoc ipſo nomine oſtendant. Aiunt enim Centur. 2. cap. 6. *quoſdam Epiſcopos rerum habenis potitos ſimplicem & vulgarem conſuetudinem immutaſſe; Etſi autem in alijs quoque Eccleſiis aliquæ acceſſerunt ceremoniæ & traditiones, tamen nuſquam plures, quàm in Eccleſia Romana acceſſiſſe, reperiuntur.* In capite 7. eiuſdem centuriæ Epiſcopatus præſidentiam ſupra preſbyteros eorum temporum mutationem fuiſſe aſſerunt, & Ignatij antiphonas

Idē faciunt Magdeburgenſes.

phonas, aliaſque permultas ceremonias apertiſſimè damnant, partim vt friuolas, partim vt ſuperſtitioſas, partim etiam vt cum ſcriptura, pugnantes. Eodem modo in 3. Centuria eiſdem capitibus errores notant, ex Tertulliano, Cypriano, & ex Epiſcopis Romanis illius ætatis circa ceremonias. At verò in 4. centuria ſub cuius initio ſub Conſtantino illo Magno primo Imperatore Chriſtiano, (qui quidem religionem Chriſtianam legibus & armis tutatus eſt) florentiſſima fuit Eccleſiæ forma ac facies, & doctiſſimorum Eccleſię luminum fœcundiſſima, Athanaſij, Hilarij, Optati, Baſilij, Nazanzeni, Hieronymi, Ambroſij, Chryſoſt. Epiphanij, Cyrilli, Theodoreti, Auguſtini, & aliorum ſanè quamplurimorum, videte quæſo quam cenſuram Centuriaſtæ de eius forma ſcripto reliquerint. Cap. 6. quod eſt de ritibus & ceremonijs ſic ſcribunt, *de ceremonijs hoc primum in genere lectorem monemus, vt attentè conferat cum ſuperioribus ſeculis, & obſeruet quantum hoc ſeculum à primitiuæ Eccleſiæ ſimpliciori ſtatu degenerauit: cumulatis & in Eccleſiam inuectis tum gentilium, tum Iudaicis ritibus, & ſubinde alijs atque alijs, ex inſcitia, ſuperſtitione, κακοζηλία traditionibus humanis excogitatis, approbatis, & vſu receptis.* Hæc illi. Hac denique de cauſa Confeſſio Heluetica ab vniuerſis penè ſectæ Caluiniſticæ conuentibus ſubſcripta, & quidem modeſtiſſimè concepta, temperare tamen ſibi non potuit, quin hanc ſuam ſen-

tentiam

tentiam etſi ciuilius aperiret. De Miſſa enim in qua religionis noſtræ præcipuus cultus eſt, ſic ſcribunt. *Miſſa qualis aliquando apud veteres fuerit, tolerabilis an intolerabilis modò non diſputamus.* Apertè intolerabilem dicere nolunt. Ab eius forma tamen ſibi recedendum eſſe neceſſariò putant. Quare illa prioris argumenti pars à D. Quodlibetario propoſita, qua ad veteris Eccleſiæ praxim hęc prætenſa reformatio inſtituta dicebatur, quàm nunc vanè & mendaciter, addo etiam aſtutè & fallaciter, à Reformatoribus iſtis apud imperitum populum iactitetur, facilè mecum omnes perſpicitis.

Nunç verò hac admirabili Reformatorum ſententia perſpecta, qua & veterem quoque illam Eccleſiam, ſuperſtitionibus & corruptelis turpiter deformatam fuiſſe affirment, quæ tandem erit illa forma, quæ cultus Eccleſiaſtici facies, cuius puritas atque integritas, integerrimis iſtis reformatoribus placere queat? Quid? nulla hactenus in Eccleſia Chriſti, Eccleſiaſtici cultus legitima forma extitit? nihil ſanctum nihil purum in toto cultu atque politia externa hactenus Eccleſia habuit? *Habuit*, inquiunt, *primitiua illa Eccleſia ipſo Apoſtolorum tempore puriſſimam tum in ritibus, tum in politia diuini cultus formam. Sed ſtatim poſt Apoſtolos obliterata, deleta, & abolita illa tota forma eſt.* Hui tam cito? Sed hoc nunc omittamus, dicturi mox poſtea plura. Rogo interim, quæ ſaltem illa primitiua,

Poſtrema Proteſtantiũ ſententia de ſuæ reformationis forma

 tiua,

ṭiua, puta pura, & primò prima forma, ita vnicè vobis placẽs, tam cito deperdita, tam infœliciter Eccleſiæ Dei ſtatim erepta fuit? Hic reſpondent. *Simplices & veras ceremonias à Chriſto inſtitutas, Apoſtolos diligenter obſeruaſſe.* Audio. Sed has à Chriſto inſtitutas & ab Apoſtolis obſeruatas, quî tandem vobis conſtat à reliqua Eccleſia neglectas fuiſſe, aliáſque humanas traditiones, quibus Deus fruſtra colitur, earum loco, vel vnâ cum illis, inuectas fuiſſe? *Quia*, inquiunt, *quas Chriſtus* inſtituit *vel etiam Apoſtoli, poſtea ad ædificationem & bonum ordinem atque* decorum ſeruandum *ordinarunt & obſeruarunt* (hoc enim etiam aliqui reformatores concedunt; vt Magdeburg. Cent. 1. lib. 2. cap. 6. ſed addunt *liberè ordinatas, & liberè obſeruatas illas fuiſſe*; vt ſanè ſi fortè Reformatoribus iſtis etiam illę propriè Apoſtolicæ diſplicuerint, liberè eas deſerere, & abolere poſſint:) *illæ omnes in noui Teſtamenti* hiſtoria & rebus geſtis comprehenduntur, *reliquæ* non cõprehenduntur: *ideoq́; à Chriſto vel Apoſtolis neutiquam profectæ fuiſſe, cenſebuntur.*

Admirabilis hæc ſanè eſt & altiſsimè petita Reformatorum præſcriptio, quam tamen neque omnes admittunt. Nam alij præclari quoque Reformatores, maximè Geneuenſis ſcholæ diſcipuli, ne quidem Apoſtolis ipſis hanc poteſtatem concedunt, quam Magdeburgenſes Lutheranos conceſſiſſe modo audiuiſtis. Ait enim eorum primus Archididaſcalus. *Nempe ſi* Apoſtoli ſunt, ne garriant *quicquid,*

quid collibitum fuerit, ſed mandata eius à quo miſſi ſunt bona fide perferant. Hæc ille Inſtit. libro 4. cap. 8. par. 4. ſatis opinor pro imperio, ſatis Ariſtarchicos. Itaque, iuxta hanc ſupremi Magiſtri doctrinam, docent conſtanter diſcipuli, *Apoſtolis hoc tribui non poſſe ſine iniuria Chriſti*; Sic enim tradunt libelli anonymi Caluiniſtarum Lugduni gallicè excuſi, & illa potiſſimum Apologia quæ contra Franciſcum Balduinum à quodam apoſtata Carmelita magno impetu effuſa eſt: in qua ſane author, reformationis futuræ normam ac regulam, *ipſius D. Lucæ Euangelij limites excedere non patitur.* Ipſum enim vniuerſa plenius comprehendiſſe quæ Chriſtus docuit, inſtituit, fecit. Erit ergo hæc reformatio adhuc paulò altius, vt videtis, repetita.

Caluinus etiã contra Apoſtolos præſcribit.

Sed nunc tam hæc quàm illa altera de ſolo Apoſtolorum tempore præſcriptio, quot modis & quantis nominibus abſurda ſit nonnihil diſpiciamus. Quod etiam dum facimus, alteram prioris argumenti partem diſſoluimus. Primum omnia quæ ad ceremonias & politiam Eccleſiaſtici cultus pertinent, à Chriſto viua voce mandata fuiſſe, eſt audaciſſimorum hominum ſine vlla probatione, impudens aſſertio. Sané Chriſtus ipſe apertiſſimè dicit omnia ſe non dicere Apoſtolis, *quia omnia portare non poterant* Deinde vt concedamus omnia & ſingula Chriſtum ipſum viua voce mandaſſe, tamen illa

Quòd Reformationis linea nec ex ſolis Scripturis nec à ſolo Apoſtolorũ tempore ducẽda eſt.

Ioan. 17.

omnia & ſingula ab Euang. & Apoſt. ſcripto mandata fuiſſe, & ipſe Euang. Ioan. in fine ſui Euangelij apertis verbis, & ipſe Apoſtolus Paulus 2. ad Theſſ. 2. iubens *teneri traditiones, tam per ſermonem traditas, quàm per epiſtolam ſcriptas*, luculentiſſimè negant. Vt taceam quod Apoſtolus Paulus, cùm pauca quædam circa ritus in cœna Dominica obſeruandos ad Cor. ſcripſiſſet, adiecit. *Cætera cùm venero diſponam.* *Vnde intelligi datur*, (Ait Auguſtinus) *multum fuiſſe vt in illa Epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret Apoſtolus, quem vniuerſa per orbem ſeruat Eccleſia.* Iam verò Apoſtolos ipſos omnia ſanè huiuſmodi inſtituiſſe & ordinaſſe, concedi fortaſſe nō abſurdè poteſt. Sed (quod obſeruare iſti Reformatores debent, ſed nolunt) aliud eſt ordinare & inſtituere, aliud obſeruare & executioni mandare. Quæ enim Apoſtoli ſtatim ab Eccleſię initio circa cultum externum pręſcripſerunt, ea ſtatim publicè obſeruari ab ipſo initio non potuerunt. Non abnuerim ſanè Apoſtolos ipſos aut certè Apoſtolicos viros, vt Epiſcopos ab eis ordinatos vel alios 72. diſcipulos (quid enim obſecro abſurdi erit, illos viros in religionis cultu & politia ex Spiritus Sancti ſuggeſtione ordinare potuiſſe, quibus etiam datum eſt Euangelia ipſa conſcribere, vt Marco & Lucę qui Apoſtoli non erāt, maximeque ipſi Paulo tot epiſtolas ſcribere, qui de numero etiā duodecim aut Chriſti in terris diſcipulus nunquam fuerat?)

1. Cor. 11.
Epiſt. 118.

tat?) ea omnia circa cultum & politiam ordinaſſe, quę poſtea vniuerſa vniuerſaliter & neceſtariò obſeruat Eccleſia. Dico vniuerſaliter & neceſſariò, quia diligenter tam in cultu quàm in politia, hæc diſtinctio ſeruanda eſt. Primum alterius generis eſſe, minuſque vel obligare, vel etiam ex ſeipſis neceſſaria eſſe, quæ aliqua certa regio obſeruat; alterius verò magiſque obligare quæ vniuerſa per orbem celebrat, & frequentat Eccleſia. Rurſum alia eſſe quę ad ipſam cultus aut politię ſubſtantiá atque eſſentiam, pertinent. Vt in cultu Sacramenta ipſa, ipſorum materiam, formam, miniſtrum, Sacrificium quoque Chriſtianæ Eccleſiæ proprium. In politia Epiſcoporũ & Sacerdotum ordinationem, poteſtatem, functioné. Hæc enim tanquã planè (vt ita loquar) eſſentialia Chriſtus Dominus (in quo erat omnis poteſtas eminenter & excellenter,) ordinaſſe & inſtituiſſe creditur. Alia verò eſſe etſi non ad ipſam eſſentiam & naturam rerum harum pertinentia, tamen ad ipſam integritatem, & bene eſſe, neceſſariò quoque vel neceſſitate finis vel neceſsitate præcepti, ſpectantia. Hæc Apoſtoli vel Apoſtolici viri inſtituiſſe creduntur, neque immutari poſsunt, iuxta Auguſtini & Cypriani doctrinam. Alia demũ ſunt, quæ ad ædificationem præſentem, ad ornamentum & decorem faciunt. Hęc ſanè vel ab Apoſtolis inſtituta ſunt, vel ab alijs poſtea Epiſcopis & maximè Cõcilijs ſeruata mode-

Variæ diſtinctiones in cultu & politia Eccleſiæ obſeruandæ.

Auguſt. de doct. chriſtiana lib. 3 cap. 9. Et Cyprianus in ſermone de ablutione pedum.

ratione ſtatus & libertatis Euangelicæ, inſtitui potuerunt. Quæ ſanè omnia ab Eccleſiæ quidem ſuccedentibus magiſtris liberè ſeruari aut aboleri poſſunt; vel cauſis ipſis primæuę inſtitutionis ceſſantibus, vel quatenus ſine periculo pernicioſæ diſſenſionis, abrogari poterunt. Ab ipſis verò ouibus nunquam ſine Paſtorum mandato reiici aut contemni poſſunt. Quamobrem valebit in hac cauſa nobiliſsima illa S. Auguſtini diſtinctio, velint nolint Reformatores iſti, qui de hac re diſputant, & de variis ceremoniis interrogatus, reſpondet. *Ad hac ita reſpondeo, vt quid horum ſit faciendum, ſi diuinæ ſcripturæ præſcribit Authoritas, non dubitandum, quin ita facere debeamus vt legimus. Similiter ſi quid horum tota per orbem frequentet Eccleſia. Nam hoc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Tertium genus eorum eſt quæ per loca regioneſque variantur. Faciat ergo quiſque in iſtis quod in ea Eccleſia in qua venit, inuenerit; dummodo nihil aut contra fidem aut contra bonos mores, fiat.* Hæc ille. De ijs autem quæ toto orbe in Eccleſia frequentantur, in eadem epiſtola dicit capite 1. *Illa quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenarÿs Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima Authoritas, commendata atque ſtatuta retineri.* Hæc ille. Quæ ergo Apoſtoli ordinarunt, ea ſunt quę vniuerſa Eccleſia obſeruat, vtcumq; illa in literis Apoſtolicis ſcripta non ſunt.

Aug. epiſt. 118. cap. 5.

Eț verò quemadmodum in doctrina fidei probans

probant luculenter Catholici, nec Euangeliſtas nec Apoſtolos omnia ſcripſiſſe, ita multò maximè in hac quæſtione cultus & politiæ, vera illa propoſito eſt. Nam de ritibus, ceremonijs, & gubernatione Eccleſiaſtica illuſtria illa teſtimonia vetuſtiſſ. patrum habemus, Dionyſij Areopagitæ Hierarch. Eccleſ. capite 1. Origenis libro 2. contra Celſum, Euſebij Pamphili demonſtrat. Euang. lib. 1. cap. 6 S. Baſilij in libro de Spiritu Sancto capite 27. Epiphanij hęreſi 61. Chryſoſt. homil. 1. in acta & in 1. Cor. 11. homil 26. Auguſt. de Baptiſmo contra Donatiſt. lib. 2. capite 7. & lib. 5. capite 23. In quibus diligentiſſimè docent, non ſolum Apoſtolos de facto plurima ſine ſcriptis ordinaſſe, ſed etiam grauiſſimis ex cauſis illud & ſtudio feciſſe. * Ipſa & loca & cauſas huc in medium afferre prolixum nimis eſſet. Illa ergo præclara reſtrictio de forma cultus & politiæ Eccleſiaſticæ infra ipſos literarum Euangelicarum & Apoſtolicarum cancellos comprimenda, quàm ſit vana & futilis, iam ſatis opinor oſtenſum eſt.

De cultu & politia Eccleſiaſtica, nō omnia ſcripſerunt Apoſtoli.

Prolata ſũt hæc omnia in Apologia Recentioris Eccleſiæ.

Quid verò quod ipſi iſti Reformatores reſtrictionem illam nullo modo obſeruant? Nam vt taceam quàm multa in cultu & politia nobiſcum adhuc obſeruant Reformatores iſti etiam puriſſimi, vt diem Dominicum, alia præcipua feſta, templorũ vſum, quadrageſimę ſaltem aliqualem abſtinentiã, quorum nihil Apoſtoli ordinaſſe in Scripturis legun-

Reformatores ipſi formã à ſe præſcriptã non ſeruãt.

leguntur, illuſtre valde eſt quod reformata illa Anglicana Eccleſia quam Scotica confuſio in plæriſque imitata eſt, & à Bucerana illa (vt videtur) Reformatione olim in Eccleſia Colonienſi ſed fruſtra tentata, ortum accepit; tot & tantas habet nobiſcum ceremonias in cultu, tot officia in politia, vt in Baptiſmo crucis ſignaculum, patrinos, profeſſionem fidei, abrenunciationem Satanæ, omneſque illas veteres ſtipulationum & ſponſionum formulas; In cœna Domini panem azymum & geniculationes; In reliquo cultu pſalmodiam illam alternãtem, cantus, organa, ſuperpellicij & Cappæ geſtationem; Obſtetricum quoque in neceſſitate baptiſmum & ipſum baptiſterium Eccleſiaſticum; In politia verò præter Epiſcopos ſeu ſuperintendentes, & miniſtros abſque populari electione à ſolo Epiſcopo ordinatos, nec ſemper certæ alicui parochiæ aut curæ affixos, etiam Archiepiſcopos, Archidiaconos, Officiales, Decanos, Canonicos, excommunicationem quoque illam non totius congregationis, ſed ipſius Epiſcopi aut eius ſubſtituti Authoritate factam; vt ſanè hoc ſolo nomine & propter iſtas in politia & cultu obſeruationes, nobilis quædam exorta ſit in Anglia & ampla ſatis Puritanorum ſecta, qui non verbo tantum, ſed & ſcriptis libris quibus cæteri Reformati reſponderunt, (ſed replicantibus Puritanis, atque adeo poſt aliorum duplicationem iam nuper triplicantibus)

Puritanorũ ſectę in Anglia cauſa & origo.

tibus,) atque aperta diſceſſione vniuerſam illam Angliæ Reformationem penitus cōdemnarit, Reformatores iſtos Traditionarios non ſecus ac nos pronunciauerit, Antichriſtianiſmi denique ream, proclamauerit: quo ſanè iure, ipſi inter ſe viderint. Neque enim adhuc inter partes litigari ceſſatum eſt, aut conclusi adhuc ſacculi, currente ſemper clepſydra. Vtrumque autem hoc Reformatorum genus, reformatas iſtas Helueticas & germanicas Eccleſias ſeſe ſequi clamitat. Proferuntque vtrique Petri Martyris, Bullingeri, Caluini, Muſculi, Brentij hac de re literas, iudicia, reſponſa, vtri verius viderint & ipſi. Interea pulchrum eſt hos bellos Reformatores tam bellè inter ſeſe de Reformationis modo conſpirare, & tam ſuaui harmonia hoc ſuum canticum nouum, concinere.

Vide plura in Triplicatione nostra contra VVhitakerum cap. 19

Sed vt ad noſtram quam quęrimus Reformationem redeamus, illud nunc diligenter & attentè expendamus, quod veteris Eccleſię formam & prima illa Eccleſiæ Chriſtianæ ſecula, Apoſtolos proximè ſecuta tam procaciter Reformatores iſti omnes reijciunt. Videamus, inquam, quo iure id faciunt; videamus 1.
an illa potiſſimum forma neceſſariò pręſcribere nō debeat, ſi aliqua ſaltem cultus & po- 2.
litiæ quæ nunc in vſu ſunt reformatio ineūda eſt; videamus deniq; an Reformatio eſſe vllo 3.
modo poſſit, quę illam formam non agnoſcit. Quæ tria dum breuiter expendo, diligenter

quæſo

quæſo aduertite. Multa enim quaſi argumentorum ſemina, paucis verbis complectar.

Dico igitur primùm nullo iure, & non ſine maxima contumelia; imo in Dei ſpiritum blaſphemia, illius ætatis & veteris Eccleſiæ Chriſtianæ formam ab iſtis reformatoribus tanquã deformem, repelli poſſe. Quid enim? An illa Eccleſia ritus Iudaicos aut ethnicos admittere potuit, quæ vna ne vel Iudaiſmus in Eccleſiam inueheretur, vel ethnicorum ſuperſtitionibus vlla ex parte contaminaretur; aliquot ſeculorum perpetuas cruces & perſecutiones in tot mille martyribus, pertulit? Quis neſcit in primo illo Apoſtolico concilio Actor. 15. diligentiſsimè contra ritus Iudaicos cautum & decretum fuiſſe? Cumque paulò pòſt celeberrima illa de Paſchate quæſtio agitaretur, nónne illorum opinio penitus reiecta eſt, quæ ad aliquem Iudaiſmum accedere videbatur? At verò cùm vtraque illa Pauli Apoſtoli ad Galatas & ad Hebræos Epiſtola contra Iudaiſmum maximè detonaret, eumque penè prorſus expungeret, adeò cæca fuit proxima Apoſtolis Eccleſia vt Iudaicos ritus affectaret? Debuit quidem non ſine honore ſepeliri Synagoga, & multa legalia etſi iam mortua non tamen adhuc mortifera aliquandiu in conuerſijs Iudęis tolerare oportuit, vſque ad ſufficientem Euangelij propagationem, ne ſic à Iudaiſmo quemadmodum à gentiliſmo receſſum fuiſſe videretur; vt doctiſſimè

Quod vet. eccl. forma deformis eſſe non potuit.

Quòd Iudaiſmi nõ ſit rea vetus eccleſia.

Epiſt. 19. ad Hieron.

ctiſſimè diſputat Auguſtinus, nihilominus tamen tum propagato Euangelio amplius non ſunt tolerata, tum etiam in prima ipſa Euangelij herba Nazaręi & Ebionitę, aliqua Iudaica ſuperſtitioſè & Iudaicè retinere volentes, ab Eccleſia illius temporis pro hęreticis eiecti ſunt. Dico ſuperſtitioſè & Iudaicè; Nam varij ritus apud Iudæos fuerunt, non tamen propriè Iudaici, ſed qui vel omnium temporum fidelibus communes ſunt, ideoque etiam Chriſtianis communes eſſe poſſint, vt illi omnes qui ad cultum Dei ordinabantur, & non erāt figuratiui: Alij verò tales, qui etiamſi nunc retinentur, ſuntque figuratiui (quia adhuc ſub imagine ſumus futurorum) tamen ex diuerſo fine & vſu, fiunt non Iudaici ſed Chriſtiani: vt de feſtorum & ieiuniorum obſeruatione, eruditè diſtinguunt S. Hieron. in comm. ad Gal. cap. 4. & Leo magnus ſermone 4. de ieiunio 7. menſis. Auguſtinus quoque contra Adimantum cap. 16.

Hieron. epiſt. 11. inter epiſt. Auguſtini.

Hebr. 10.

Idem de ethniciſmo etiam, quem illi Eccleſiæ obijciunt Reformatores iſti, dici copiosè poteſt. Docet ſanè Auguſtinus templa, ſacerdotes, ſacrificia, *non ideo culpanda quia pagani illis vtuntur, ſed quia Dæmonijs non vero Deo exhibentur*: docet porro ſacrificium externum non alia de cauſa à Dæmonibus expeti, quàm quia cultus eſt propriè diuinus. De ciuitate Dei lib. 10. cap. 19. Et contra Fauſtum lib. 20. capite 21. 22. Imo ſanè oſtendit Tertullia-

De ethniciſmo purgatur vetus Eccleſia.

Epiſt. 49.

tullianus habere diabolũ ſuum baptiſmum, ſuam panis oblationem, ſuas virgines & continentes in lib. de præſcript. & lib. 1. ad vxorem. Multa de hac diaboli æmula quadam diuini honoris affectatione ſcribit Hieronym. lib. 2. contra Iouinianum: multa etiam Iuſtinus martyr in Apologia 2: Sed hæc omnia cùm dæmonijs exhibentur, noxiæ ſuperſtitiones, cùm Deo, vera & ſalutaris religio ſunt: vt in prædictis locis omnes iſti Patres docent. Quę ergo iſta Reformatorum horum eſt non tam intemperies ſuperba, quàm etiam inſcitia craſſa, vetuſtiſſimæ Eccleſiæ propter religioſiſſimos in diuino cultu ritus, Iudaiſmũ & ethniciſmum obiectare?

Sed agam ſuccinctius. Illa vetus Eccleſia ſi in tota ratione cultus & politiæ ita turpiter impegit & hallucinata eſt, veſtro ô Reformatores iudicio, quidni pari cenſura omnes hæreſes abſoluitis, quas illa Eccleſia damnauit? Marcionitas, Manichæos, Sabellianos, Valentinianos, Arrianos, & alia infauſta nomina? Quid enim? habere illa Spiritum Dei potuit, vt de ſana doctrina iudicaret, vt autẽ rectè Deum inuocaret, piè coleret, in legitima politia ageret, habere non potuit? Videtis opinor, quantus hic mihi dicendi campus aperitur, in quo excurrere poſſet oratio; ſi aut quæ vobis digna ſint ego dicere vellem, aut quæ cauſę dignitas poſtulat omnia percenſere ac perurgere, pergerem.

Sed

Sed tranſeo ad alia. Ecce Apoſtoli certas ceremonias, certam politiam inſtituerant: Eccleſias fundauerant; Euangelium propagauerant. Quid? Vel cùm vix dum nata eſſet, mox euanuit; vel prius defecit, quàm adhuc bene ſubſiſteret Eccleſia? In certa inquam, diuini cultus forma, in certa & legitima politia ſubſiſteret? Tempus enim libertatis in ſtatu Euangelico, etſi tollat ſeruitutem illam Iudaicam quę erat ſub ſignis non intellectis, qua tamen ſeruitute nec illi premebantur, quia ſaltem in genere intelligebant per illa ſigna Deo ſe ſeruire, non facit tamen vt nulla habeamus ſigna, vt eruditè docet Auguſtinus, aut vt nulla ſit certa & conſtituta tum cultus Eccleſiaſtici tum etiam politiæ forma, atque hypotypoſis, qua à quacunque alia religionis ſpecie, euidenter diſtinguatur. Dico ergo. Hęc forma aut nunquam eſt viſa, aut ſtatim diſparuit? Tot de Eccleſia Chriſti per orbem terrarum propaganda & omnes gentes occupatura, in lege, in pſalmis, & Propheris teſtimonia, tot prædictiones ſtatim cum Apoſtolis ipſis perierunt? Vetus eſt hæreticorum cantilena, *Totus mundus apoſtatauit, & apud nos ſolos remanſit Eccleſia*. Hæc Donatiſtarum vox fuit apud Auguſtinũ, lib. de vnitate Eccleſiæ. Hæc Montaniſtarum apud eundem Auguſtinum lib. 32. cap. 17. contra Fauſtum. Hæc Luciferianorum, qui *Eccleſiam verſam eſſe in lupanar* dixerunt teſte Hieron. in dialogo cõtra illos.

De doctrina Chriſt. lib. 3 cap. 6 & ſeq.

Cap. 12.

M hæc

Hęc Marcionitarum teſte Tertul.in pręſcript. Et denique quorum non? Sed reſpondemus cum Auguſtino, *Nullo modo fieri poteſt, vt tam cito & ex tot gentibus peritura Eccleſia, tot teſtimoniis, tam ſublimiter & tam indubitanter prædicaretur.* Aut quod dicit Tertull. *vt hos ſolos liberanda veritas expectaret.* Periit autem & Dei eſſe Eccleſia non potuit, quæ relictis Apoſtolorum inſtitutis, nullam diuini cultus legitimam formam tenuit, ſed ſuperſtitioſè, Iudaicè, ethnicè Deum coluit. Aut ſi tenuit illa Eccleſia legitimam diuini cultus formam, quid ab illa forma, ô ſtrenui Reformatores tam trepidè reſilitis? At ô Deum immortalem, ſi illa vetus vera Dei Eccleſia nō fuit, atque iſta poſterior veſtro iudicio multò minus, quæ vos Deo Eccleſia genuit, aut cuius tandem Eccleſiæ filii eſtis? Hic iterum quanto impetu mea in vos excurrere poſſet oratio, ſi ſuo iure vti vellet, facilè opinor perſpicitis.

De vnit. Eccl. c. vlt.

Sed ad alia adhuc grauiora feſtinat, vt cùm nullo vos iure veteris Eccleſię formā repuliſſe oſtenderit, id nunc conſequenter oſtendat, quam vos puri & ſpirituales homines pro fœda & deformi Eccleſiaſtici cultus atque politiæ forma repuliſtis, illam eſſe potiſſimam formam & hypotypoſim quæ neceſſariò & vobis & nobis præſcribere debeat, ſi ſanctam aliquam & iuſtam reformationem inire volumus. Accipio autem hoc in loco illud 4. centuriæ ſeculum, ſub cuius initio Conſtanti-

nus

nus ille magnus Chriſto nomen dedit;& quo currente ſeculo tot nobiliſſima Eccleſiæ Catholicæ lumina ſuperius nominata floruerũt; cuius denique ſeculi tot & tantas ſuperſtitiones, χαλκοζηλίας, cumulatos Iudæorum & gentiliũ ritus, taxant & redarguunt Magdeburgenſes. Dico huius potiſſimum ſeculi formã, glorioſiſſimam & perfectiſſimam Eccleſiæ Chriſtianæ formam fuiſſe, & multis de cauſis in Reformationis negotio pręſcribere debere. Quod dum breuiter ſed euidenter oſtendo, iterum quæſo, diligenter aduertite.

Primum hoc demum ſeculo veteres illę nobiles & illuſtres Eſaiæ, Hieremię & aliorum Prophetarum prędictiones impletę ſunt, toto videlicet orbe terrarum ſaltem cognito, non ſolum ad Chriſti fidem tunc conuerſo, ſed etiã tunc primum liberè & propalam glorioſum Chriſti nomen celebrante, & quicquid religionis Chriſtianę erat, liberrimé dictis & factis, fide & cultu exercente. Quanta huius rei adferri teſtimonia poſſunt? Pauca tantum, ſed ni fallor luculentiſſima breuiter notabo. Quo primum tempore Chriſtianorum Eccleſias aperiret toto orbe Conſtantinus, inter alias multas etiam de nouo extructas & dedicatas tunc ritu ſolenni Eccleſias, illuſtris illa fuit Paulini Tyriorũ Epiſcopi dedicatio, in cuius encænijs in habita panegyrica oratione elegãti & prolixa (quã Euſebius Pamphili hiſtorię ſuę Eccleſiaſticę inſeruit,) vt alia multa de illius

Quarto poſt Chriſtum ſeculo Eccleſia flo:entiſſima.

Lib.10.c.4

illius tunc Eccleſiæ florentiſſimo ſtatu decantantur; ita inter cætera de impletis tunc primum veteribus prophetijs multa gloriosè referuntur, quę hic certè commemorare iucundum fortaſſe ſed nimis prolixum, foret. Sanè multis prophetijs ex pſalmis & Eſaya prolatis, *Vt iſta*, inquit, *olim verbis diuinitus prædictâ Sacris literis commendata ſunt, ſic euenta earum non amplius auditione, ſed reipſa nobis traduntur*. Moxque illud Aggæi Prophetæ, *Maior erit gloria huius domus nouiſſimæ quàm primæ*, illo tum tempore adimpletum fuiſſe bis terue inculcat. Quam etiam prophetiam de Chriſtiana Eccleſia ſuo tempore completam fuiſſe, diligenter oſtendit Auguſtinus de Ciuitate Dei, libro 18. capite 48. Sic Malachiæ prophetiam de inuocatione Dei in omni loco ab ortu ſolis vſque ad occaſum, ſuo tempore expletam exprobrat Iudæis in oratione aduerſus Iudæos tom.6. Tantundem quoque de alijs prophetijs ſuo tempore de florentiſſimo Eccleſię ſtatu completis, varijs in locis contra ſui temporis hæreticos inculcat, de vnit. Eccleſiæ cap.14. & ſeq. contra Creſconium lib.3. cap.65. Tract.1. in epiſtolam Ioannis. In libro de Paſtoribus capite 8. Et in pſalmos creberrimè. Idem facit Theodoretus hæretic. fabularum lib.3. in fine. Chryſoſt. in demonſtratione contra gentes quod Chriſtus eſt Deus. Hieron. contra Luciferianos. Proſper promiſſ. & prædict. par.3. cap.36. & de vocatione gentium lib.2. cap.16.

Cap.2. [margin, beside "que illud Aggæi"]

Cap.1. [margin, beside "pite 48."]

Hoc

Hoc ergo quarto ſeculo tota illa politia Eccleſiæ Chriſtianę, totus ille magnificus & puriſſimus veri Dei cultus qui totis ante trecentis annis vel in ſpeluncis latitabat, vel in priuatis ędibus, aut certè paruis ædiculis (quas Dominicas vocabãt,) obſcurius celebrabatur; toto orbe ad Chriſti gloriam emicuit. Liberã enim & illuſtrem religionis Chriſtianæ formam, primùm ſanè ipſum templum Hieroſolymitanum cum ſuis adhuc ceremonijs ſuperſtes, deinde illo deſtructo perpetua fere perſecutionum rabies, potiſſimum verò quod nondum prophetia illa impleta fuerat, *Erunt Reges nutritij & Reginæ nutrices tuæ*, hactenus impediuerat. Esaiæ 49. Quod ergo Apoſtoli inſtituerant, nec dũ vel propter Iudęorum infirmitatem, vel propter gentium improbitatem, executioni mandari poterat; ſub hoc Cõſtantino magno primum quaſi ſub Salomone, exędificatum fuit. Cuius etiam figura eſſe potuit illa Moſaicæ Synagogæ forma, multis ante annis in deſerto lata atque præſcripta, quàm à Salomone extructo templo adamuſſim obſeruaretur.

Neque verò huius florentiſſimi ſeculi formam integerrimam non potuit non ipſe Caluinus ingenuè agnoſcere in ea epiſtola quam ad Illuſtr. Cardinalem Sadoletum ſcripſit, in qua quicquid ingenuitatis aut modeſtiæ habuit, ad virum doctiſſimũ & eloquentiſſimũ pro ſuis Geneuenſibus apologeticè ſcribens, declarare voluit. Ait enim. *Si veterem illã Eccleſiæ* Caluini confeſſio de veteris Eccleſiæ forma.

faciem, qualem Hilarij, Ambroſij, Chryſoſtomi, Baſilij, Auguſtini, Cyrilli monimenta exprimunt, & deinde ruinas quæ ſuper ſunt contemplemur, videri ſanè poteſt, illam fuiſſe Eccleſiam qualis ſub Dauide & Salomone floruit; hãc verò qualis ſub Sedechia & Ioachim vitiata erat. Hæc ille. Vt quid ergo ab hac tam illuſtri forma præclari iſti Reformatores receſſerunt, niſi quòd vel illa iam longè alia eſſe apparet, quàm initio huius ſchiſmatis & controuerſiæ eſſe videbatur, (illius temporis exemplis & monimentis nondum tanta diligentia exploratis & explicatis) vel quod aliud præ ſe ferre apud doctos & magnos viros volunt, vt hac ſe arte in gratiam & fidem inſinuent, aliud poſtea facere authoritatem iam & fidem ſemel adepti? Egregia ſanè & totius Eccleſiæ Reformatoribus digna, vel inſcitia, vel impoſtura.

Proteſtantum dolus malus.

Sed vt ad huius ſeculi formam redeamus, integerrimam ſanè illam, & ab omni corruptela puriſſimam fuiſſe, vel hoc etiam demonſtrat; quod cum tot illa ætate peſtilentes hęreſes exortę, tot nefaria ſchiſmata nata fuerint, cultus tamen Eccleſiaſtici & politiæ formam quæ tunc obtinebat, nec vlla hæreſis in dubium vocauit, nec vllum ſchiſma violauit. Arriani enim, Eunomiani, Macedoniani, Neſtoriani, Eutychetæ, Donatiſtæ, Pelagiani, Schiſmatici quoque illi Meletiani, Luciferiani, eodem planè ritu quo Catholici Deum coluerunt, eadem quoque politia vſi fuerunt,

Quarti ſeculi in cultu integritas.

vt partim Auguſtinus in libro de vera religione cap. 5. partim hiſtoria illorum temporum manifeſtè docet. Quòd enim eo tum tempore Vigilantius Sanctorum & reliquiarum cultum, Ærius ſtata Eccleſię ieiunia, & orationes pro defunctis vellicare ſunt auſi, doctrinæ adhuc magis quàm vniuerſi cultus reprehenſio & quæſtio erat. Interim ſanè ſi quis cœtus & conuenticula hæreticorum fere omnium ingreſſus fuiſſet, nullam aliam externi cultus formam quàm quæ apud Catholicos omnes in vſu erat, conſpexiſſet. Itáne vero Iudaici ritus, ſuperſtitiones & ethniciſmi affectatio in Eccleſiam illam tunc florentiſſimam irrepſit, quam tamen capitales illius Eccleſiæ hoſtes non ſolùm non animaduertere potuerũt, nec reprehendere auſi ſunt, ſed etiam pariter amplecti & venerari voluerunt? Sed infinita ſunt illa abſurda quæ ponere oportet; innumera ſunt illa paradoxa quæ concedere neceſſe eſt; nec vllus fere blaſphemiarum finis eſt quas agnoſcere conuenit; vt horum Reformatorum prætenſa reformatio, eam apud nos quam poſtulat fidem & authoritatem obtineat. Videte autem qualia.

Quot abſurda & paradoxa ſibi vltrò concedi prætenſa Reformatio poſtulet.

Primum in quæſtione de Reformatione, de interioris hominis emendatione, de vitæ ac morum ſanctitate nihil diſputandum eſt; quia ad iuſtitiam aut ſalutis neceſſitatem iſta non pertinent. 2. Ponendum eſt, Apoſtolos ipſos nihil aliud in culu, aut mandare, aut

admittere potuiſſe, quàm Chriſtus viua voce mandauerat,& Euangeliſtæ in ſcripta retulerant. 3. Dicendum eſt, Si quid fortè illi per Spiritum S. ordinare potuerunt,& illud quoque totum in illorum literis expreſsè conſcribendum fuiſſe 4. Concedendum eſt ſtatim poſt Apoſtolos puritatem illam,ſeu Euangelicam ſeu Apoſtolicam deformatam, obliteratã,deletam fuiſſe. 5. Agnoſcere nos oportet,nullam hactenus ne quidem cùm maximè florebat religio Chriſtiana,legitimã Eccleſiaſtici cultus atque politiæ formam ſubſtitiſſe, 6. Dandum illis eſt, Eccleſiã ſtatim vt in ſtabili aliqua & illuſtri forma ſubſiſtere cœpit apoſtataſſe; & myſteriũ iniquitatis perpetuò vſque ad Lutherum renatum, operatũ fuiſſe. 7. Permittendum illis eſt,vt abolita,abiecta, & conculcata, veteris cuiuſque Eccleſiæ forma,nouam ipſi formam inſtituant,partim iuxta verbum Dei prout ipſi volunt intellectũ, partim etiam præter & extra illud verbũ,quæcunque illi cultui vel politiæ conuenire exiſtimauerint quod in Conſiſtorijs Caluinianis, maximè apparet. 8. Negandum verò hoc totum eſt eccleſiæ præpoſitis,Epiſcopis,paſtoribus, doctoribus: & ſi quid illi vel ex ſacris ſcripturis hauſtum,vel ab Apoſtolis traditũ & hucuſque conſeruatum,in cultu & politia obſeruent; vel ſi quid præterea ad ædificationẽ & decorem ipſimet inſtituant;dicendum eſt hoc totũ eſſe traditiones humanas, quibus fruſtra colitur

colitur Deus: eſſe Iudaiſmos, ethniciſmos, ſuperſtitiones, idolomanias, & quocunq; demũ nomine appellitare, aut crimine notare pro ſuo imperio & poteſtate, libuerit. Hęc vt dixi, omnia iſtis Reformatoribus danda & concedenda ſunt, vt illi ſuam Reformationem ſtatuant. Hæc niſi omnia conceſſeris, nihil illi egerint. Nam nec abſque illis poſitis progredi hoc præclarum opus poteſt, nec illa probare & pro veris confirmare vllo vnquam ſeculo, potuerint. Si quis ergo tam demens & excors, tam vel à cõmuni ſenſu alienus, vel ſuæ ſalutis prodigus eſſe velit, vt hęc illis omnia ſua ſpõte cõcedere & dare velit, fruatur ille ſanè per me licebit, inſania non aliena, ſed ſua: & reformetur magis ſemper ac magis, donec non in Euphorbum nec in porcum, ſed planè in Satanę membrum, & atheon tandẽ penitus transformetur. Volo denique vt hoc ſanè ſenſu Reformatores habeantur iſtius reformatæ Eccleſiæ magiſtri & præcones. Imò ſanè non alio ſenſu Reformatores illos eſſe aut dici poſſe, manifeſta ratio conuincit. Quod nunc tertio ac poſtremo loco breuiter oſtendam: hanc videlicet prætenſam reformationem quæ veteris illius Eccleſiæ formam pro pura & legitima non agnoſcit, veri nominis reformationem nullo modo eſſe poſſe.

Hic ergo repetere mihi breuiter neceſſe eſt quod ſuperius explicatũ dedi. Reformationẽ omnem formã prǽexiſtentem præſupponere, iuxta

Quòd reformatores nullo modo eſſe poſſunt.

qui veteris Ecclesiæ formā non agnoſcunt.

iuxta cuius normā, idæam, & exemplar inſtituatur reformatio. Hanc formā diuini cultus certam ſtabilē ac conſtitutam, duplicem tantum hactenus in terris fuiſſe: Moſaicā & Euāgelicam ſeu Apoſtolicam. Ceſſante autem penituſque abolita Moſaica, retinendā eſſe Apoſtolicam. Hanc Apoſtolicam proximos Apoſtolorum ſucceſſores retinuiſſe, & florentiſſimum illud Eccleſiæ Chriſtianæ tempus ſub primis Imperatoribus Chriſtianis exactè obſeruaſſe, propter ea quæ iam dicta ſunt, manifeſtum eſt. Qui ergo hodie hanc veterem formam tam procaciter reijciunt, tam audacter repellunt, tam confidenter contemnūt, transformatores certè eſſe poſſunt, & tertiæ alicuius authores, Reformatores eſſe non poſſunt. Sicut autem tertius Eccleſię ſtatus non eſt, ita nec tertia forma expectanda eſt; niſi fortè ad Antichriſtum hęc nos Reformatio ducat. Illius enim certè ſtatus quidam in terris erit illuſtris admodum & conſpicuus, cuius etiam noua quędā erit & à Chriſtianiſmo plurimū diuerſa forma. Hanc illi ſi inſtituunt, apertè id & ingenuè dicant. Nos ſanè Chriſtiani tales formas exhorreſcimus, execramur, deteſtamur. Sed cui tandem credibile videri poteſt, hos homines tam Euangelicos, tantos verbi Dei Zelatores, tam ſtudioſos reformatores, tale nefas in animū aliquando induxiſſe ſuū, aut etiam per occaſionem atque obliquè moliri poſſe? Sanè quid in animū induxerint, viderit

derit ille ſolus καρδιογνώςης, Deus. Quid tamẽ moliantur, obſcurum eſſe nobis non poteſt. Planè tertiam formam cogitant, hactenus in Eccleſia nunquam receptam, ideoq; vt Chriſtianam hactenus Eccleſiam funditus euertunt, ita Antichriſtianam egregiè ſtabiliunt.

Quòd autem tertiam cogitent & ſtatuant, primum inde eſt manifeſtum, quia non ſolum præſentis ſed & vetuſtiſsimæ quoque Eccleſiæ formam repellunt. Deinde ex eo quoque liquidiſſimè conſtat, quòd non iam illorum Prophetarum more qui olim in Iudęa corruptelas & ſuperſtitiones arguebant, ſed planè (quemadmodum etiam ſecundum D. Quodlibetarij argumentum oſtendit) illorum more qui in Samaria ipſa illicita ſacrificia & idololatriam culpabãt, ſic Eccleſiam iſti reprehendunt, accuſant, damnant. Aiunt enim nos, ſiue Eccleſiam Romanam quæ nunc eſt, eundem ſtatum habere quem olim habuit Iſraël ſub Ieroboam. Etſi enim multa religionis Chriſtianæ monimenta apud nos maneant, vt Baptiſmus, Scripturæ volumen, vnius Dei & Chriſti inuocatio, in reliquo tamen idololatras nos eſſe, vt illi olim Samaritani ſub Ieroboam erant, retenta circumciſione, Lege Moſaica & vnius Dei cultu. Neque verò noſtræ tantum ſed & veteris quoque illius Eccleſiæ ſuperius defenſę, ſtatũ ac formam Iudaicum & idololatricum fuiſſe. *Illos enim veteres Iudaicum ſacrificandi morem imitatos fuiſſe, & paſſionis Dominicæ*

Tertium ſtatum & formã ſtatuunt Proteſtantes.

Sic Caluinus Inſtit. lib 4. cap. 2 par. 9. & ſeq.

minicæ memoriam aliò detorſiſſe, quàm inſtitutioni Domini cõueniebat, apertis verbis Caluinus ſcrîpſit, vt ſuprà citauimus. Hoc verò ſuperſtitionis & Idololatriæ caput eſt, cuius nunc accuſatur Eccleſia.

Videte ergo obſecro Auditores & attendite. Eccleſiæ præſentis & veteris formam eodem loco habent, quo fuit Samaria ſub Ieroboam. At ea forma prorſus idololatrica fuit, erectis vitulis in Bethel quos populus adorabat. Prophetæ propterea, Elias, Micheas, Oſeas, Amos, qui contra eos vaticinabantur, non ſuperſtitiones & hypocriſim, ſed ipſam cultus ſubſtantiam, in vniuerſum damnabant. Sic
3.Reg.18. Elias. *Vſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus ſequimini illum, ſi autem Baal ſequimini illũ.* Sic Oſeas c. 4. *Nolite ingredi in Galgalam: & ne aſcenderitis in Bethauen.* Sic alij eius temporis Prophetæ. Ieremias vero, Eſaias & alij qui contra Iudam vaticinantur, non ipſa ſacrificia & formam cultus reprehendunt, ſed ſuperſtitiones perſonales, hypocriſim & auaritiam ſacerdotum atque Principum, aliaque populi flagitia, taxant. In Iuda enim & Hieroſolymis vera erat Synagoga; à qua propterea nec Prophetę illi receſſerunt, cùm eam acerbiſſimè taxarent, nec Chriſtus ipſe veniens abhorruit, ſed eam ſua pręſentia ſępius honorauit. Quod vtrumque Caluinus ipſe agnoſcit, & obſeruat Inſtit. libro 4. cap. 1. parag. 18. Docet quoque Auguſtinus contra Parmenian. libro 3. cap. 4. & de verbis

verbis Domini ſerm. 18. In Iſraël verò vſque ad captiuitatem perpetua idololatria & ſchiſma erat continuum. Quid ergo aliud agunt Proteſtantes hac ſua comparatione propoſita, quàm vt tam veterem Eccleſiam quam hodie Catholicam, magnum eſſe quoddam ſchiſma populis perſuadeant, nuſquã vero Eccleſiam veram ſubſtitiſſe, aut certè orbi conſpicuam fuiſſe? Sanè hanc ob cauſam tum templa Catholicorum non ſecus ac fana gentilium, tum ſacerdotes Catholicos, non ſecus ac ſacrificos Baal, Iouis & Martis, tum etiam Reges Catholicos non ſecus ac Principes Paganos & Ethnicos, deteſtantur, exhorrent, & damnant. Hinc autem quid conſequitur? Profectò vt abolita prius Moſaica, ac nunc reiecta Chriſtiana Deum colendi formà, tertiam illi inſtituant, haud dubiè Anthichriſtianã. Nulla enim alia tertia eſt.

Sed & alio hoc argumento luculentiſſimè ipſimet oſtendunt. Volunt enim potius pro Apoſtolis aut Euãgeliſtis nouis haberi, quàm pro Prophetis. Initiò ſanè ſui ſchiſmatis Prophetarum exempla & vocationem præ ſe ferebant; maximè illud Eliæ. Placuit enim valde illa trucidatio Sacerdotũ Baal, quam Elias exercuit. 3. Reg. 18. Placuit quoque illud ſacrificium extraordinarium ſine mandato legis in monte Carmelo factum eodem cap. Sed quia hoc exemplum etiam veteres hæretici proferebant; Donatiſtæ apud Auguſtinum de

vnitate

vnitate Eccleſię cap.12. & Arriani in opere imperfecto Chryſoſtom. titulo ſuper Matth. homil.1. & honorificentius; & ſuis rebus commodius exiſtimabant, ſi Apoſtolorũ potius ſibi perſonas & officia aſſumerent. Itaque Caluinus re melius perpenſa, hoc ſibi non intrepidè affirmandum & ingenuè profitendum putauit. Poſtquam ergo docuiſſet, *Apoſtolorum officium fuiſſe, vt orbem à defectione in veram Dei obedientiam reducerent; Euangeliſtas quoque officio illis proximos eſſe; adeoque vices eorum gerere; hos quoque ad id modo tempus inſtitutos eſſe, quo erigendæ erant Eccleſiæ, vbi antea nullæ fuerunt*, ſubiungit; *Quanquam non nego quin Apoſtolos poſtea quoque, vel ſaltem eorum loco Euangeliſtas interdũ excitarit Deus, vt noſtro tempore factum eſt. Talibus enim qui Eccleſiam ab Antichriſti defectione reducerent, opus fuit.* Hæc ille. Videtis manifeſtè quid de ſe ſuiſque ſimilibus iudicet, qualeque officium ſibi ſuiſque hodie tributum eſſe cenſeat. Sanè vt ſint huius ætatis Apoſtoli, vel ſaltem Euangeliſtæ. Idem planè etſi verbis non ita apertis docet Brentius in prolegomenis. Et Muſculus in locis commen. in titulo de Eccleſiæ miniſtris. Quid verò putamus? An Apoſtoli Chriſtum Iudæis & gentibus prædicantes, vel ipſum Iudaiſmum vel gentiliſmum reformare ſeſe aiebant? An non planè clamant ſe omnia noua facere, vetera abolere: Non clamat Apoſtolus. *Si circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit?* Non repetit iterum, *tranſlato ſacerdotio tranſla-*

Inſtitut. lib. 4 cap. 3 par.

Galat. 5.

Hebr. 7.

tranſlatam quoque eſſe legem? & ſexcenta huiuſmodi? Nonne in plenario Apoſtolorum Concilio legalia omnia quoad gentiles Chriſtianos abrogantur, pauculis quibuſdam retentis, iiſque minutiſſimis, nec niſi ad tempus? Vt quid ergo iſti, noui Apoſtoli Reformatorum titulo ſeſe ornãt, niſi quia *ſub ouium pelle veniunt lupi rapaces, vt abducãt diſcipulos poſt ſe?* Probè ſciebant homines iam Chriſtianos alios Apoſtolos nõ agnoſcere, quàm illos à Chriſto ſpecialiter miſſos; vel certè illos quorum prædicatione ad Chriſti fidem ex paganiſmo olim, & primò conuerſi fuerant. Noluerunt ergo ſe Apoſtolos dicere, & tranſlationem ſacerdotij aut religionis apertis verbis prędicare: Reformatores haberi volunt & reformationem Eccleſiæ inſtituere ſeſe verbo tenus aiunt. Mox tamen quum Apoſtolos ſeſe vel ſaltem Euangeliſtas eſſe alibi ſcribunt, in ſuis mendacijs non ſatis memores, ſuis ſe verbis & ſuo ſe iudicio vt ſorices produnt. Non eſt ergo in re manifeſtiſſima pluribus agendum. Concludã igitur. Si qui hodie Eccleſiæ ſeſe Reformatores eſſe venditant, & Eccleſiam reformatam vocant, ſeruata totius corporis vnitate & ordine, communi conſilio & ſtudio in aliquam Reformationem vnâ cum Eccleſię prępoſitis & doctoribus incumbere voluiſſent; ſi de interioris hominis expurgatione & renouatione, quæ totius reformationis religioſæ fundamentum eſt, ſanctè & Chriſtianè inquirere

Act. 15.
Matth. 18.
Act. 20.

quirere corũ doctrina ſubſtinuiſſet; ſi veteris Eccleſiæ formam, exemplum, praxim, in hac diuini cultus & politiæ reformatione agnoſcere, amplecti, ſequi, dignati fuiſſent; ſi denique non ipſam religionis Catholicæ ſubſtantiam tollere, ſacrificium Chriſtianorum abolere, Sacramenta negare, Ordinem & politiam prorſus confundere, & exturbare; ſed abuſus vel ſuperſtitiones quæ circa eadem variis in locis craſſa Paſtorum negligentia irrepſerunt, taxare, & corrigere decreuiſſent; eorum ſanè nec ſtudia reprehendiſſet, nec conſilia repudiaſſet Eccleſia Dei Catholica; ſed communibus animis tam pium Reformationis opus ſtudioſè amplexa, & perſecuta fuiſſet, idemque iamdudum haud dubiè ad fœlicem exitum, perduxiſſet. Nobis quoque hoc ipſo loco ac tempore de hac Reformatione ineunda, grauiter & diligenter cum illis diſputare atque conferre, ſingulaſque eius partes in ſpecie tractare & expendere, periucundũ fuiſſet.

Nunc autem cùm peſtilentiſſima illorum doctrina interioris hominis Reformationem negligat prorſus, vt minimè ad ſalutem neceſſariam; cùm facto grauiſſimo & horrendo ſchiſmate non cum Eccleſia & in Eccleſia deliberare, ſed de Eccleſia extra Eccleſiam cenſuram & iudicium ferre auſi ſunt; quum veterem Eccleſiam non minus apertè quam præſentem taxare, accuſare, damnare non ſint veriti; idque ætate & ſeculo florentiſſimo

tiſſimo agnitam atque receptam; quum ipſam religionis orthodoxæ & cultus diuini ſubſtantiam, totumque quaſi corpus conuellere conati fuerint; cum denique pro nouis Apoſtolis, vel vt minimùm Euangeliſtis haberi vòluerint: ſequitur profectò euidentiſſimè, non eſſe illam quam loquuntur & prædicant Reformationem, ſed Transformationem; nec hos homines Reformatores ſed Transformatores vocandos & habendos eſſe, omnium planè qui vnquam extiterunt vt audaciſſimos, ita etiam peſtilentiſſimos. Iſti enim ſunt, qui *Euangelizantes aliud præter id quod accipimus, in aliud Euangelium transferre nos volunt, quod non eſt aliud: niſi quod conturbare nos volunt & conuertere Euangelium Chriſti.* Gal. 1. Ideoque meritò illis *Anathema* dicit omnis Eccleſia Sanctorum.

CONTRA PRÆDICTA D. PRÆSES QVODLIBETARIVS HVNC IN modum de more Scholæ replicabat.

QVIA reformatio hodie prætenſa hoc potiſſimum nomine reiecta iam videtur, quòd veteris Eccleſiæ formā repudiare putetur, occurrit mihi ſanè vnus adhuc ſcrupulus qui niſi ſoluatur, videbuntur illi nō ſine iuſta & graui cauſa illius veteris Eccleſiæ formam repudiaſſe,

ideoque aliundè ſuam hanc reformationem meritò petiiſſe. Ipſemet enim Auguſtinus illius veteris Eccleſiæ doctor celeberrimus ſcribit, *Chriſtum Dominum qui leui nos ſuo iugo ſubdidit & ſarcinæ leni, Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, & ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem noui populi colligaſſe.* Epiſt. 118. cap. 1. ad Ianuarium. Hoc autem in illa ipſa veteri Eccleſia minimè obſeruatum fuiſſe idem Auguſt. agnoſcit. Sic enim ſcribit Epiſt. 119. c. 19. ad eundem Ianuarium. *Multa hodie obſeruantur quæ quamuis contra fidem non ſint, ipſam tamen religionem (quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit,) ſeruilibus oneribus premunt: vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum: qui etiam ſi tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubijciuntur.* Hęc ille de ſui temporis ſuperſtitioſis cultibus & ceremonijs: vnde facilè conficiunt Reformatores moderni, tum huius temporis cultum qui ceremonijs & ritibus numero penè infinitis, obſeruatione difficillimis, & ſignificatione ſatis vilibus atque obſcuris repletur, pręſenti reformatione indigere; & prœterea veteris illius Eccleſiæ formam (qua tolerabilior fuit ipſa Iudæorum conditio, teſte Auguſtino,) Chriſtianæ reformationi normā pręſcribere non poſſe, quippe & ipſam vt ex illis verbis patet, etiam tum temporis corruptiſſimā. Quę ſanè corruptio, ne Eccleſiæ Chriſtianæ gloriæ tunc primum efflo-

efflorefcenti obſiſtere videatur, hoc ipſum aiunt in veteri populo non obſcurè prȩfiguratum, fuiſſe.

Nam quemadmodum ſub Salomone quidem florentiſſima & longè perfectiſſima fuit Synagogȩ veteris forma, tēplo tunc primùm extructo, totaq; illa ceremoniarum legalium forma tunc primum pleniſſimè conſtituta; ſtatim tamen ſub Roboam eius filio facta diſceſſio fuit decem tribuum, grauiſſimaque pariter diuini cultus in toto Iſraël corruptela, imò manifeſtus ad Idololatricos cultus relapſus; ſic in Chriſtiano populo ſub Conſtantino ſanè Magno breui tempore plurimum floruiſſe Eccleſiam Chriſti, patefacta iam Chriſtianæ fidei liberrima vbicunque locorū profeſſione, & prȩdicatione, extructis paſſim & dotatis Eccleſijs; reddita altiſsima pace, &c. tamen eo ipſo tempore in deterius abijt diuinus cultus, & pacem hanc illi magis noxiam quàm crucem præcedentium temporū, ſenſit Eccleſia: deniq; vt diligenter notarunt Magdeburgenſes centuriaſtæ, *nouas tunc leges ac decreta coaceruando, Regnum Chriſti ſpirituale in mundanum & politicum cæpit transformari, magiſque Imperium quàm miniſterium quæri.* Hanc ergo dubitationem grauem & ſcrupulum non leuem ſi remouere poſſis, huic quæſtioni plenè ſatisfactum à te fuiſſe videri poteſt. Cent. 2. c. 8.

RESPONSIO.

Chemnitius 1. par. exam. Con. Trid. cap. 17. q. 2.
Caluinus Inſtit. lib 4 cap. 10. nu. 13. & in acta Apoſt. cap. 16. v. 4.

AGnoſco Proteſtantum voces, & plurimorum iam ſcriptis tritam, repetitam, & perpetuò decantatam cantilenam. Illam ſanè Auguſtini & priorem ſententiam grauiſſimam, & poſteriorem querelam iuſtiſſimam, ſuæ quam præ ſe ferunt Reformationis tum cauſam eſſe longè grauiſſimam, tum defenſionem meritò iuſtiſſimam Reformatores iſti paſsim prædicant, dictitant, ſcriptitant. Sed vtraque quàm parum illis faueat vbi breuiter oſtendero, pariterque coniecturam illam quã ſubnectunt vaniſsimam eſſe docuero, prętenſam hanc Reformationem & ſine iuſta cauſa ſuſceptam fuiſſe, & nulla ratione defendi poſſe, hac luce clarius ni fallor, demonſtrabo. Et quidem grauiſſima illa Auguſtini ſententia de Sacramentorum noſtrorum paucitate, facilitate, præſtantia, quamquã de Sacramentis tantum quæ propriè ita vocantur diſertè loquitur, non de ritibus & ceremonijs vniuerſis; tamen de ipſis quoque ceremonijs vera eſt. Hæc enim omnia in cultu Eccleſiaſtico Chriſtianorum & pauciſſima ſunt, & facillima, & præſtantiſſima; ſi ſacrificiorum & ceremoniarum veteris Synagogæ multitudinem longè maximam, curioſitatem difficillimam, fructum perexiguum conſideres; *Infirma enim & egena erant elementa, iuſtitiæ carnis, vmbra futurorum*, &c. vbi ſanè præter ſacrificia & Sacramenta, agnum paſchalem, taurorum & hir-

Colloſſ. 2. Heb. 9. & 10.

& hircorum cruenta ſacrificia, oblationes vi- Leuit. 2. 3.
ctimarum, purificationes, expiationes, panes 4. 6. & 7.
propoſitionis, oblationes ſimilę, hoſtias pacificorum, hoſtias pro peccatis per ignorantiam, hoſtias pro peccato vltroneo, hoſtiam pro delicto; alia adhuc ſacra, & obſeruationes vel propheticæ vel figuratiuę, penè innumeræ erant, tantaque circa ſingula tam varia tam curioſa obſeruatio; vt qui vnicum Chriſtianorum ſacrificium longè auguſtiſſimum, cum vno tantum, aut altero cuius iterandus ſit vſus Sacramento, cum illa tanta multitudine; operoſitate & inanitate hodie conferre velit, ille ſanè Iudaico potius, quàm Chriſtiano ſpiritu atque animo præditus eſſe; imo Chriſtianiſmi vel deriſor Lucianicus, vel hoſtis Apoſtaticus meritò cenſendus ſit. Quare hac non minus otioſa & inani quàm odioſa & impia comparatione prætermiſſa, ad alteram argumenti partem veniamus, qua ex Auguſtino oſtendere volunt etiam ſua ætate atque in illa antiquiſſima & florentiſſima Eccleſia, tantam ceremoniarum turbam irrepſiſſe, vt *tollerabilior fuerit Iudæorum conditio quàm illius tunc Eccleſiæ*: idque propterea, quia *Iudæi quidem varijs & multis, ſed legalibus tamen ſarcinis, & à Moyſe dictante Deo impoſitis onerabantur; Chriſtiani verò illius temporis humanis præſumptionibus*, ceremonijs videlicet & colendi ritibus humano ſtudio inuentis, *ſubijciebantur*. Grauis ſanè hęc & indigna cōditio fœda prorſus,

ſus & miſeranda Eccleſię Chriſtianæ facies ac forma, quæque propterea meritò & ipſa Reformatione indiguerit, eius autem quæ nunc quęritur Reformationis forma eſſe nō potuerit, ſi tamen vera fuit hæc illius temporis conditio, & vera illius Eccleſiæ facies ac forma.

At, inquies, Auguſtinus hoc diſertè teſtatur vir vt doctiſſimus ita & ſanctiſſimus; ac denique *totius antiquitatis interpres fideliſſimus*, vt paſſim eum vocat Caluinus. Agnoſco ſanè Auguſtini verba prout in argumento citata erant, iamque à nobis repetita, nec vera fuiſſe dubito. Sed nego hæc verba de ipſius Eccleſiæ cultu, forma, ac facie Auguſtinum dixiſſe, vt Reformatores iſti colligunt, & egregiè more ſuo mentiuntur. Auguſtinus enim ſanè in illa ad Ianuarium Epiſtola 119. vbi ex profeſſo de ritibus Eccleſiæ & copiosè diſputat, poſtquā multa de varijs ritibus generaliter ab vniuerſa Eccleſia receptis, ideoque propriè Eccleſiaſticis (iuxta diuiſionem in pręcedenti ad eundem Ianuar. Epiſt. 118. factam, & à nobis modò recitatam) diſputaſſet, accedit tandem ſub finem Epiſtolę ad illas cōſuetudines & ritus, *qui variè per diuerſa loca obſeruantur*; de quibus hanc *ſaluberrimam* (vt vocat) *regulam* dat, *vt quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimen-*

Quo ſenſu Auguſt. ſui tēporis ceremonias taxauerit.

Cap. 18.

detrimentum ſit. Hęc ille. De hoc ergo genere particularium conſuetudinum & rituum diſputans, etiam inter illa magnam diſtinctionem facit. Nam de ritibus & ceremonijs olim inſtitutis ſed certis tantum in locis regulam iam recitatam cùm dediſſet ca. 18. dictę Epiſtol. de recentibus ſeu recenter vt fit inſtitutis, ſequenti c. 19. ſubiungit. *Quod autem inſtituitur præter conſuetudinem vt quaſi obſeruatio Sacramenti ſit* (i. quod & nouum eſt & quaſi neceſſarium tamẽ atque cum obligatione pręcipitur) *approbare,* inquit, *non poſſum*: *Etiam ſi multa huiuſmodi propter nonnullarum vel ſanctarum vel turbulentarum perſonarum ſcandala deuitanda, liberius improbare non audeo.* Hęc ille. De ritibus non ſolum particularibus, ſed etiam recenter ſæpius inſtitutis, iiſque cum obſeruationis neceſſitate præceptis; in quibus tamẽ propter ſcandala deuitanda multa tolerat. Moxque hanc totam diſputationem concludens, dicit. *Omnia itaque talia quæ neque Sanctarum ſcripturarum authoritatibus continentur, nec in Concilijs Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diuerſorum locorum diuerſis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nunquam inueniri poſſint cauſæ, quas in eis inſtuendis homines ſecuti ſunt vbi facultas tribuitur* (id eſt, vbi ſcandali aut ſchiſmatis periculum non eſt) *ſine vlla dubitatione reſecanda, exiſtimo.* Moxque cauſam huius ſuæ ſententiæ afferens, ſubiungit verba ab iſtis Reformatoribus truncatim citata.

Quamuis enim neque hoc inuenire poßit, quo modo contra fidem ſint, ipſam tamen religionem quam paucißimis & manifeſtißimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſeruilibus oneribus premunt: vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui etiam ſi tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen ſarcinis non humanis præſumptionibus ſubijciuntur. Hæc ille.

1. Loquitur ergo diſertiſſimè & apertiſſimè
2. Auguſtinus, non de ritibus Eccleſiaſticis ab vniuerſa Eccleſia receptis, non de Sacramentis & reliquo cultu ex S. Scripturæ authorita-
3. te deſumpto, non de ceremonijs in Concilijs.
4. Epiſcoporum ſtatutis, non denique de particularibus variarum regionum conſuetudinibus, quæ quidem iam olim inſtitutæ fuerant, & nihil contra fidem vel contra bonos mores faciunt; ſed loquitur de certorum hominum voluntarijs cultibus præter conſuetudinem inuectis, & cum obſeruantiæ neceſſitate impoſitis; & de diuerſorum locorũ diuerſis moribus & inſtitutis, quorũ etiam iuſta ratio reddi nõ poteſt: hęc omnia meritò vocat prӕſumptiones humanas, & legalibus ceremonijs multò deteriores: has denique reſecari vult, etiam ſi contra fidẽ non ſunt; ſi tamẽ facultas datur, ſi ſchiſmatis, ſi ſcãdali periculũ non eſt.

Proteſtantum impudentiſſima Cauillatio. Videte nunc mihi horum reformatorum proiectam audaciam, & frontem planè meretriciam; qui quod de particularibus perſonis & locis dictum eſt, ad vniuerſæ illius veteris

Eccleſię cultum taxandum, formamque & faciem penitus reiiciendam referunt: qui quod 1.
de recenti aliqua inuentione cum præpoſtera obligatione meritò reprehenſum eſt, de vetuſtiſſimis multarum Eccleſiarum ritibus liberè 2.
obſeruatis temerè reprehendunt: qui denique 3.
quod ad priuatas prę̨ſumptiones corrigendas ſapienter ſcriptum eſt, ad Epiſcoporũ & conciliorum ſtatuta conuellenda impiè trahunt:
qui poſtremò quod ſaluo ſcandali periculo & 4.
non aliter abrogari poſſe iudicatũ eſt, ad quęcunque Eccleſiæ cultum abrogandum, etiam cum nefario & horrendo non quorundam ſcandalo, ſed populorum & Eccleſiarũ ſchiſmate, nòn minori cum impudentia quàm impietate detorquent. Sic illi veterum teſtimonia in cauſis grauiſſimis indigniſſimè peruertunt. Talia defenſionis ſuæ munimenta proferunt. His rationibus & cauſis iuſtiſſimis permoti, ad hanc Reformationẽ ſeu potius nouæ formæ violentam inuectionem, accedunt.

Neque verò & in coniectura quam ſubiiciunt fœlicius verſati ſunt, in qua tamen magnum ſe aliquid ſapere, & dicere exiſtimarunt. Illa enim tam cita diuiſio populi Iudaici ſtatim poſt extructum à Salomone templum, & Synagogæ formam iam pleniſſimè conſtitutam, ſi typus atq; figura ſimilis alicuius diſceſſionis in Eccleſia Chriſtianorũ, ſtatim poſt Eccleſiarum pacem atque ſplendorem orbi manifeſtatum futurę erat (quanquam diuiſio

illa per Ieroboā facta, *non religionis ſed regni diui-ſio erat*, vt notat diligenter Auguſtinus, ſchiſma autem per accidens conſequutum eſt) tamen non in totius cultus Eccleſiaſtici corruptela & deformatione (qualem Reformatores illi veteri Eccleſiæ impingunt) illa diſceſſio atque præfigurata defectio locum habuit aut habere potuit, ſed in varijs hæreſibus, maximeque Ariana, illo tunc primum tempore exorta, defectio illa atque diſceſſio veriſsimè completa fuit. Nam certè de hac Ariana hæreſi ſub Imperatore Conſtantino nata, & toto huius quarti ſeculi tempore Eccleſiæ Chriſtianę pacem atque concordiam incredibiliter perturbante, præmonuit ſanctiſſimum illum Martyrem Petrum Alexandrinum Epiſcopum Chriſtus ipſe; & iam ad martyrium ſubeundum Imperatoris ſententia damnato in viſione apparens, tunicam ſciſſam gerens à ſummo vſque deorſum, & cauſam percontanti Petro reſpondens. *Arius hoc fecit qui ſeparauit à me populum hæreditatis meæ*: vt ſcribit in Martyrologio venerab. Beda. De hac Ariana hęreſi præmonitus eſt etiam diuinitus in Ægypti eremo S. Antonius biennio ante illam exortam, *per viſionem calcitrantium mulorum, altaria calcibus demolientium*, & in Eccleſia ſacra omnia proculcantium. Vt in eius vita ſcribit indubitatus Author Athanaſius. Denique de hac Ariana hæreſi Eccleſiam Dei ſupra omnes alias quæ vnquam hactenus extiterunt hæreſes deuaſtante, ſcri-

De vnit. Eccl. c. 12.

Arianæ hęreſis defectio ſimilis diſceſſioni 10. tribuū ſub Roboā.

te, ſcribit Hilarius, *rarum fuiſſe apud Orientales Catholicæ fidei vel ſacerdotes vel populum inuenire, ſed vbique ſcandala, vbique ſchiſmata, vbique perfidias, eſſe.* Hac hæreſi graſſante ſcribunt hiſtorici diuiſionem factam fuiſſe totius Orientis ab Occidente, non abſimilem illi quæ erat decem tribuum Iſraelis, à duabus reliquis & Iuda, idque ſub Conſtantino Conſtantini magni, Salomonis noſtri filio; ſicut illa alia diuiſio ſub Roboam erat Salomonis alterius filio. Scribit denique Hiero. propter Ariminenſem illam fraudem, etiam in Occidente factam, *totum orbem ingemuiſſe ſeſeque Arianum eſſe, miratum eſſe.* Scribit poſtremò S. Baſilius, tantam Eccleſiarũ deſolationem quaſique ſolitudinem ex hac hæreſi Ariana inuectam fuiſſe (quam multis Epiſtolis ad viuum depingit) vt valde dubitauerit, an illa futura eſſet nouiſſima hora vel defectio illa, qua ſemel facta veniret ille filius perditionis Antichriſtus. Illa ergo defectio decem tribuũ ſub Salomonis filio ſi quid ſimile in Eccleſia Chriſti futurum ſub Conſtantino noui noſtri Salomonis filio præfigurauit; illud totum in Ariana hæreſi, adiunctis etiam alijs varijs hęreſibus eodem tempore Eccleſiæ vnitatem diſſipantibus, Macedoniana, Eunomiana, Neſtoriana, Eutichiana, abũdè completum fuit. Defectioné autem ipſius Eccleſiæ Catholicæ generalem in toto cultu totaque politia ſua pręfigurare illud non potuit; ne ſanè ſic diſcederet Iſrael, vt non remaneret

In lib. de Synodis.

Socra. lib 2 cap. 16 Niceph. lib. 9. cap. 12.

In dial. ad. uers. Luciferianos.

Epiſt. 61. 69 & 70.

Epiſt. 61.

neret Iuda; aut ſic eſſet inter Chriſtianos altera Samaria, vt nulla ſupereſſet Hieroſolyma. Quod ſanè Iudeæ & Hieroſolymæ exemplũ, ſi ſibi proprium eſſe Reformatores iſti ſeriò cogitant; noſque qui Romanæ Eccleſiæ adhæreſcimus, eſſe illas decem tribus quæ à vero Dei cultu receſſerunt, omnino volunt; non recuſamus huius rei examen & iudiciũ prorſus ſubire, quale olim Iudæi & Samaritæ in ſimili quæſtione ſub Ptolomęo Rege Ægypti ſubierunt, vt videre eſt apud Ioſephum. Atq; hæc ad ſcrupulum tuum eximendũ hactenus D. Quodlibetarie pro temporis huius inſtituto breuiter dicenda habui.

Antiquit. lib. 13. c. 6.

QVAESTIO QVODLIBETICA 2.

Vtra ſit magis Chriſtiana & Eccleſiaſtica Liturgiæ forma, illa quam hodie Catholica & Romana Eccleſia in S. Miſſæ officio obſeruat, An Proteſtantum, quæ vocatur Cœna Dominica.

QVI hodie ab Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana receſſerunt, & tam in doctrina quam in toto cultu eam non deſerendá tantum, ſed & tanquá quoddam Antichriſti Regnum execrandam & abominandá eſſe exiſtimarunt, ſuam verò nouam ſocietatem, Eccleſiam eſſe Dei reformatiſſimam planeq; Euangelicam affirmant; nec vllam magis ob

cauſam à Romana Eccleſia ſibi diſcedendum dicere ſolent, quã propter ipſius Miſſæ execrandam, vt loquuntur, abominationem: nec vlla magis in re ſeſe Euangelicos eſſe venditare conſuerunt, quàm in Cœnæ Dominicæ iuxta Chriſti inſtitutum pura & legitima celebratione. Itaque ſacroſanctum quidem Miſſæ officium omni illi contumeliarum genere afficere, infinitis conuitiis vel potius conuitiorum plauſtris exagitare, opprobriis nefandiſſimis lacerare, maledictis ſpurciſſimis obruere, Satanicum, idololatricum, & Antichriſti cultum eſſe, clamitare non ceſſant. Suam verò Cœnam Dominicam miris illi laudibus extollunt, pro ipſiſſima & puriſſima tanti Sacramenti celebratione, hoc primũ ſeculo Eccleſię Dei reſtituta deprędicant. Operæpretiũ igitur me facturum putaui, ſi vtriuſque breui & dilucida comparatione facta, vtra ſit demũ magis Chriſtiana magiſq; Eccleſiaſtica, quantò breuius fieri poteſt, oſtendam. Vt ergo primo loco ementitam illam & prophanã Proteſtantum Cœnam (neque enim Dominica ſine blaſphemia ſeriò vocari poteſt) in mediũ proferam, eiuſque formam hîc ob oculos omnium veſtrum proponam, id ante omnia animaduerſione dignũ eſt, egregios iſtos Reformatores poſt 60. annorum altercationem, adhuc in ſua forma non conuenire. Alia enim eſt forma, quã Caluinus Geneuæ præſcripſit, in formula quam vocat Adminiſtrandorũ Samento-

Proteſtantes in Cœnæ ſuę forma nec dũ conueniũt

cramentorum Eccleſiæ Geneuenſis, cuius
1. Epitomen inſeruit Inſtit.lib.4.cap.17.ſect.43:
alia quam Heluetica confeſsio à multis refor-
2. matis Eccleſijs,ſed Sacramentarijs ſubſcripta
& approbata cap.21. tradit. Alia rurſum quam
3. Anglocaluiniſtæ ex Principis præſcripto ſe-
quuntur, vtcunque hæ tres formæ ad ſectam
ſacramentariã pertineant;ſed longè alia mul-
4. tumque diuerſa eſt quã Auguſtanæ confeſſio-
nis ſocij iurati per Germaniam obſeruant.
Cap. 17. Iſti enim ſic Caluinianam illam cœnam exe-
crantur, vt in Confeſſione quam illius ſectæ
Martiniſtarũ de Caluiniſtarum Cœna cenſura. miniſtri Antuerpienſes in primis illis turbis
Antuerpiæ ediderunt, ſic ſcribant. *Caluiniſtarum liturgia non vno ſacrilegio vitiata, contaminataſque eſt, eaque (proh dolor) innumeras animas æterno exitio inuoluit.* Hæc eſt Martiniſtarum de cœna
Caluiniana nobilis cenſura.

1. Sed vt diuerſitatis partes aliquas proferamus, Lutherani conſecrant & præſentiã myſterij agnoſcunt. Caluiniſtę quia poſterius negant, prius prętermittunt; & nudã inſtituunt hiſtoriæ Euangelicæ repetitionem, quam vocant Heluetici Actionẽ Dominicã. Luthera-
2. ni & pręmittunt confeſsionem generalẽ proprio miniſtro ſeorſim factam, & in ipſa communionis actione generalẽ confeſsionem faciunt communicaturi. Forma Caluiniſtica; & Heluetica neutra vtuntur. Anglocaluiniſtæ poſteriorem quidem iuxta pręſcriptum Prin-
3. cipis in vſu habẽt,ſed priorem omittunt. Lu-
therani

therani geniculantur communicaturi,& vbiquitarij Lutherani adorant panem,atq; adorandum docēt, inter quos eſt hodie Martinus Chemnitius ex ſententia Lutheri,quē ad hoc probandum diligenter citat in examine decretorum Concilij Tridentini. Eadem quoque geniculatio Anglocaluiniſtis in vſu eſt ex prę ſcripto Principis. At Sacramētarij reliqui omnes,& ipſe Illyricus,alijque Confeſſioniſtę ab adoratione abhorrent:Communicāt verò vel ſtantes, vel etiam ad menſam ſedentes, vel denique tranſeuntes iuxta phaſe Iudaicum, quod quidā in Anglia Puritani faciunt. Caluiniſtica cœna vtitur excommunicatione inter 4.
cœnandum teterrima. Eam Lutherani non admittunt,ac neq; Anglocaluiniſtę niſi rarius. Caluiniſtæ ſolis diebus Dominicis cœnādum putant:Lutherani alijs etiam feſtis diebus ipſiſque interdū ferialibus cœnare nō recuſant. Caluiniſtę habitu prophano & vulgari ad cœ- 5.
nam accedunt. Lutherani ſuperpellicijs quæ 6.
vocamus,& interdum cappis vtuntur: quem ritum ſeruant Anglocaluiniſtæ ex præſcripto Principis. Cęteri Caluiniſtæ puriores ab illis reliquijs(vt vocāt) Antichriſtianiſmi prorſus abhorrent. Denique Lutherani in altari cele- 7.
brāt, Symbolum & triſagion latinè decantāt, azymo etiam pane alicubi vtuntur,quod etiā obſeruāt Anglocaluiniſtę ex pręſcripto Principis. Caluiniſtæ pane fermentato, in communi menſa,ſuam cęnationem perficiūt,omniaque

8. niaque vernaculè: Poſtremò preces habent Lutherani antè ipſam conſecrationem multas, planè eaſdem quas nos, ſed omnia vernaculè: quas & Anglocaluiniſtæ retinent. Reliqui Caluiniſtæ Miſſas faciunt, & ſuas quaſdã nouas, ne quicquam commune habere videantur, ſubſtituunt. Atque in his quidem aliiſque nonnullis forma hæc Proteſtantica tam à Catholica & Chriſtiana, quã & inter ſeipſos diſſidet, atque diſſentit.

Hac ergo diſcrepantia demonſtrata, (quæ an eorum Cœnam commendet, veſtro Auditores iudicio relinquo:) ad ea veniamus in quibus vno conſenſu omnes illorum Cœnæ ab orthodoxa forma diſſentiunt; id eſt, vitia illa omnia recenſeamus, quæ omnibus in vniuerſum Cœnis proteſtanticis, ſeu Lutheranis, ſeu Caluinianis, ſeu Laſcanicis, ſeu Anabaptiſticis inhærent: poſteaque quæ in illis omnia deſiderãtur, in noſtra Catholica Liturgia, quã Miſſam vetuſtiſſimo vocabulo nuncupamus, non ſolum reperiri, ſed etiam toti Chriſtianæ Eccleſiæ quæ hactenus in orbe extitit, con-
1. formiter reperiri oſtendamus. Ex hac enim oſtenſione manifeſtum erit, in hoc vno nobiliſſimo exemplo, quàm euidenter & clarè veteris Eccleſię formam Reformatores iſti noui
2. penitus abiiciant atque repudient: nec pręſentem tantum quæ nunc eſt, ſed & vniuerſam quę hactenus à prima Euãgelij propagatione extitit Eccleſiam Chriſti, omnium illarũ blaſ-

phemia-

phemiarũ, & horrendę impietatis atque abominationis accuſent, quas illi Sacroſanctæ miſſæ ſeu liturgię Catholicę, impuro ore affingunt. Hinc etiã eluceſcet quàm nihil iſti Reformatores non Catholicũ tantum, ſed ne piũ quidem, aut graue, aut diuino cultu dignum, in ea putidiſsima vanitate, quã pro Miſſa Catholica ſubſtituerunt, habeãt. Iſtud ergo dum oſtẽdo, diligẽter quęſo, quod facitis, attendite. 3.

Conueniunt iſti neochriſtiani & Euangelici viri, vt mortẽ Domini annuncient, vt quod Chriſtus in mortis ſuæ memoriam fieri iuſſit, faciant. Hunc cum Eccleſiã Catholica finem, hunc ſcopum conuentus ſui agnoſcere ſe dicunt. At videte obſecro, quam probè iſtud exequantur. Primum vt ab omni ſanctitate eos 1. quam maximè horrere intelligatis, nec loca Deo dicata, nec apparatũ vllum ſacrũ aut religioſum, libẽter admittunt. Qui purius Euangelij ſibi nomen venditant, omnia templa demoliuntur. Si quę habent à Catholicis erepta, ea omni cultu & decore ſpoliata, & in formã auditorij potius aut ſcholæ quã templi redacta, prophanis ædibus adæquant. Si quę ipſi erigunt, Caluiniſtę quidem Synagogę veteris in morem in orbẽ ea extruunt, vt Antuerpiæ annis præteritis factum vidimus: Lutherani verò oblonga potius & in modum Aulæ ſenatoriæ exędificant, vt Auguſtę Vindelicorũ, & alibi in Germania nuper vidimus. Ita ab ipſa Eccleſiarũ noſtrarũ forma omnes abhorrent.

Loca pròphana noñ ſacra.

2. rent. Altaria omnes deiiciunt, exceptis mollioribus Lutheranis, qui ea etiam cum Crucifixi imagine deſuper affixa retinent, vt Vlmis iam pridem animaduertimus. Alij verò Altarium loco menſas communes ſubſtituunt, vt non hic ſacrificium Chriſtianorum ſed conuiuium aliquod aut ſympoſion paganorum per agi, certiſſimè ſcias.

Altaria nulla ſed mēſa communis.

3. Sacra vaſa, veſtimēta huic vſui & cōſecrata, & vario apparatu accōmodata, luminaria, incenſa, & huiuſmodi execrātur homines pij tanquam ethniciſmi veſtigia, aut Iudaiſmi quaſdam reliquias, quibus tamē omnibus perpetuò celebrata fuit Chriſtiana liturgia, vt mox in noſtra Miſſa oſtendemus. Communi habitu, communibus poculis ſuā Cœnam celebrant, exceptis vt antea dixi Anglocaluiniſtis. Parum eſt hęc omnia cōtempſiſſe quæ ad maiorem cultum, reuerentiam &

Veſtimēta & vaſa cōmunia.

1. dignitatem ſacratiſsimorum myſteriorum, ad ædificationem & excitandam rudiorum de-
2. uotionem, ad multarum & magnarum rerum egregiam ſignificationem plurimum facere
3. Eccleſia Chriſti ſemper iudicauit. Quod inter alios copioſè & diuiniſsimè docet Dionyſius
4. ille Areopagita, ex ipſa Apoſtolorum prædicatione hauſtum, Eccleſ. ſuæ Hierarch. cap. 1. & 2. Nam vt nihil prorſus ſacrum in horum hominum cœna agi videas, Sacerdotis miniſterium refugiunt, miniſtros ſibi aſciſcunt homines imprimis coniugatos, & vt plurimum Mechanicos ac ſordidos, quique bonas literas

Non ſacerdotes ſed miniſtri, & plerunque illiterati.

nec

nec à limine ſalutarint, tantum in vernaculis bibliis ad vnguem capituládis egregiè prompti ſint: imò qui & in hoc gloriantur, quód Romanam illam papiſticam linguã nunquam addidicerint; quod totum de noſtris in Anglia miniſtris certiſſimum eſt, quorum maxima iam turba ita rudis eſt, vt penè in Prouerbium
apud nos abierit, *miniſtro indoctior*. De præpara- 5.
tione reliquà ac tempore iam antea in illorũ harmonia deſcribẽda diximus. Sic ergo egregiè inſtructi & comparati, vernacula lingua aliquid aut legunt aut (quod rarius fit) cãtant. Nam à cantu quoque in rebus huiuſmodi qui cœteris puriores ſe profitentur, tanquam à Sirenum cantibus abhorrẽt. In Anglia cantatur & quidem ſuauiſsimè, adhibitis etiam muſicis inſtrumentis, quæ etiam fœminæ interdum in Eccleſia tangunt, non ſecus ac viri. Admiſſæ enim ad publicum cantum, quidni etiam ad organa tangenda admitterentur? Quod autem vernaculè omnia fiant, nouum planè, prophanum & in Chriſtiana Eccleſia hactenus inauditum eſt: in qua latina ſola & Græca liturgia vſque ad hæc tempora nota fuit. Sed quid demum eſt quod legũt aut cantant? Pſalmodiam primo loco habent: mox aliquid è ſcriptura ſubijciunt, tam Prophetica & Apoſtolica, quàm Euangelica. Sequitur vt plurimũ homilia. In quibus omnibus pulchrè viderentur cum Catholica conuenire, niſi hoc totum fieret in Sacræ ſcripturę verſioni-

Vernaculâ lingua promiſcuè canitur.

6. bus corruptiſsimis & mendaciſsimis;& à tota promiſcua plebe, nullo ſeruato ordine,aut diſcrimine; & interiectis diris illis Caluinianis execrationibus; & denique (quod ſceleris caput eſt) nulla iuſta Authoritate, ſed vel priuata libidine,vel laiciPrincipis voluntate,non ex Eccleſiæ inſtituto, imò cum Eccleſiæ contemptu manifeſtiſſimo, quæ ſecus facit, & faciendum iudicat. Quam vnam ob cauſam cum ſummo ſemper ſacrilegio, ſcelere, & ſchiſmate eorũ Cœnæ coniunctæ ſunt. Sed pergamus vlterius. Nam de homilijs ipſorum, vel interpoſitis de more ad populum concionibus,quid attinet dicere, meras illas eſſe blaſphemias contra Deum,& Sanctos,& Eccleſiam? Quid enim illic aliud, quàm nefandæ illorum hęreſes docentur, traducuntur Pontifices, ſuggillatur Eccleſia, Magiſtratus quoque interdum & Principis legitima poteſtas taxatur, boni denique ac bona omnia à rudi populo ſubſannanda & deridenda, propinantur? Illud ſanè præclarum eſt quod diligenter monet Heluetica confeſſio, *in precibus publicis modum eſſe ponendum, ne nimis ſint prolixæ, potiores partes concionibus audiendis, dandas eſſe*, vbi plus doctrinæ quàm deuotioni, plus ſcientię quàm conſcientiæ excolendæ & purgandę contra vniuerſum doctrinæ Euangelicæ ſenſum apertiſsimè docent: quod tamen & in Anglicana cœna exactè obſeruatur.

Ordo rei totus prophanus & ſacrilegus.

Homilia blaſphemiarum plena.

Cap. 23.

Sed his omiſſis ad caput totius negotij veniamus.

niamus. Vbi illa gratiarum ſolennis actio? vbi mortis Domini annunciatio? vbi hoſtia, vbi ſacrificium, vbi myſteria? Quid hic gemmas in ſterquilinio quæras? aut à porcis margaritas expectes? Nihil ibi horum: Ne ſimulatè quidem. Panem certè & vinum menſę ſuę apponunt: ſed vulgarem & vbique ferè fermentatum panem, vinum quoq; ſine aqua cum Gręcis; ſed non vt Gręci: Illi enim ex gentis ſuę more non reclamante Eccleſia, hi ex ſchiſmatis libidine damnante Eccleſia, hoc faciunt. Hunc autem panem, & hoc vinum nec in manus accipiunt ante diſtributionem, nec benedicunt, neç conſecrant, nec ſuper illis gratias agunt, quę omnia Chriſtus fecit, ſed illis coram poſitis hiſtoriam Euangelij legunt: moxque diſtribuunt, & cum gratiarum actione accipere iubent, non ſecus ſanè quàm de communi pane ac cibo Apoſtolus fieri præcipit. *Benedicimus enim & gratias agimus Domino* (ait Auguſt.) *in omni eius munere, non ſpirituali tantum, ſed etiam, corporali. Noſter autem panis & calix certa conſecratione fit myſticus, non naſcitur. Proinde quod non ita fit, quamuis ſit panis & calix alimentum eſt refectionis, non Sacramentum religionis.* Hæc ille, apertiſſimè oſtendens panem & vinum cœnæ Caluiniſticæ ſimplex eſſe refectionis alimentum, non aliquod religionis Sacramentum; imo verius ientaculum Dæmoniacum, quam Cęnam Dominicā. Quid enim hic pium, quid religioſum eſſe poteſt,

Nullum ſacrificium nihil ſacrū.

9.

Nulla conſecratio ſed elementa vulgaria.

1.

2.

3.

4.

Contra Fauſt li. 30. cap. 13.

teſt, vbi nullum eſt religionis Sacramentum, nullum myſterium, ſacrificium nullum, nulla conſecratio, nulla benedictio? ſed quod vbique, & paſſim, & à quouis fieri licet, nuda eſt & hiſtorica rei geſtæ narratio, communis panis, communis guſtatio, & communis vini conſueta libatio? Quid iam alia perſequar, aut in alia inquiram, poſtquam in eo quod Caput & cardo totius negotij eſt, turpiſſimè & toto cælo errant. Videamus tamen an in cœteris fœlicius, aut præclarius ſe gerát. Vbi hic ergo myſteriorum oſtenſio & veneratio, vbi Crucis toties repetita ſignatio, *quam*
10. *in hac myſtica cœna fulgere* Chryſ. ſcribit in Demonſt. quod Chriſtus eſt Deus. Vbi denique Inuocatio ſuper dona ſiue pro viuis, ſiue pro Principibus, pro pace, pro bonis terrę, vel pro defunctis fratribus? Vbi Sanctorum celebris memoria, vbi ſolenne illud pacis oſculum, vbi ſacerdotalis ſuper populum benedictio? Nihil hic prorſus horum. Hęc enim omnia boni iſti viri pro ea qua in Deum ſunt religione explodunt, exterminant, execrantur. Et tamen videri volunt (ſi Chriſto placet) ad primæuæ & Apoſtolicæ Eccleſię formam egregij Reformatores ſua omnia reformaſſe.

Multa præterea prætermiſſa.

Videor iam pręcipua rerum capita percurriſſe, & Cœnæ huius Proteſtanticę nobiliores partes attigiſſe. Itaque ab hac pugna receptui canam, & ad noſtrã nunc ſacroſanctam liturgiam me conuertam. Nam quæ in iſtorum

nænijs

nænijs aut potius ſacrilegijs meritò deſiderauimus, in noſtra iam Miſſa copioſè demonſtrabimus: eaque omnia Apoſtolica eſſe, & antiquiſſimæ Eccleſiæ nobiſcum communia oſtendemus. Quod dum breuiter & ſuccinctè facio, diligenter quæſo, quod facitis, attendite.

Catholica & Eccleſiaſtica liturgia (quam Miſſam dicimus ita à maioribus noſtris ante annos ferè mille ducentos nuncupatam à S. Ambr. Epiſtola 32.) non niſi in templo fit honorificè extructo; aut vbi neceſſitas, vel pietas authoritate legitima id approbáte ſuadet, in oratorio ad hunc vſum ſacrato, & ab omni prophano vſu libero. Annon verò ſic ſemper factitatum erat? Eſt quidem ita, vt Apoſtolorũ tempore, atque aliquantò poſt quamdiu ferueret perſecutio, vel in priuatis piorum ædibus, vel etiam in cryptis ſubterraneis quales multas Romæ vidimus, ad ſacrã Synaxim peragendam conuenirent Chriſtiani; fieretque vt ſcribit in Apologetico Tertullianus & lib. 2. ad vxorem *furtiua ſignatio, ſacrificium cum ſcrupulo, muta benedictio*, denique ipſorum myſteriorum *ad abſentes delatio, & in arcis aſſeruatio*, vt Iuſtinus Apolog. 2. & Cypri. ſerm. 5. de lapſis commemorant. At verò vbi primum pax aliqua Eccleſiæ data eſſet, erecta fuiſſe à Chriſtianis templa, quæ nouo & proprio nomine, Græco quidem κυριακὸς, vnde germanicum illud *Kirche* defluxiſſe videtur, latino Templa Chriſtianorum.

vero Dominicas, quia Domino Deo conſecratas (vt exponit Euſebius in oratione de laudibus Conſtantini) poſtea autem Baſilicas propter amplitudiné fortaſſe & ſplendorem tribunalibus regijs aut prætorijs non inferiorem, quæ etiam certo & ſolemni ritu conſecratæ erant, vocabant; omnes hiſtoriæ plenæ ſunt. Nam ne Conſtantinum templorum authorem primum putemus, cuius mater Helena Hieroſolymis & in Iudęa complura, ipſe vero & Romæ & Conſtantinopoli magnificentiſſima ac varia extruxit, teſte Euſebio de vita Conſtantini, ab eodem Conſtantino latas eſſe leges legimus, de reſtituendis Chriſtianorum Eccleſijs, olim perſecutionum tempore vel dirutis, vel ablatis; vt narrat idem Euſebius Hiſt. Eccleſiaſt. libro 10. capite 5. Sané diu ante Conſtantinum & Fabianus Romanus Pontifex Philippum Imperat. & S. Babylas Antiochenus Decium Imperatorem, vel vt alij volunt, Numerianũ, ab Eccleſiæ liminibus repulit, vt narrat: de priori Euſeb. Hiſto. Eccleſiaſt. lib. 6. cap. 27. de poſteriori Chryſtomus in oratione contra gentiles Tomo 5. Ipſo autem Conſtantini tempore cum primum Chriſtianã fidem ſecularis ſplendor amplexus eſſet, quàm magnifica quantaque ſolemnitate dedicata templa eſſent, vel illa vna Euſebij oratio panegyrica Hiſtoriæ libro 10. capite 4. inſerta, ſatis teſtatum facit.

Lib 3. c. 42 & 43.

Reliquus ornamentorum apparatus, veſtium,

ſtium, vaſorum luminarium, iiſque ſimilium qui nunc in Miſſa Catholica conſpicitur, (quemq; pro ſua modeſtia Euangelici iſti Reformatores mimicam, theatricam, & geſticulatoriam pompam appellitant) primorũ Chriſtianorum liturgiis non defuiſſe, apertiſſimè oſtenditur. Ac de vaſis quidem ad huius ſacrificij vſum deſtinatis, & conſecratis, antiquiſſimi & locupletiſſimi teſtes ſunt; Hieronymus ad Fabiolam. Nazanzenus in oratione ad Arianos & de ſeipſo. Item in Apologetico. Baſilius in reg. breuioribus. q. 310. Ambr. offic. libro ſecundo, cap. 28. Concilia quoque antiquiſſima, Laodicenum cap. 21. & Arelatenſe primum cap. 13. His enim omnibus in locis Eccleſiæ vaſa ſacroſancta perhibentur, *ab hominibus laicis non contingenda*, ait Nazanzenus, *in ſacros vſus deſtinata, & non niſi in ſumma Eccleſiæ neceſſitate, prophananda*, quod Amb. piè fecit, quod Patres Arelatenſes extra neceſſitatem factũ, anathemate notarunt. Celebre eſt illud quæſtoris cuiuſdam à Iuliano Apoſtata ad ſacra vaſa templi Antiocheni diripienda ſubmiſſo conuitium. Sacrorum enim vaſorum magnificentiam conſpicatus, *Ecce*, inquit, *quã ſumptuoſis vaſis filio Mariæ miniſtretur*, apud Theodoretũ libro 3. cap. 11. Veſtimenta verò quæ nunc ſacerdos Eccleſiaſticus & liturgicus geſtat, ſi per ſingula liberet diſcurrere, omnia primę Eccleſiæ in vſu fuiſſe comperiemus. Huc nempe pertinet petalum, ſeu mitra Epiſcopalis, quod

Vaſa ſacra.

Ornamenta ſacra.

Ioannem Euangeliſtã geſtaſſe author eſt Polycrates Epheſi Epiſcopus apud Euſebium hiſtor.Eccl.libro tertio, capite 25. Huc infulę quarum meminit Tertul in lib. de Monogamia. Huc orariũ ſeu ſtola cuius meminit Ambro.in oratione funebri de obitu fratris Satyri. Conc. Braccarenſe primũ can.32. & Toletan. 4. can.39. huc pluuialia ſeu cappæ quas τριβώνας vocat Epiphan. hæreſi 15.& 16. huc diaconi Alba, vt eam vocat Conc. Carth.4. can.4. στοιχάριον vocatur in liturgia Chryſoſtom. huc pallæ ſeu aulæa quibus altare decoratur apud Theodoretum Hiſto. Eccleſiaſt. libro ſecundo, capite 31. huc linteamina atque velamina quibus cooperta olim (ſicut hodie) altaria fuiſſe, clarè meminit Optatus libro 6. contra Parmenianum, è quibus Proculus Maurus Camiſias ſibi & Femoralia faciebat, vt ſcribit Victor de perſecu. Vãdal.lib.1. vt hodie noſtri. Huc etiã ἅγια ποδήρη ſacrata talaris veſtis apud Euſebium lib.10. ca.4. huc poſtremo pertinẽt amictus, cingulum, caſula, manipularium, corporale, quę etiam ſuis nominibus Græci Patres Chryſoſt.& Baſilius in liturgijs ſuis vocant. ὠμοφόριον, ζώνην, φελώνιον. τὰ λώρια, τὸ εἴλητον. Quæ omnia ſacra fuiſſe & huic functioni dicata ijdẽ Patres teſtantur. Illuſtre eſt in Theodoreti Hiſtoria exemplum de thymelico quodam ſaltatore, qui emptam fortè ſacrã veſtem in theatro geſtans ſubitò expirauit. Hiſtor.tripar.lib.5.cap.37. Similis vltionis diuinę exempla

Theodor. Lib.2.c.27.

pla legere licet apud Victorē de perſecutione Vandalica lib.1. apud Bedam in Hiſtoria Anglicana lib.1. cap.29. Conqueritur etiam grauiſſimè Optatus vtriſque antiquior de ſpoliatis & prophanatis Eccleſiæ ornamentis per Donatiſtas lib.1. contra Parmenianum.

Quid quòd etiam luminaria rutilante ſole dum Euangeliū recitatur in Eccleſiis accenſa fuiſſe, teſtis eſt contra Vigilantium Hieron. & ante Hiero. meminit Pręceptor eius Nazanzenus orat. in Paſcha, & antè vtrumq; Athanaſius in exhortatione ad orthodoxos. Luminaria.

De altaribus ſine quibus nullum fit ſacrificium, & quibus poſitis neceſſariò ſequitur ſacrificium, quod ſolum θυσιαστηρίȣ vocabulum ἀπὸ τῆς θυσίας manifeſtè probat, ſi hic Antiquitatem in mediū proferrem dies me deficeret. Reformatores ſanè iſti qui magnam Reformationis ſuę partem in demoliēdis altaribus ponunt, vel altaris nomine menſam intelligi apud veteres volunt (quia & menſa interdum vocatur, à veteribus propter cæleſtis conuiuij myſterium, ſicut & ab Apoſtolo 1. Cor. 10.) vel ab hac interpretatione deiecti in altarium vſu ſicuti & in toto reliquo Eccleſiaſtico cultu Antiquitatem omnem penitus contemnunt. Sed quod Apoſtolus dixit ad Heb. 13. *Habemus altare de quo edere non habent facultatem qui tabernaculo deſeruiunt,* illud exponit Chryſoſt. com. ad illum locum hom. 33. de altaribus liturgiæ noſtræ propriis. Sicut etiam quod de menſa Altaria.

Domini

Domini Apoſtolus dixit 1.Cor.10.de ſacrificio Chriſtianorum idem homil.24. diſertè exponit,cui accedit Auguſt. contra aduerſar. legis & Proph. cap.19. Lapidea ſanè fuiſſe altaria qualia nunc in vſu ſunt,apertis ſatis Auguſt. & Chryſoſt. docent, quorum ille ſuper corpora Martyrum conſtructa eſſe altaria ſcribit.De ciuitate Dei lib.8.cap.27.hic effoſſa ab hæreticis altaria meminit in Epiſtola 1. ad Innocentium. Neutrum menſæ eorum conuenire poteſt.

Atque hæc quidem hactenus de Catholicæ liturgiæ ſeu miſſæ apparatu, non alio nunc quàm olim à 1200.ac 1300.annis fuit. Veniamus nunc ad ipſius miſſæ Catholicæ partes ſingulas,eiuſque ordinem ac rationem totam cum antiquiſſimis Chriſtianorum liturgijs ad amuſſim quadrare,oſtendamus.Pręcipuis tātum partibus inſiſtam,ijſque de quibus hodie cum hæreticis diſceptatur, & in quibus ſacrū hoc officium potiſsimum conſtat.

Itaque Miſſa quidem ſeu officium illud publicum ad quod omnes conueniebant, non Chriſtiani tantum ſed & Catechumeni, imo etiam & Ethnici qui volebant, à pſalmodia incipit. Nam quæ hodie præcedunt, magis ad ſacerdotis ipſius præparationē meliorem, quàm ad huius ſacri muneris partes pertinent. Incipitur itaque à pſalmodia,quæ in eo quod *Introitum Miſſæ* nuncupamus,completur. In eo ſemper verſiculi aliqui è Pſalmis decantantur.

Priores Miſſæ partes.

tantur. Poſt pſalmodiã ſequitur oratio publica, quę quia totius collectæ illic Eccleſiæ nomine pronũciatur, *Collecta* vocatur. Orationẽ ſequitur lectio, deinde Euangeliũ & eius Interpretatio. Quę omnia Apoſtolus annotaſſe videtur 1. Cor. 14. *Cum conuenitis vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, interpretationẽ habet.* Atque hęc omnia ſic ab initio facta fuiſſe teſtes grauiſſimi ſunt Iuſtinus, & Dionyſius. *Die ſolis* (ait Iuſtinus) *vrbanorum ac ruſticorum cœtus fiunt, vbi Apoſtolorum Prophetarumque literæ quoad fieri poteſt, præleguntur. Denique ceſſante lectione, Præpoſitus verba facit adhortatoria.* Quam formam & ante eum ſcripſit Clemens Conſtit. Apoſtolicarum lib. 3. cap. 63. Dionyſius quoque Areopagita Eccleſ. Hierarchiæ cap. 3. his verbis. *Pontifex vbi adoleuerit incenſum, ac fani ambitum circumiecit, rediens ad ſanctum altare, pſalmorum melos incipit, concinentibus ſecum ſacra carmina omnibus Eccleſiaſtici ordinis gradibus. Deinde S. Scripturarum lectio recitatur.* Hæc ille. De intermedia collecta, ſic meminit Chryſoſt. homil. 18. in 2. Cor. *Communes preces à ſacerdote & populo fiunt, & omnes vnam dicunt orationem. Orationem miſericordia plenam.* Hoc enim fieri dicit antequam excludantur Cathecumeni. Aſſurgi quoque Euangelio ſolitum ſicuti hodie fit, ex Theophilo Alexandrino diſcimus; qui quædam corrigens apud Homeritas Arabicum populum quem ad fidem conuerterat, inter cætera ad Euangelij recitationem aſſurgere docuit.

Apolo. 2.

Aſſurgitur Euangelio.

Etenim

Lib 9.c.18. Etenim *conſiderantes*(ait Nicephorus) *Euangelium audiebant aliaque faciebant quæ functiones Eccleſiaſticæ vetabant.* Inuocationem illam miſericordiæ diuinæ quæ per græca illa verba fit, beatus Gregorius 1. inſtituit: aliaque ab alijs Pont. Rom. SS. viris adiecta ſunt; omnia ante annos vt minimum mille. Sicuti, *Gloria in excelſis*, à Simmacho anno 500. tractus à Gelaſio 1. anno 480. Symbolum à Damaſo, anno 380. Quo finito Symbolo vel ante Damaſi tempora finita homilia, Cathecumini & pœnitentes, & energumeni excludebantur: Ideoq; hæc Miſſa ſeu dimiſſio Cathechumenorum eſt dicta: in Concilio Carth. 4. can. 84. & in Conc. Agathenſi can. 60.

Proteſtantum cœnæ vt plurimū Catechumenorum Miſſæ ſunt.

Quæ ſequuntur ad Miſſam fidelium pertinent. In hac autem bone Deus quam nihil habent hodie hæretici Catholicæ Liturgiæ affine aut conſimile? Mihi ſanè eorum nænias & blaſphemias conſideranti viſum ſæpe eſt; eorum cœnas maximè Caluinianas, vt maximum illis tribuamus, Cathecumenorū, pœnitentium, energumenorum atque adeo infidelium Miſſas eſſe: vt cum in cœteris quidem Liturgiæ Catholicæ partibus ſimias & cercopithecas ſe præſtent, multaque ridiculè ad fucum populo faciendum imitentur; in his quæ ſequuntur & propria fidelibus ſunt, vulpes agant: non noſtra ſimulantes, ſed omnia demolientes. Nam quæcunque hactenus diximus etiā infidelibus omnia patuiſſe, vel Conc.

Carth. 4.

Carth. 4. can. 84. luculenter docet, iubens: *Vt Epiſcopus, nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſiue gentilem, ſiue hæreticum, ſiue Iudæum, vſque ad Miſſam Catechumenorum.*

Ad fidelium nunc ergo Miſſam veniamus. Recitato ſymbolo, aut ſi id omittitur, lecto Euangelio & homilia ad plebem facta, ſtatim panis & vinum aqua mixtum in altari offeruntur à ſacerdote pro ſe, pro præſentibus, pro tota Eccleſia. An verò nouum iſtud & à paucis centenarijs inuentum? Antiquiſſimum, Apoſtolicum eſt. Iuſtinus ſic ſcribit Apolo. 2. *Finita adhortatione ſurgimus omnes & precamur, concluſiſque noſtris precibus, panis vinumque & aqua offeruntur.* Id eſt, in altari apponuntur. Nam de oblatione quæ Deo fit, poſtea agit. Et quia hęc olim quidem à populo, vel à Diacono ſupplente locum idiotæ, ſacerdoti offerebantur, *Offertorij* nomen obtinuit minus latino, vt alia multa, ſed Eccleſiaſtico vocabulo; ſicut vnaquæque ars ſua habet artis propria vocabula. In hoc offertorio tenens ſacerdos panem & calicem totius populi nomine exhibet, & ſiſtit ea ſuper altare, primaſque mox facit precationes (paucis ad ſuam adhuc maiorem pręparationem & ad tantum peragendum myſteriũ excitationem precibus interiectis) de malis depellendis, quas Apoſtolus 1. ad Timoth. 2 *δεήσεις obſecrationes* vocat. De quibus ſic Auguſt. ſcribit Epiſtola 59. *Precationes ſeu obſecrationes quas Apoſtolus fieri iubet, accipio*

Miſſa fidelium.

Offertoriũ.

Obſecrationes.

pio

pio eas eſſe quas facimus antequam illud quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici. Hæc eſt illa alia oratio quàm Chryſoſt.ab omnibus fieri dicit, *dum excluduntur à ſacerdotalibus ambitibus, qui non poſſunt eſſe participes ſacræ menſæ.* homil. 18. ſuper 2. ad Cor. In hac quoque prima parte offerebant olim fideles ſicut hodie ; quæ ad altare deponebant. Huius rei exempla habemus illuſtria, & in Theodoſio magno, celebrante Ambroſio, & in Valente, celebrante Baſilio. Hi enim Imperatores munus ſuum ad altare offerebant ; vt narrat per occaſionē Theodoretus hiſt.Eccleſ.lib.4.cap.17.& lib.5.cap.17.

Orationes. Sequuntur Orationes quas προσευχὰς Apoſtolus vocat, & quas Auguſtinus loco citato fieri ab Eccleſia deinceps dicit vſque ad Orationem Dominicam. In his orationibus primum locum habet illa nobilis & celeberrima præfatio, qua ſacerdos populum ad tremendorum myſteriorum ſanctiſſimam peractionem attentiſſimis animis excipiendam, mirificè hortatur. Nihil eſt apud antiquos ſcriptores luculentius. *Norunt fideles* (ait Auguſtinus ad Dardanum Epiſt.57.) *in quo ſacrificio dicatur, Gratias agamus Domino Deo noſtro:* Et iterū in libro de ſpiritu & litera cap.11. *In illo veriſſimo & ſingulari ſacrificio agere gratias Domino Deo noſtro admonemur.* Rurſus de ſequentibus quoque præfationis verbis libro 2. capite 13. de bono perſeuerantiæ, ſic ſcribit. *Quod in Sacramentis fidelium dicitur, vt ſurſum corda habeamus ad*

Præfatio Miſſæ.

Domi-

Dominum, munus eſt Domini. De quo munere ipſi Domino Deo noſtrò gratias agere à ſacerdote poſt hanc vocem quibus hoc dicitur admonentur: & dignum eſſe reſpondent. Hæc ibi Auguſtinus. Idem repetit ſerm. 44. & ante eum Chryſoſt. in homil. de Encænijs & de Euchariſtia tom. 3. Et ante vtrumque Cyprianus in expoſitione orationis Dominicæ, vniuerſam illius præfationis formam eleganter pertractantes. Hoc eſt quod Iuſtinus dicit, *eum qui primum locum tenet, preces, gratiarumque actiones pro virili mittere, populumque benedicere, dicentem. Amen.* Apolo. 2.

Sequitur præfationem hymnus ille græcis τρισαγιος dictus, quem anno poſt Chriſtũ plus minus centeſimo Sixtus Papa inſtituiſſe perhibetur: cuius etiã apud veteres frequentiſſ. fit mẽtio occaſione hæreticorũ, qui authore Petro Fullone Antiocheno Epiſcopo, huic hymno adiiciebant, Qui crucifixus es pro nobis. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Totum autem qui deinceps ſequitur miſſæ canonem apud Cyrillum Hieroſolymitan. in Catecheſibus & apud Ambroſ. lib. 4. cap. 5. de Sacramentis, penè ad verbum videre eſt: eſtque profectò compendium quoddam prolixorum Canonum Baſilij & Chryſoſtomi, quæcunque tandem illa precatio fuerit, quam ſuper oblationem dicendam Scholaſticus ille græcus compoſuit, cuius meminit Gregor. Epiſtola. libro 7. Epiſt. 63. Sed vt partes eius ſingulas perſequamur, quæcunque ſanè in eo fiunt olim quoque in vetuſtiſſima Eccleſia Canon Miſſæ.

facta eo planè ritu ac ordine quo nunc fiunt, facilè oſtenditur.

Cōmemoratio pro viuis, &c.

Primùm pro viuis rebuſq; alijs neceſſarijs, tam priuatim quàm publicè in hac precationis formula ſeu Canone oratum fuiſſe, ſic meminit Chryſoſt. *In myſterijs*, inquit, *communes preces effundimus, pro non initiatis, pro infirmis, pro terræ & maris & vniuerſi orbis fructibus, ſacrificamus*: alio verò in loco hortans vt in villis ſeu prędijs extruantur Eccleſię, cauſam hanc reddit. *Preces illic perpetuò pro te, laudes & ſynaxes propter te, oblatio per ſingulos dies Dominicos. Quid? parum eſt dic oro, te in ſanctis oblationibus nomen tuum ſemper referri, & quotidie pro villa preces ad Deum fieri?* Hæc ille. Nec diſſimiliter Auguſtinus. *Audis*, inquit, *ſacerdotem ad altare orare pro incredulis, vt eos Deus conuertat ad fidem, pro Catechumenis, vt eis deſiderium regenerationis inſpiret, pro fidelibus, vt in eo quod eſſe cœperunt, eius munere perſeuerent.* Hæc ille; Epiſtola 107. ad Vitalem. Sed vtroque antiquior Origenes, *iſtam commemorationem ſolam eſſe* dicit, *quæ facit propriũ hominibus Deum*: homil. 13. in Leuiticum. Vt taceam Cyprianum qui etiam *ſacrificio ſacerdotis purgari conſcientias*, ſcribit ſerm. 5. de lapſis. Certè illius magiſter Tertul. apertè ſcribit in hac precatione *orari pro Imperatoribus, pro miniſtris eius, pro rerum quiete* &c. in Apologetico cap. 29. Denique & *ſacrificare Chriſtianos pro ſalute Imperatoris*, in lib. ad Scapulum. Sed omnium antiquiſſimus Ignatius in Epiſtola ad Smyrnenſes, *ſacrificare*

Homil 77. in Ioan.

Homil. 18. in Acta Apoſt.

ficare Epiſcopum dicit *pro ſalute totius mundi.* Omitto Euſebium qui vniuerſam hanc formam Domonſtrat. lib.1. cap.6. deſcribit: Sanè illuſtre eſt quod ſcribit Chryſoſt. homil.4. de incomprehenſibili Dei natura, *huius orationis tempore homines dæmone agitatos adduci, & capita inclinare iubente Diacono, idque ex antiquo patrum ſtatuto: quin & Angelos hoc orationis tempore procumbere Domino, & vna nobiſcum canere,* alibi ſcribit: *habere enim iam tempus adiuuans, & oblationem ſibi auxiliantem.* In homil. de non contemnenda Eccleſia, & myſterijs.

Facta hac precatione, fit etiam Sanctorum gloriosa commemoratio, quam veteribus in more ſemper fuiſſe tot ferè ſunt teſtes, quot antiqui & celebres ſcriptores. Sed magis illuſtres proferam. Cypr. iubet Martyrum diès notari, *vt*, inquit, *celebrentur hic à nobis oblationes & ſacrificia ad commemorationem eorum,* lib.3. Epiſtola 6. Tertul. *oblationes annuas fieri* dicit *pro Natalitijs Martyrum,* in libro de Corona militis. Auguſt. *in honorem Martyrum offerri ſcribit Deo, non ipſis Martyribus:* contra Fauſtum lib.2. cap.21. Et de Ciuitate Dei lib.22. cap. 10. Chryſoſtom. quoque in celebratione Martyrum, *litari hoſtiam, conſummari ſacrificium,* ſcribit homilia 5. in 1. ad Timoth. *Inſpice,* inquit Dionyſius ille Areopagita, *vt ſacris memorijs inſcripti ſunt, de quibus dicitur, pretioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius.* Eccleſ. Hierar. cap.3. §.3.

Commemoratio Sanctorum.

Conſecratio myſteriorum.

Iſtis ergo ritè præparatis, conſecrationem tandem fieri & ſacrificium conſummari, omnis Antiquitas clamat. *Panis*, inquit Iuſtinus, *vinum & aqua cum gratiarum actione conſecrantur. Neque enim hæc vt communem panem vſitatamque potionem capimus; ſed per preces ſermonis quem à Domino accepimus conſecratus hic cibus eſt: eumque carnem & ſanguinem Ieſu Chriſti eſſe accipimus.* Hanc myſticam eulogiam, benedictionẽ, & conſecrationem, conſtanter vno ore omnes Patres. Auguſt. in Epiſtola 59. & contra Fauſtum lib. 20. cap. 13. Ambro. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Cyrillus in Ioannem lib. 12. cap. 12. & in præfatione Epheſini Conc. Baſilius in lib. de Spiritu S. cap. 27. Denique illis Chriſti verbis in vltima Cœna pronuntiatis & ſuper propoſitá elementa prolatis, fieri conſecrationem non minus conformiter S. Patres docẽt. Chryſoſt. diſertiſſimè in homil. de proditione Iudæ. *Hoc*, inquit, *verbo propoſita conſecrantur.* Irenæus etiam libro 5. *Quando factus panis & mixtus calix percipit verbum Dei, fit Euchariſtia.* Idem docet Iuſtinus & Ambroſius in locis iam citatis. Quibus accedit Gregorius Nyſſenus apud Euthymium in Panoplia libro 2. tit. 21. Et Euſebius Emyſſ. hom. 5. de Paſchate.

Oblatio

Offerri porrò quod ita conſecratur Deo Patri, id eſt Chriſtum ipſum, eo planè modo quo ſe ipſum in Cœna obtulit, nihil iam eſt contra huius temporis hæreticos luculentius à Catholicis probatum. Idcirco enim ſanè, *ſacrificium*

cium Chriſtianorum vocatur à Hieron. in Epiſtola ad Algaſiam & ab Auguſt. in oratione contra Iudæos cap. 9. Imò *veriſſimum & ſingulare ſacrificium* ab eodem Auguſt. in lib. de ſpiritu & litera cap. 11. Idcirco *noui teſtamenti oblatio* ab Irenæo vocatur lib. 4. cap. 34. *quam Eccleſia,* inquit, *offert Deo per totum mundum.* Idcirco *illud ſacrificium* ab Auguſtino vocatur *quod omnibus veteribus ſacrificiis ſucceſſit,* de Baptiſmo lib 3. c. 19. De Ciuitate Dei lib. 10. ca. 20. & lib. 17. ca. item 20. Idcirco *ſancti altaris oblatio* ab eodem Auguſtino vocatur Epiſtola 59. Idcirco à Dionyſio Areopagita *ſalutaris hoſtia* vocatur *litata Deo* Eccleſ. hierar. cap. 3. Ac deniq; à Iuſtino *hoſtia noui teſtamenti:* in Apol. 2.

Crucis ſignum in hac liturgia peragenda non ſecus ac magiam quandam execrantur hodie Reformatores noui, hoc nomine ipſi magis execrandi. Aliud ſenſit vetus Eccleſia, cuius fideliſſimus interpres Auguſtinus. *Signo,* inquit, *crucis conſecratur corpus Dominicum, & omnia quæcunque ſanctificantur cum inuocatione Chriſti nominis, in hoc ſigno conſecrantur.* Serm. 181. de tempore. Quo antiquior Chryſoſtomus: *Cùm ſacratiſſimo,* inquit, *alimur cibo, crux adeſt, & vbique victoriæ id inſigne nobis aſſiſtit.* homil. 55. in Matth. Et alibi. *In ſacra menſa, in corpore Chriſti, in myſticis cænis, fulget crux.* In demonſtrat. quòd Chriſtus eſt Deus. Crucis ſignum.

Fit quoque in miſſa Catholica ſacrorum myſteriorum eleuatio, quam *oſtenſionem* vocat Eleuatio myſteriorũ.

Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 27. *eleuari & oſtendi* aiunt, Dionyſius Eccleſ. hierarch. cap. 3. §. 3. & Chryſoſt. homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura: clamante olim Diacono, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

Adoratio. Fit præterea adoratio teſte tota Antiquitate, Auguſtino & Ambroſio in expoſit. Pſal. 98. Nazanzeno in Epitaphio ſororis ſuę Gorgoniæ. Chryſoſt. homil. 61. ad populum Antiochenum.

Defunctorum commemoratio. Fit denique defunctorum pia memoria, quod ab *Apoſtolis ipſis non fruſtra ſancitum eſſe*, affirmat Chryſoſt. homil. 69. ad populum Antioch. & in caput 1. ad Philippenſes. Idem teſtatur Tertul. lib. 2. ad vxorem, *anniuerſarias pro defunctis oblationes fieri aſſerens*; Idem quoque Cyprian. libro 1. Epiſt. 9. vetans *eius memoriam in ſacrificio fieri, qui clericum curatorem rerum ſuarum teſtamento reliquiſſet*. Auguſt. verò non ſolum diligenter diſtinguit, *alio loco ad menſam Domini commemorari Martyres vt ipſi orent pro nobis, alio loco alios pro quibus ipſi oramus*, tract. 84. in Ioannem, quemadmodum in noſtra liturgia Cath. fit, verum etiam pro matre ſua Monica, *ſacrificium pretij noſtri oblatum fuiſſe* ſcribit, ſicut ipſa moriens deſiderauerat. Confeſſ. lib. 9. cap. 19. Quod ſanctæ fœminæ deſiderium, *vt anile votum* ſuperbus & impius Caluinus, Inſtit. lib. 3. cap. 5. vocat, ita doctiſſimus & Sanctiſſ. Auguſt. in ſingularem pietatis maternæ commendationem, refert.

Ora-

Oratione Dominica totum hoc concludi ſcribit Auguſtin. Epiſtola 59. & Apoſtolicum eſſe Gregorius magnus docet, Epiſtolarũ lib. 9. Epiſt. 63. Oratio Dominica.

Pacis oſculum in myſterijs hiſce dari ſolitum, teſtatur Chryſt. homil. 29. in 2. ad Cor. Alio verò in loco apertius ſcribit. *Oſculum pacis porrigere tempore quo munera offeruntur in vſu eſt. Sed vereor ne fortè plures ex nobis labijs tantũmodo hoc faciant.* Hęc ille de compunctione cordis lib. 1. Huius etiam ritus meminit Cyrillus lib. 12. ca. 54. in Ioannem. Auguſtinus quoque ſerm. 166. de tempore, & eius contemporaneus Innocentius primus, Epiſtola ad Decentium cap. 1. & his omnibus antiquior Tertullianus, in lib. de Oratione cap. 14. Oſculum pacis.

In hoc pacis oſculo & in illa tota ſacerdotis precatione quæ circa illud verſatur, fit illa poſtulatio, quam Apoſtolus 3. loco ponit 1. ad Timoth. 2. *Tunc enim* (ait Auguſt. Epiſt. 59.) *Antiſtes velut aduocati ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordiſſimæ offerunt poteſtati.* Tunc etiam fit quod ſcribit Chryſoſt. hom. 18. in 2. ad Cor. in *horrendiſſimis myſterijs bene præcatur populus ſacerdoti, & ſacerdos populo. Nam cum ſpiritu tuo, nihil aliud eſt quàm hoc.* Sic autem reſpondemus dicente ſacerdote, *Pax Domini.* &c. Poſtulationes.

Hic proximum locum habet fideliũ communio, quæ quia in noſtra Miſſa parraro fit, clamant Reformatores, indignum facinus, nouam corruptelam, & rem in vereri Eccleſia Communio fideliũ nõ eſt pars Miſſæ neceſſaria.

inauditam. Sed iſta fidelium communio præ-termiſſa nec liturgiæ vim ac veritaté eneruat, nec huius temporis eſt propria, vt ſimplicioribus perſuadét proteſtantes. Non primũ, quia ad rationem ſacrificij ſatis eſt, vt is qui ſacrificat oblata percipiat. Nec communicantium numerus ad Chriſti inſtitutionem magis neceſſariò pertinet, quã certus ille & præſcriptus duodenarius numerus, quo Chriſtus vſus eſt. Non ſecundum, quia disertè clamauit Chryſ. ante annos mille penè ducentos, *fruſtra ſtamus ad altare, fruſtra habetur quotidiana oblatio. Nemo eſt qui ſimul participet.* Hæc ille hom. 3. in Epiſt. ad Epheſ. Ecce & oblationem quotidianam, & neminem tamen participanté. Quid quod & frigidiſſima iſta ſemel tántum in anno cõmunicandi conſuetudo, etiam in illa veteri Eccleſia nimiũ viguit? Hinc ſanè exclamat Amb. in Italia. *Cur poſt annum ſumis? ſicut græci in Oriente? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prodeſt.* Hęc ille de Sacramentis lib. 5. cap. 4. Quæ verba repetit Auguſtinus in Africa ſerm. 28. de verbis Domini. Chryſoſt. quoque in ipſo Oriente vehementius hac de re conqueritur. *In aliis,* inquit, *temporibus ſæpenumero neque cum mundi eſtis acceditis. In paſchate verò etiam ſi quid temerarium à vobis ſit commiſſum, nihilominus acceditis. O conſuetudinem, ô præſumptionem* hom. 3. in Epiſtolam ad Epheſ. Eandem querelam repetit hom. 5. in 1. ad Tim. & homil. 17. in Epiſtolã ad Hæbræos. Non ergo noua eſt ipſius liturgiæ corruptela,

In veteri etiam Eccleſiæ prætermiſſæ.

ſed

ſed vetuſtiſſima eſt ipſius populi Chriſtiani culpa. De qua vt de multis alijs cum Auguſt. ſapienter diſtinguere oportet. *Aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus. Aliud quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus tolerare compellimur.* Hæc ille contra Fauſtum Manich. lib. 20, cap. 21.

Sequuntur poſtremo loco poſt Collectam poſteriorem, quæ poſtulationis, de qua mox diximus, pars eſt, gratiarum Actiones: quæ verbis ſanè à populo fiunt, aut ab eo qui ſupplet locum idiotæ cum in fine reſpondetur, *Deo gratias. Participato enim tanto Sacramento,* (ait Auguſtinus) *gratiarum actio cuncta concludit, quam etiam vltimam commendauit Apoſtolus.* Hæc ille Epiſtol. 59. Sic & S. Chryſoſt. *Quæ ad gratiarum actionem pertinent, communia ſunt omnia. Neque enim ille ſolus gratias agit* (ſacerdotem dicit) *ſed & omnis populus. Prius enim accepta illorum voce, deinde congregatis illis,* (dum dicit Oremus) *vt dignè ac iuſtè hoc fiat gratiarum actionem incipit.* Hæc ille homil. 18. in 2. ad Cor. hoc enim fieri narrat poſt pacem communicatam.

Gratiarum actiones. | 1. Timot. 2.

Benedictio quæ in fine datur, non eſt omnium gentium ac locorũ: antiquiſſima tamen vt ex Conc. Agathenſi can. 47. & Aurelianenſi 1. Canone 28. manifeſtè patet.

Benedictio in fine Miſſæ.

Habetis Auditores vniuerſæ liturgiæ Catholicæ partes, apparatum & ritus, iuxta vetuſtiſſimam Chriſtianorũ Eccleſiæ formam, ex teſtibus non ſuſpectis, ſed probatiſſimis,

ſuccinctè & breuiter delineatas atque deſcriptas. Hæc liturgiæ Catholicæ forma ſi ſuperſtitionum, ſi abominationum, ſi Idololatrici cultus arguenda eſt; ſi theatricũ & Mimicum ſpectaculum; ſi Ethniciſmi, aut Iudaiſmi affectatio; ſi cœnę dominicę mutilatio aut deprauatio; ſi denique *Deus Maozim* à Daniele prædictus, quem Antichriſtus veneraturus eſt, quia arx regni Antichriſti eſt, habenda hæc liturgia eſt, (quæ omnia impuriſſimè & teterrimè affirmant & ſcribunt Proteſtantes;) eant nunc & eadem contumelia, verius dixerim blaſphemia, vetuſtiſsimos Patres atque veterē omnem Eccleſiam proſcindant; cum qua illa omnia habemus communia, quorum nomine tam tetras & inſanas blaſphemias contra Miſſam quotidie eiaculantur. Si autem veterem omnem Eccleſiā tam tetri criminis, tantęque abominationis damnare non audent, aut ſi audent (quid enim non audent?) Chriſtianæ ſaltem aures audire perhorreſcunt, agnoſcant Romanæ Eccleſiæ liturgiā ſolam eſſe Eccleſiaſticam, Chriſtianam, Apoſtolicam. Suam illam verò vel potius ſuas illas cœnas (Multiformis enim hæc hydra eſt) agnoſcant ipſiſſimo Antichriſto nondum perfectè manifeſtato, veriſsimam & apertiſsimam viam ſternere; cui ſanè & myſterio iniquitatis perpetuò operanti maximè proprium hoc erit, hoc iuge ſacrificium quod Chriſtianis proprium eſt, & quod ipſemet Chriſtus ſacerdos in ęternum ſecun-

Cap. 11.

ſecundum ordinem Melchiſedech conſtituit, è medio tollere, idque *propter peccata* ait Daniel. Agnoſcant denique per illos nunc inchoatum id eſſe, magnaque incremenra accepiſſe, quod Antichriſti tempore futurum SS. Martyr Hyppolitus ſcripſit ante annos 1200. *Eccleſiarum*, inquit, *ædes ſacræ tugurij inſtar erunt, pretioſum corpus & ſanguis Chriſti non extabit in diebus illis*, Hæc ille. Similia ſcribit Author operis imperfecti in Matth. *hoc ſacrificium Chriſtianorum tolletur ab Antichriſto, non erit qui Eccleſiam intret, aut oblationem offerat Deo.* Denique nō alia de cauſa ſuo iam tempore venturum vehementer metuebat Sanctus Baſilius, quā quòd *domus precationum clauſæ eſſent, & altaria cultu ſpirituali vacarent* Epiſt. 70. & 71, hîc eſt Antichriſtianiſmi ſtatus, hęc præludia, hæc ſigna manifeſtiſſima, quæ ſi in noſtra Miſſa iam olim obtinuerunt, multis iam ſeculis Antichriſti regnum ſtetit, & contra Chriſti Eccleſiam pręualuit. Sed quia quicunque hoc dicit, contradicit Chriſto dicenti, *contra Eccleſiam meam portæ inferi non præualebunt*, ideoque verè Antichriſtus eſt, profectò Antichriſti prorſus illi hodie ſunt, qui veteris Eccleſiæ ſacrificiū damnant, & iuge ſacrificium ex Eccleſia tollunt.

Cap. 8. In Orat. de conſumma tione mundi

Homil. 47.

Matth. 16.

QVÆ-

QVAESTIO QVODLIBETICA 3.

Vtrum hæreticorum maior ſit nequitia quàm Aſtutia?

IN ſcriptura Euangelica & Apoſtolica, quia maximè poſt Euangelij propagationem & Apoſtolorũ prædicationem graſſaturæ hęreſes erãt, quas idcirco idolis gentium, quibus mundus antea faſcinatus erat, ſucceſſiſſe à S. Patribus animaduerſum eſt; ideo potiſſimum & etiam frequentiſſimè de cauendis, vitandis, adeoque fugiendis hæreticis, à Spiritu S. admonemur atque iubemur. Nam vt Saluator ipſe diſertè docuit quæ veræ eius oues eſſent, *alienos non audire, ſed fugere*; ſic Apoſtolus eius Paulus clara voce præmonuit, *hæreticum hominem poſt vnam aut alteram correptionem deuitare; declinare quoque ab illis per diſſentiones & offendicula faciunt præter doctrinam, quam didicimus.* Imò anathema illis dicere, *qui annuntiant aut Euangelizant præter id quod accepimus.* Denique, *ne Aue eis dicere qui falſam doctrinam afferunt.* Huius autem tantæ tam ſeueræ ac toties repetitæ admonitionis, vel iuſſionis potius ac præcepti cauſas, præter alias, duas potiſſimum eſſe, eaſque maximè neceſſarias animaduerto. Nempe vt eſt hoc hominum genus omnium planè nocentiſſimum atque peſtilentiſſimum, (quippe qui fidem ipſam ſacroſanctam, *ſine qua impoſſibile eſt*

Auguſt. de Ciuit. Dei lib 18. c. 51. Cyprian. in lib. de vnit. Eccleſ. Author operis imperfecti in Matth. hom 48. Ioan 10. Tit 3. Rom. 16. Gal. 1. Ioan. epi. 2.

eſt placere Deo penitus ſubuertunt, ſub veræ tamen religionis ſpecie ac prætextu, ideoque tantò pernicioſius quantò occultius,) ſic duas maximè habet nocendi artes; duplici quadam peſte laborant; quas etiam eadem ſcriptura Euangelica & Apoſtolica diligenter nobis notauit, tradidit, expreſſit. Sanè vt agnitas caueremus; imò vt toto impetu totiſque viribus quaſi peſtem certiſſimam cito, & procul, fugeremus. Alterum hæreticorum hominum quaſi innatum quoddam & indiuulſum malum, eſt aſtutia, nequitia alterũ: ex quibus duobus tertium conſurgit, nequitia aſtutiſſima, vel aſtutia nequiſſima. Heb. 11.

Ac de aſtutia quidem hæreticorum in qua excellunt, quia ad nocendum promptior illa eſt, admonuit nos crebro Spiritus Sanctus. *Attendite vobis* (ait Saluator verbo vſus magnę & ſolertis cuiuſdam diligentiæ:) *à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intus autem ſunt lupi rapaces.* Quæ autem maior aſtutia eſt, quàm ſub ſumma & perfectiſſima ſimplicitate, lupinam, qua nulla ferocior eſt, rapacitatem geſtare? Rurſum Apoſtolus vocat hęreticos, *pſeudoprophetas, operarios ſubdolos, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti*, ideoque, *tanquam miniſtros Satanæ transfigurare ſe in Angelos lucis & in miniſtros iuſtitiæ*. Quibus quæſo verbis altiſſimè ſimulata ſanctitas & diſſimulata iniquitas, clarius aut expreſſius notari potuit? De hac etiam eorum aſtutia dicitur, *ſermo tanquam cancer*

Aſtutia hæreticorum. Matth. 18. 2. Cor. 11. 2. Tim. 2.

2.Tim.3. *cancer ſerpere,& ſubuertere ſimplicium fidem*, quia
Tit. 1. videlicet, non aperto marte, ſed actis cuniculis
animas capiunt: ideoq; proprio nomine, *ſedu-*
Ioan.Epi.2 *ctores* in ſcripturis vocantur. Deſerteque Sal-
Matth.24. uator præmonuit, quòd exurgentes pſeudo-
prophetæ *ſeducent multos*, ideóque eos diligen-
Rom.16. ter *obſeruandos, & declinandos* monet Apoſtolus,
quia *per dulces ſermones ſeducunt corda innocentium.*
Ex quibus ſcripturis edoctus Auguſtinus ſa-
pienter notauit, *per impium illum Cham qui inter-
pretatur callidus, hæreticorum genus callidum ſignifi-
cari, callidum* inquit, *non ſpiritu ſapientiæ, ſed ſpiritu
verſipellis eſtutiæ, quo ſolent hæreticorum feruere præ-
cordia.* Hęc ille de Ciuit.Dei lib.16.cap.2.

Nequitia hęreticorū. Rurſum propter nequitiam, qua etiam in-
ſignes futuri hęretici erant, vocantur in Scri-
ptura quaſi proprio quodam Epitheto, *magiſtri*
2.Pet.2. *mendaces, in hypocriſi loquentes mendacium.* Habere
1.Tim 4. quoque *inhabitantem ſpiritum mendacem in ore ipſo-*
3.Reg 22. 2.Cor.11. *rum*: Deniq; *miniſtri Satanæ*, qui vtique *pater eſt*
Ioan.8. *mendacij.* Ac poſtremò *Antichriſti* Epiſt.Ioan.2.
2.Theſſal.2 cuius aduentū deſcribit Apoſtolus, *eſſe ſecundū
operationem Satanæ, in omni virtute & ſignis & prodi-
gijs mendacibus.* Nulla enim maior nequitia aut
iniquitas eſſe poteſt, quàm doctorem verita-
tis, magiſtrum eſſe mendacij. Itaque Apoſto-
lus Paulus hæc duo nequitiā & aſtutiam, hæ-
reticorum propria quędam inſignia futura, eo
in loco diligenter notauit, quo in loco Ma-
giſterium S. Spiritus Eccleſiæ datum eſſe di-
ligenter deſcripſit. *Aſcendit*, inquit, *Chriſtus
in al-*

in altum, dedit dona hominibus, & quoſdam quidem Epheſ.4.
dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, ad ædificationem corporis Chriſti, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circũferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in Aſtutia ad circuuentionẽ erroris. Quandoquidém ergo & cæterę multę ſcripturę de aſtutia atque nequitia hęreticorũ ſeorſim, & hoc in loco Apoſtolus de vtraque coniunctim nos monuit, idque eo præſertim in loco, quo in loco Eccleſiæ ſaluberrimam Authoritatem ad extirpandas vel etiam abigendas hęreſes à Chriſto datam, eiuſq; Authoritatis finem & vſum ampliſſimũ tradidit, deſcripſit, expreſſit; exiſtimaui me hoc loco ac tẽpore, quo paſſim graſſari hęreticorum agmina quaſiq; locuſtarum greges orbem penè Chriſtianũ depaſcere cernimus; nec ingratam nec inutilem operam facturum, ſi hac propoſita quæſtione quodlibetica, vtra cenſenda ſit in hæreticis magis excellens, nequitiá ne an aſtutia, (vtraque enim illos prępollere ſcripturę docuerunt) de vtraque peſte hac occaſione aliquid diſſererem; pariterque eadem opera, quàm ſtudioſè, ſolerter ac vigilanter cauendum nobis hodie, fugiendum, imò & execrandum hoc hominum genus eſt, ſi Dei honorem ſartum, tectum, ſi ſalutem animarum noſtrarum ſaluam & ſanam eſſe volumus; paucis prout hęc breuitas permittet, admonere. Quod dum

facio

facio diligenter quęſo & patienter (Auditores Catholici & orthodoxi) tantiſper attendite.

De veterum hæreticorũ ſiue nequitia, ſiue aſtutia minùs hoc loco in dicendo laborandũ mihi video, vt quæſtionis propoſitæ concluſio aliqua certa ſtatuatur; tam amplam mihi & copioſam dicendi materiam præſentium huius temporis hæreticorum dicta ac facta, ſubminiſtrant. Quia tamen non iniucundum nec etiam inutile eſt, quàm veteribus hæreticis hi hodie noſtri perſimiles ſint; quámque verè & ad viuum, communem Patrem Satanam referunt, (totius nequitiæ Principem, & aſtutię architectum) cognoſcere atque perſpicere; de illorum quoque hac in parte virtutibus egregijs, aliqua quidem ſed pauca & breuiter notabo. Ac video me ſanè ampliſſimum hic dicendi campum vel potius labyrinthum quendam inextricabilem ingredi. Agam tamen & paucis & ordine quam poſſum luculentiſſimo. Priore autem loco de aſtutia, poſteriore de nequitia agemus.

De aſtutia hæreticorũ tam veterum quam hodie.

Prima ergo aſtutia veteribus hæreticis cum noſtris hodie cõmunis illa eſt, longè pernicioſiſſima, quòd in tota doctrina ſua ſolũ & purum putũ prætexunt verbũ Dei ſcriptũ, tanquã omniũ de religione controuerſiarũ componendarum normam vnicam & ſufficientiſſimã. Quo in loco de Scriptuarum ſacroſancta maieſtate, dignitate, excellentia, origine, vſu ac fine, mirum quanta facundia, copia, grauitate

tate diſputant, declamant, perorant, ſuoſque Auditores tanquam in tertium Cælum raptos, ac nihil niſi Deum ipſum in huiuſmodi magiſtris animo complectentes, in ſui admirationē, imò venerationem dementatos & incantatos, conuertunt. Sed eſt hoc totum fucus Satanicus & fraus diabolica. Non ſolū quia in ſcripto textu ſacrornm Bibliorum omnia doctrinæ capita expreſsè comprehenſa non ſunt (quod euidenter oſtendunt multa dogmata non ſcripta cōtra veteres hęreticos olim definita, vt Patrem eſſe ingenitū, Filium Patri conſubſtāntialē, duas eſſe in Chriſto naturas, aliaque ſimilia permulta;) ſed etiam quia illi ipſi tam veteres quàm noui hęretici, tanti ſolius ſcripturæ buccinatores & præcones, quā plurima tamen extra ſcriptum Dei verbum idq; vt neceſſariò credenda docent, affirmāt, tenent. Ariani ſolas ſcripturas poſtulabant apud Athanaſiū in Epiſt. de Synodis Arimini & Seleuciæ, & apud Auguſt. lib. 1. contra Maximinum & Epiſt. 174. Iidem tamē ipſi quàm multa extra ſcripturas aſſerebant, copioſè enumerat Athanaſius in Epiſtola iam citata & in diſputatione coram Probo Iudice. Solas ſcripturas poſtulabāt Eunomiani apud Gregor. Nazanz. li. 5. de Theologia, & apud Baſilium li. 1 contra Eunomiū: Eutychiani ſimiliter in Concilio Conſtantinopolitano ſub Flauiano, quod recitatur in Calcedonēſi Act. 1. & 3. Pelagiani quoque apud Auguſtinum in

Prætextus ſolius Scripturæ aſtutia diabolica.

Plura de huius generis aſtutia, vide Controuerſias noſtras de Principijs fidei doctri.

Lib. 12. c 7.

lib.1.de natura & gratia c.39. Iconomachi in Conc. Nice.2. Anathematiſmo 7. Albigenſes apud D.Bernardū hom.66. in Can. VViclefſiſtæ apud VValdenſem doctrinalis fidei lib.2. c.19. Eorundem tamen omnium hęreticorum propoſitiones & dogmata quę mordicus contra Eccleſiā tenebant, erant voces nō ſcriptæ. Hodie verò noſtrorum hęreticorum pręcipua dogmata ſunt *prophanæ vocum nouitates*, nec in ſcriptura comprehenſæ, nec ab Eccleſia hactenus auditæ. Vt exempli cauſa, *Imputatiua iuſtitia; ſola fides iuſtificans: ſpecialis fides & apprehēſio promiſſionum: ſignum, figura, energia corporis in Eucharistia, ſub pane, cum pane, in pane: ex ſolis electis cōſtare Eccleſiam. Tam intra Eccleſiā quā extrà, Satanam & Antichriſtum regnare. Liberum arbitrium extinctum eſſe, aut titulum eſſe ſine re. Sola peccata contra conſcientiam eſſe mortalia: huiuſmodi peccata excutere fidem. Ipſam fidem ſine charitate non eſſe, imò ab illa diſtinctam virtutem non eſſe. In omni opere bono peccare iuſtū. Baptiſmum omnia peccata per omnem vitā conſequentia, ſua vi & recordatione ſui abolere.* Hæc & alia permulta, voces, propoſitiones, dogmata ſunt nullo ſcripto verbo comprehenſa, & tamen ab illis magiſtris pertinaciter aſſerta, qui in ſolo ſcripto verbo omnem neceſſariam doctrinam comprehendi & expreſſe contineri docent. Sed fraude, vt dixi, diabolica hoc fit,

Proteſtantum dogmata non ſcripta.

Prætextus ſolius Scripturæ multiplex aſtutia.

1. vt prætextu verbi ſcripti omnem Eccleſiæ
2. Authoritatem reſcindant, multas damnatas
3. hæreſes renouent, noua quæcunque dogmata

in

in ſcripturis expreſsè non damnata, licenter de nouo introducant.

Ad alia pergamus: neque enim immorari ſingulis licet. Aſtutia illa ſingularis, & veterũ & noſtrorum eſt, hęreſes ipſas ſuas multis & miris artibus diſſimulare, tegere, occultare. De Arianis hoc notat diligenter Hilarius in lib. de Synodis, & eos hoc nomine *lucifugas* vocat Athan. in Epiſtola ad Epictetum. De Sabellianis quoq; idem notat Hilarius li. 5. de Trinitate. In Ioanne Hieroſolimitano Origeniſta notat hoc accuratè Hieron. in Epiſtola ad Pammachium contra errores eius. Deniq; de Pelagianis multis in locis hoc obſeruat Augu. De peccat. mer. & remiſſ. lib. 3. c. 3. & 13. In lib. de peccato originali c. 15. Itẽ de gratia Chriſti. c. 2. & 3. Idem de Maſſalianis Theodoretus hæreticarum fabularum li. 4. Ac de Bogomilorũ Principe Euthymius panoplię par. 2. tit. 23. Ac horum quidẽ hæreticorũ aſtutia qualis fuerit, explicatè commemorauimus in Cõtrouerſijs noſtris de Principijs fidei doctrin. lib. 7. cap. 4. Noſtri autem hodie hæretici id faciunt quoq; & quidem ſtudioſiſſimé: idque fraudibus & dolis malis partim proprijs & peculiaribus, partim ſibi cum veteribus hæreticis communibus. De vtriſque aliquid dicendum eſt.

Altera hæreticorum aſtutia ſuas hæreſes occultare.

Propria quædam & inſignis fraus hęreticorum hodie noſtrorum eſt in diſſimulanda ſua hæretica doctrina, vt in maximis de fide quęſtionibus, ſcholaſticorum diſputationes & opi-

Quibus artibus ſuas hæreſes occultant hęretici moderni.

opiniones priuatas cum Catholica & publicâ Eccleſiæ doctrina admiſceant atque confundant; idque toti Eccleſiæ tribuant quod paucorum ſcholaſticorum opinio eſt, quam vel Eccleſia non approbat, vel certè de ea adhuc nihil in alteram partem definiuit. Hac enim fraude efficiunt, vt tum Eccleſiæ cauſa vehementer prægrauetur, tum ſua egregiè commendetur: dum videlicet, illas quorundam ſcholaſticorum opiniones parum approbatas validè confutant, Eccleſiæ doctrinam & religionem Catholicam ſtrenuè expugnaſſe imperitis videantur. Sic in doctrina de peccato originali, in quo potiſsimum propriè & præciſè illud conſiſtat, de præparationibus ad iuſtificationem, an ibi ſit aliquod meritum congrui, deque ipſa iuſtificatione noſtra, priuſne infundatur gratia quàm remittatur peccatum vel contra, iſtas, inquam, quæſtiones quæ ad Catholicam doctrinam neceſſariò non pertinent; vel de quibus nihil certi eſt definitum; denique in quibus ante has controuerſias natas, vel nunc in Conc. Trid. definitas, aliqua imprudēter aſſerta ſunt; exagitant hodie Proteſtantes, tanquam certiſſima fidei & ſalutis noſtræ capita, atque à nobis conſtāter & vnanimiter defenſa. Similiter faciunt in doctrina tranſſubſtantiationis, de quorundam ſcholaſticorum ſententia exiſtimantium poſſe fieri, vt manente elementorum ſubſtantia, vera tamen conſtaret Sacramenti ratio. Sic deniq; in

1. Scholaſticorū priuatas opiniones cum Catholicæ Eccleſiæ doctrina confundūt

Sacra-

Sacramentorum doctrina, quæ aliqui ſcholaſtici de vi Sacramentorũ veteris legis minus commodè ſcripſerunt, aut etiam de virtute Sacramentorũ noui Teſtamenti parũ dexterè interdum opinantur, ac poſtremò quę de cooperatione liberi arbitrij cum prima gratia per ſimilitudines aut exempla minus idonea aliquando diſputát, ea omnia ad receptá & conſtantem atque firmatam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, fraudulenter referunt. Atq; in hoc toto genere excellit Martinus Chemnitius, in Examine decret. Cóc. Tridentini. Cęterũ friuola adhuc & parua iſta ſũt, pręalijs illis fraudibus & dolis malis, de quibus nũc agemus.

Nempę ne hęreſes ſuas apertè prodere & propalam in arenã producere cogantur, quoties cum Catholicis ſcriptoribus certamen ineunt ac pugnam inſtituunt, pro more habent inſigni calliditate, ſtatum quæſtionis penitus immutare, vt ſimpliciori quidẽ lectori egregiè imponant atque illudant: aduerſario autẽ doctiori negotium faceſſant. Sic in quæſtione de cooperatione liberi arbitrij cum gratia ſtatũ quæſtionis eſſe aiunt, vnde habeat voluntas hominis nouos illos motus & actiones, quibus ad Deum conuerſa iam rèctè agere incipit: & ſe quidẽ docere ex Deo eſſe illos nouos motus: nos autẽ affirmare ex libero noſtro arbitrio nos hoc habere: quod prorſus Pelagianũ eſt. Fuit enim hic ſtatus quęſtionis, ille ipſemet de quo inter Auguſtinũ & Pelagianos

Statũ quæſtionis in primarijs controuerſijs immutant.

1.

nos olim tantopere certatum eſt. Cæterū hodie cū Proteſtātibus quęſtionis ſtatus eſt, non vnde in prima cōuerſione nouos animi motus habeat conuerſus (hoc enim quin à diuina gratia habeat nemo Catholicus vnquam dubitauit) ſed quomodo diuina gratia hos nouos motus in homine recenter cōuerſo operetur, an ſua ſola operatione, ipſa voluntate nihil agente ſed patiente tantū, quod illi affirmant; an verò cooperante quoque liberè cum diuina gratia ipſa voluntate, adiutorio gratię iam excitata & adiuta. Libertatis enim illa propria quæſtio eſt, ſitne liberū in ſuà conuerſione ad Deum arbitrium noſtrū, an non. Nam vndecunque hanc libertatem habeat aſſentiendi vocanti Deo, ſi habet, liberum eſt; ſi non habet, ſeruum eſt. Peſtilens hæc eſt & fraudulenta multum ipſius τῶ κρινομένȣ, inuerſio.

2. Idem faciunt in quęſtione de Iuſtificationis noſtrę cauſa formali. Aiunt enim quæri quę ſit illa cauſa propter quam quaſi mouentem & efficientem acceptamur à Deo pro iuſtis, aut propter quam iuſti ſumus: quam illi aiunt eſſe Chriſti iuſtitiam, obedientiam, meritum: nos verò noſtras qualitates inhærentes cauſam illam eſſe dicimus. Sed frauduléter agunt. Quęritur enim cauſa non propter quam effectiuè iuſti ſumus, quam efficientem cauſam in ſolo Deo per Chriſtum ponimus; ſed per quá vel ſecundùm quam iuſti ſumus, ſicuti paries eſt albus propter pictorem dealbantē effectiuè,

per

per albedinem inhærentem formaliter.

Idem faciunt in quæſtione de ſacrificio miſſæ, neſcio quas quorundam ſcriptorũ opiniones proferentes, claram autem & dilucidã Catholicæ doctrinæ ſententiã in Con. Trid. ſeſſ. 22. can. 1. & 2. traditam, & in cap. 1. ac 2. eiuſdem ſeſſionis explicatam diſſimulantes. Nec diſſimiliter faciunt in quæſtione de trãſſubſtantiatione diſputantes, an poſſit cũ pane ſubſiſtere in Sacramento Corpus Chriſti, cùm quæſtio ſit non, an hoc poſſit fieri diuina potentia abſoluta, ſed an ex verbis Chriſti dicẽtis, hoc eſt corpus meũ, talis ſenſus poſſit aut debeat orthodoxè conſequi. Eadẽ planè fraude verſatur in quæſtione de reſeruatione ven. Sacramenti, de Purgatorio, aliiſque quęſtionibus hodie ab illis in Cõtrouerſias vocatis; quę omnia hoc loco explicare nimis eſſet prolixũ. Atq; hæc de aſtutia noſtris propria. Idem fecit Caluinus & poſt eum Caluiniſta VVhitakerus in quæſtione de certa Scripturarũ notitia: quod in Triplicatione noſtra aduerſus dictum VVhitakerum latè explicatum, videre licet.

3.

4.

5.

Nunc ad illas fraudes veniamus, quas cum veteribus hæreſibus communes noſtri hæretici habent in occultandis ſuis hæreſibus. *Qui enim malè agit, odit lucem.* Vna & inſignis fraus eſt, quod communicant ſæpe in verbis & forma ſermonis cum Catholicis, re tamen tota diſcrepantes, & venena ſua inſidiosè hac arte occultantes. Huius fraudis exempla ſunt,

Ioan. 13.

3. Sub verbis Catholicis dogma hæreticum occultant.

1.

quòd ex verbis Dei tandem coniuncti, agno-
ſcunt bona opera renouatorũ atque iuſtorum
eſſe iuſtitiam, ſed approbationis tantùm non
veritatis, quod eſt re ipſa iuſtitiam illis negare.
2. Item, eſſe nos iuſtos iuſtitia quadã nobis pro-
pria nec extra nos poſita: ſed quia Chriſti iu-
ſtitia nobis realiter imputatur, non quia verè
nobis inhæret iuſtitia, quam Chriſti gratia per
Spiritum Sanctũ operatur in nobis; quod eſt
iuſtitiam nobis propriam & in nobis poſitam,
verè negare.

3. Denique pœnitentiam, orationem, aliaque
bona opera, nos iuſtificare quatenus ex fide
fiunt, ſcribunt; ſed non eo ſenſu hoc ſcribunt,
quo docetur fides eſſe initium & fundamen-
tum illorum aliorumque bonorum operum,
verùm quia nihil aliud illa bona opera eſſe
cenſent quàm fidem ipſam, cuius ſolius opus
eſſe volunt, quicquid iuſtus rectè & piè facit;
quod eſt rurſum verbo tenus cum Catholica
4. loqui, re tota diſſentire. Rurſum per ſacramẽ-
ta ipſa verè offerri, exhiberi, atque etiam con-
ferri gratiam Lutheranorũ ſententia eſt, con-
tra allegoricos tropos ſacramentariorum. Non
tamen alio ſenſu hoc docent, quam quia ſunt
organa ſeu inſtrumenta per quę Deus reuelat,
proponit, offert, & exhibet beneficia Chriſti,
per fidem acceptanda: eodẽ planè modo, quo
per verbum prædicatum aut lectum Spiritus
Sanctus eſt efficax ad ſalutem omni credenti;
quia videlicet ſacramentorũ ritus & ceremo-
niæ,

niæ, ſic incurrunt in oculos excitant fidem, ſicuti verbum prędicatoris incurrens in aures, ſimiliter excitat. Qui ſanè ſenſus à Catholica doctrina tam procul abeſt, quam priorũ verborum forma ad Catholicam doctrinam, prope acceſſit. Poſtremò docent Caluiniſtę, realiter nos cõmunicare corpus & ſanguinẽ Chriſti in venerabili Sacramento, & quo totus Chriſtus verè nobis & rea liter exhibetur. Sed ſenſuș eſt, quod fidę à nobis apprehẽdatur etiã in cælo abſens: fidei enim tantam vim eſſe, vt efficiat ea quæ verè abſunt, verè nihilominus eſſe præſentia. Qui ſenſus portentoſus à Catholico ſenſu, cuius tamẽ verba retinent, plus quam toto cælo aberrat. Hęc ſunt exempla aliquot huius generis aſtutiæ longè calliđiſſimæ, & ad decipiendum efficaciſſimę, ſed cum veteribus hęreticis, communis. 5.

Exempla vide longè luculentiſſima dę Pelagianis, circa verbũ gratiæ & adiutorij apud Auguſtinũ in lib. dę gratia Chriſti cap. 2. 7. 9. 31. & 33. & de natura & gratia cap. 11. Circa effectũ Baptiſmi in paruulis in lib. de peccato originali cap. 18. & de gratia Chriſti cap. 21. 32. & 33. Deniq; circa peccatũ Adami in lib. de peccato orig. c. 15. & 16. In his enim omnibus in forma ſermonis cum Catholicis ita probè cõueniebant, vt non ſolùm Iudicibus ſuis doctis & ſanctis Epiſcopis impoſuerint, ſed & ipſemet Auguſtinus ſe propemodũ quoq; deceptũ fuiſſe, ſcribat. Similis huic aſtutia illa eſt, qua

Sub verbis Patrum ſenſum hæreticum occultant.

ſolent quidam huius temporis hæretici vocabula & phraſes veterum patrum retinere, & ſub eiſdem hæreticam ſententiam inducere.
1. Exempli cauſa, quia diſtinguit Auguſt. in fine lib. de Spiritu & litera, & in lib. de perfectione iuſtitię, de iuſtitia perfecta & imperfecta, retinent illi hanc diſtinctionem; ſed ita vt iuſtitiá imperfectam exponant illam eſſe quæ aliquid ſemper immunditiæ & labis habeat, ideoque apud Deum verè peccatũ ſemper ſit. Eodem modo quia Auguſt. ſine peccato neminem viuere & ſi poſſe concedit, vtuntur & illi his Auguſtini verbis, vt probent hominem ſemper
2. peccare & neminem iuſtum eſſe poſſe: Cum tamen Auguſt. de peccatis venialibus tantum illud dixerit, quæ iuxta eius doctrinam iuſti-
3. tiam non impediunt. Nec diſſimiliter quod aliqui interdum Patres ſola fide hominem iuſtificari dixerint, eo ſanè ſenſu, vt opera legis vel naturę ſine fide & gratia Chriſti ſenſu Apoſtolico excludant, vel etiam quia abſque fide nulla opera valent, trahunt illa patrum verba retenta verborum forma ad portentoſum illũ ſenſum, quo fides abſque vllis operibus etiam in fide & gratia Chriſti factis in negotio iuſtificationis ſit ſola. Non minus certè hæc, quàm illa altera aſtutia peſtilens eſt. In vtroque autem aſtutiæ genere, illud quod de ſui temporis hęreticis notat S. Baſilius locum habet, vbi
Epiſt. 73. dicit. *Verbis fidei more medicorum vtuntur pro commoditate aliter atque aliter, ſeſe ad affectionum rationem*

ac

ac varietatem attemperantes. Hæc ille. Video me in hac enumeratione plus æquo prolixũ eſſe. Itaque de vna adhuc inſigni admodum Aſtutia, tam veterum quàm noſtrorum hodie hæreticorũ vbi dixero, ad nequitias pertexendas noſtra ſe conuertet oratio.

Aliud aſtutiæ genus per hæretici dogmatis alterum extremum, propriũ dogma tueri.

Cùm veritas ſicut virtus in medio quodam conſiſtat; habeátque vtraque hinc inde, hæc quidem vitiorũ, illa falſitatis extrema; vt vni ſemper veritati plura aduerſentur falſa, ideoque hæreſis omnis ſeu falſa doctrina in extremo aliquo verſetur; mira quadam fraude hæretici tam veteres quàm hodie noui vt ſuæ turpitudinis extremum celarent, in alterum falſæ doctrinæ extremum vehementer inuehere ſolent, idemque aduerſariis ſuis impingere: non ſecus ac ſi de auaritia accuſatus contra prodigalitatem declamaret, vel prodigum eſſe aduerſarium clamitaret.

Quem ſanè in modum Phariſęos qui humanas ſuas traditiones contra Scripturã ventilabant, & Sadduceos qui nihil extra Scripturam admittendum eſſe dicebant, olim inter ſe commiſſos fuiſſe, & inteſtina odia multis annis exercuiſſe commemorat Ioſephus. Exempla iam breuiter, ſed illuſtria primum veterũ, poſtea noſtrorum ſubijciam.

Antiquit. lib. 13. c. 18

Veterum hæreticorũ in hoc genere exempla.

Ariani Dei filium blaſphemantes, Dei patris honorem multis verbis extollebant, & *ſub vocabulo ingeniti* (ait Athanaſius) *animi prauitatem occultabant.* In libro de decretis Nicenæ Synodi.

Synodi. Iidem quoque Meletium orthodoxũ, perſonarum Trinitatem docentem, Sabellianum eſſe clamitabant, vt narrat Theodoretus, hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 31. Arius quoque ipſe, *ſimulabat ſe Sabellinum impugnare*, ait Athanaſius in lib. ad Serapionem. Hic autem Sabellius, pro tribus perſonis Deum trinominẽ poſuit, perſonarum diſtinctionem negans, de quo lege Hilarium lib. 7. de Trinitatẽ. Rurſum Ariani, *diuinitatem filij negantes, humanitatem Chriſti magnificè extollebant*, & (ait Athan. ſerm. 3. contra Arianos, *cùm abominabile eſſe eorum dogma apud omnes viderent, ſtatim veluti fulcrum quoddam ruinoſæ hæreſi, excellentiã humanitatis Chriſti ſubiiciebant.* Alij verò hæretici qui Spiritum S. negabant, ſed filium Dei agnoſcebant, *Arianis ſe contradicere ſimulabant*, ait idem Athanaſius in libro ad Serapionem.

Sed excelluerunt in hoc genere Pelagiani, qui vt varias ſuas hæreſes tegerẽt, Manichæos qui in altero extremo verſabantur ſeſe impugnare dicebant: ideoque Catholicos ipſos, Auguſtinum maximè, qui eorum dogmata refellebant, Manichæos eſſe proclamabant. *Ecce* (ait Auguſtinus de Pelagianis) *vnde noui hæretici Manichæorum nomine obiecto, vim veritatis ſubterfugere ſe putant, quæ Manichæos tamen Pelagianoſque ſimul ſubuertit.* Contra duas Epiſtolas Pelag. lib. tertio, cap. 9. Et ſingula explicans eiuſ-
Cap. 4. 1. dem operis lib. ſequenti dicit. *Quid prodeſt Pelagianis quòd in laude creaturæ dicunt Deum omniũ naſcentium.*

centium eſſe conditorem, quod negauit Manichæus; docens naturam hominum eſſe opus Principis tenebrarum, quando interea negant Deum eſſe omnium Saluatorem? Hoc enim faciunt negando cum peccato originali naſci paruulum. *Et ſic inter vtroſque vel apud vtroſque Dei creatura quæ eſt in infantibus, perit.* Quid eiſdem prodeſt, quòd laudant nuptias, quas damnabant Manichęi, quando propterea hoc dicunt ne vel in nuptijs Chriſtianorum vllam agnoſcant vitioſam eſſe concupiſcentiam, vel ne ex eiſdem fateantur naſci paruulos peccati reos? Quid eiſdem prodeſt, quòd laudant legem veterem quam damnauit Manichæus, dum propterea legē laudant, vt gratiam excludant? Quid eiſdem prodeſt, quòd laudant liberum arbitrium, quod negauit Manichæus, dum propterea laudant vt adiutorium gratiæ minus neceſſarium oſtendant? Poſtremò quid eiſdem prodeſt, quod laudant S. Prophetas & Patriarchas quos reprobauit Manichęus, dum idcirco laudant Sanctos, vt eos doceant ſine peccato prorſus in hac vita vixiſſe? Hæc de Manichęis & Pelagianis Auguſtinus, de quibus dicit, *quòd morbis inter ſe contrarijs confligunt, diſsimili voluntate, ſimili vanitate: ſeparati opinione diuerſa, ſed propinqui mente peruerſa. Nam hoc interim commune habebant: quod gratiam Chriſti ſimul oppugnabant, Baptiſmum Chriſti ſimul euacuabant: carnem Chriſti ſimul exhonorabant; ſed modis cauſiſque diuerſis.* Hæc Auguſt. contra duas Epiſtolas Pelag. lib. 2. cap. 2.

2. Ibid. cap. 5.

3. Ibid. cap. 6.

5. Ibid. cap. 7.

Videte

Videte nūc obſecro & aduertite pauliſper Auditores, inter Proteſtantes hodie & Pelagianos eandem (vt ſic dicam) diſſimilem ſimilitudinem, & eandem aſtutiam. Proteſtantes enim in quęſtione de gratia & libro arbitrio Pelagianos errores & dogmata nobis impingunt, ſeque ac ſuam doctrinam Pelagianorum hęreſim impugnare aiunt. Sed id dum faciūt, in Manichæi inſanias ruunt, & Scyllam Pelagianam declinātes, in Charijbdim Manichæā impingunt. Quid enim illis prodeſt contra Pelagianos agnoſcere concupiſcentiā ex peccato originali inuectam, non autē naturalem eſſe, dum interea cum Manichæis eandē concupiſcentiam ſic exaggerant, vt omnē vitiorū ac ſcelerum perpetuum & neceſſarium fomitem illam eſſe doceant, *quæ* (ait Caluinus) *non ſecus atque incenſa fornax flammam & ſcintillas efflat, aut ſcaturigo aquam ſine fine egerit, ſic peccati nouos aſſiduè fructus parit.* Hæc ille. Quid eis prodeſt contra Pelagianos adiuuantē gratiā aſſerere, (quanquam & hanc prorſus negat Caluinus) cum tamen cum Manichæis liberum arbitriū tollunt, & vel titulum eſſe ſine re vt Lutherus aſſeruit, vel certè merè paſſiuè ſe habere cum prima gratia vt omnes affirmant? Quid eis prodeſt quod contra Pelagianos naturæ vires ęgras fatentur, quando interea cum Manichæis inſanabiles faciant? Ideo enim iuſtitiam operum per gratiam renouantē negant, quia nondum ſic ſanatam aiunt vt poſſit iuſtè ope-

Proteſtātes quot modis cum Manichæis conſpirant dum Pelagianos deuitant.

1.

Inſtit. lib. 2 ca. 1. par. 2.

2.

3.

operari. Imo Spiritum gratiæ ad legis opera prǫſtanda à Deo concedi, prorſus negat Beza Annot. in 2. Cor. c. 3. v. 3. Quid eis prodeſt cōtra Pelagianos agnoſcere in peccato originali naſci paruulos, quando cum Manichæis nihilominus affirmant, *Baptiſmū nihil cuiquā ad ſalutē afferre*? Poſtremò, quid eis prodeſt cōtra Pelag. docere neminē ſic perfectè iuſtum in hac vita eſſe, vt ſine peccato veniali viuat, ideoque remiſſionē peccatorum per totā vitam eſſe neceſſariā, quando interea cum Manichęis docēt impoſsibilitatem obſeruandi mandata? Quare morbis inter ſe contrarijs Pelagiani & Proteſtantes laborant. Vtriq; enim per verū volunt ſeducere ad falſum. Vtrique dum ab alijs hæreticis ad ſeipſos homines volunt traducere, mutare illis morbum cupiunt, non ſanare: Denique vtrique pręditi ſunt diſſimili voluntate, ſimili vanitate; ſeparati opinione diuerſa, ſed propinqui mente peruerſa. Nam gratiam Chriſti ſimul oppugnāt, illi vt non neceſſariā, iſti vt non ſufficientem. Baptiſmum Chriſti ſimul euacuant, Illi vt non neceſſariū peccato originali, iſti vt non neceſſariū omnino ad ſalutem. Peccatū originale ſimul peruersè exponunt: illi prorſus negādo, iſti eius reliquias nimium exaggerando. Paruulorū ſalutem ſimul deſtruūt, illi eos mox natos illuminari à Chriſto aſſerētes propter illud, *Erat lux vera*, &c. teſte Auguſt. de peccatorū Mer & remiſſ. lib. 1. c. 25. iſti etiam nondū natos eſſe filios Dei propter illud

4. Aug. hę. 45. 5. 1. 2. 3. Inſtit. lib. 4 cap. 15 par. 20. & c 16. par. 6.

illud *Ero Deus tibi & ſemini tuo*: vt docet Caluinus. Denique iuſtitiam Chriſtianam ſimul peruertunt: illi ex ſolo lib. arbitrio comparari eam poſſe docentes, iſti ne quidẽ ex adiutorio gratiæ, ad illam perueniri affirmantes.

Proteſtantes etiam cum ipſis Pelagianis in multis conueniũt.

Poſtremò, rectè quidem contra Pelagianos fatentur non in lege, non in doctrina, non in reuelatione, non in exemplis vel Chriſti vel Sanctorum, denique non in natura conſiſtere gratiam iuſtificantem, improbè tamen cum eiſdem Pelagianis, in ſola remiſſione peccatorum hanc gratiam conſiſtere, apertiſſimè do-
2. cent. Rectè contra Pelagianos agnoſcunt cõcupiſcentiam eſſe vitium naturæ, per peccatum corruptę etiam in Sanctis remanẽs, non autem eſſe naturale. Sceleratè tamen contra Eccleſiam tenent ſic eſſe vitium, vt ſit etiam in renatis proprij nominis peccatum: quod Catholicorum eſſe ſententiam mentieban-
3. tur Pelagiani teſte Auguſtino. Rectè agnoſcũt contra Pelagianos in Baptiſmo fieri remiſſ. peccatorum: ſed ſceleratè faciunt, quod nec per Baptiſmum id fieri concedunt, nec verè radicitus tolli, ſed tantum radi peccata docent, quod Catholicis etiam impingebant Pelagiani, teſte Auguſtino. Rectè denique gratiam Chriſti grauitò iuſtificantem, ſine vllis præcedentibus meritis contra Pelagianos docent: ſed improbè tamen propterea negant, ad iuſtificationem aliquid facere obedientiam legis, quod propterea negare Catholicos Pelagiani

Con. 2. epi. Pelag. lib. 1. cap. 13.

Ibidem.

lagiani

lagiani obiiciebant eodem teſte Auguſtino. 4.
Poſtremò rectiſsimè in ſingulis actibus neceſſitatem gratiæ contra Pelagianos docent: ſed improbiſsimè inde conſequi volunt, nihil propterea facere liberum arbitrium. Sic enim & ipſi colligebant Pelagiani dicentes; *Si indiget homo auxilio gratiæ, ergo non eſt liberum arbitrium.* apud Auguſtin. Epiſtola 106. & apud Hieron. ad Creſiphontem. Egregia ergo & calidiſſima ſed vana & improba aſtutia Pelagianiſmum ſe impugnare Proteſtantes aiunt, & Pelagianiſmi Catholicos redarguunt, dum Pelagium declinantes, vel Manichæo adhærent, vel in tertium quoddam extremum delati, deteriora Pelagianis docent.

Con. 2. epi. Pelag. lib. 3 cap. 2.

5.

Alię adhuc aſtutiæ hæreticorum hodie.

Video me dum has aſtutias noſtrorum hodie hæreticorum commemoro, longius progredi quam huius temporis ratio poſtulat. Itaque multis alijs prætermiſſis, vt, quod inter diſputandum *miſcent quæſtiones non neceſſarias, copioſè probando quod in quæſtione non eſt*; more etiam Pelagianorum teſte Auguſtino; quod grauiſſimos quoſdam errores *quæſtiones eſſe præter fidei periculum*, quum vrgeri ſe vident affirmant; vt de Pelagianis quoque notat Auguſtin. de peccato origin. libro 2. cap. 22. quòd denique dogmata, cultus, & ritus Eccleſiæ præſentes execrantur, & damnant, tanquam verbo Dei contraria, ſuperſtitionum, abominationum & idolomaniæ plena; eadem tamen dogmata eoſdem cultus & ritus

Con. 2. epi. Pelag. lib. 3 cap. 10.

in ſanctis Patribus & veteri Eccleſia *pro næuis, pro ſtipulis, pro contagio illius ſeculi toleranda diſſimulent*; iſtis inquam & multis alijs aſtutiæ & calliditatis generibus prætermiſſis, ad alteram huius quæſtionis parté venio, & de nequitijs hæreticorum aliquid dicere aggrediar.

Qua etiam in parte plurima mihi prætermittenda video, ſi veſtra Auditores patientia & tanto ornatiſſimorum virorum conſeſſu, nimium abuti nolim.

De nequitia hæreticorum. Cùm itaque nequitiæ hæreticorum tam veterum quam hodie noſtrorum valde ſint variæ, multiplices, atque inſignes, quin & ipſa hæreſis ſumma ſit quędam ex ſeipſa impietas: neque de hac intrinſeca huius mali peſte, de qua olim copioſè me dixiſſe in ſcholis noſtris meminí, neque de veterum hîc nequitijs quicquam attingam. In noſtrorum quoque hæreticorum nequitijs percenſendis, nihil dicam de ſpolijs & rapinis Eccleſiarum; omittam ſeditiones, rebelliones, & infinitas tam corporum quàm animarum ſtrages quas dederunt: Tacebo *quod ædificant Sion in ſanguinibus* (quod vehementiſſimis verbis Michæas Propheta execratur) & Apoſtolos huius ætatis quum eſſe ſe dicant, parum Apoſtolicè, ne dicam piſtolicè aut potius mahometicè (de quo ſcribitur *quòd gladio legem tulit*) Euangelium ſuum propagare ſtudeant. Prætermittam veteres hæreſes quas renouarunt, Manichæorum, Pelagianorum, Iconomachorum, Vigi-

Margin notes: In Orat. Academ. 18 — 1. — 2. — Cap. 3. — 3.

Vigilantij, Ærij, Iouiniani, Donatiſtarum & aliorum; Non attingam peſtilentiſſima dogmata, Solam fidem iuſtificare, id eſt, *iuſtitiam fidei ſolutam eſſe conditionibus legis, nec ſolum opera non requirere, ſed nec cum iuſtitia operum ſtare poſſe*, vt diſertè ſcripſit Caluinus: obedientiam enim quam requirit à nobis Chriſtus, non aliam eſſe quàm credere, *& per fidem currere ad gratuitas epulas, illius qui fecit cœnam magnam*, vt docet Illyricus in libro contra Tiletanum. Denique *quoties lapſi fuerimus, repetendam eſſe Baptiſmi memoriam, & hac armandum eſſe animum, vt de peccatorum remiſſione ſemper certus ſecuruſque ſit*, vt ſcribit Caluinus Inſtitu. libro 4. capite 15. pa. 3. Diſſimulabo portentoſa dogmata, quæ diſſeminarunt, vt Deum eſſe authorem mali, nec ordinatorem tantum ſed & operatorem peccati: Deum non plus poſſe quàm ordo rerum iam creatarum poſtulat, imò quã in ſcripturis ſe facturum reuelauit; Chriſtum quoque in Inferno diros damnatorum cruciatus in animo ſubiiſſe; quæ omnia execranda dogmata execrabilis ille Caluinus docet Inſtitut. libro 2. capite 4. par. 3. libro 4. capite 17. par. 24. libro 2. capite 7. par. 5. libro 2. capite 16. par. 10. Non commemorabo denique horrendas blaſphemias in Apoſtolos, quos *garrire ad libitum* ſcribit Caluinus, libro 4. capite 8. ſect. 4. *ſi quicquam plus doceant quam Chriſtus viua voce antea docuit*; & in Spiritum Sanctum de quo idem dicit, *attentè notandam*

4. 5. Peſtilentiſſima Proteſtantum dogmata.

6. Proteſtantum portẽtoſa dogmata.

7. Execranda blaſphemia

Ibidem para. 8.

eſſe reſtrinctionem illam; ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis, vt non alia poſſit ſuggerere Spiritus Sanctus, quàm quæ Chriſtus viua voce docuit: hęc inquam omnia, has tot & tantas, tam infandas, tam execrandas nequitias; hoc loco, ac tempore breuitatis cauſa, non attingam.

Illud vnicum nequitiæ genus tractabo, quod propriè hæreticis in ſcripturis tribui iam dudum oſtendimus. Mendacia eorum perſequar, quia propriè & Antonomaſticè *magiſtri mendaces* à Principe Apoſtolorum hæretici vocantur. Sed nec omnis generis mendacia illis propria hoc loco perſequi vel etiam
2.Pet. 2.
8. attingere vllo modo potero. Ab illis ergo & numero penè infinitis & turpitudine maximis illorum mendacijs percenſendis hic ſuperſedebo, quibus Sacratiſſimas ſcripturas, Concilia, Patres, hiſtorias veteres in ſuis diſputationibus & ſcriptis deprauant, mutilant,
9. & mendaciſſimè allegant. Illa ſolummodo mendacia hoc loco attingam, quæ quamuis tam euidentia ſint & luculenta vt palpari quodammodo à quouis poſſint; pernicioſiſſima tamé ſunt, & quibus non alijs magis non ſolum ſimpliciori populo impoſuerunt, ſed etiam apud cordatos ac prudentes imò & pios, ac Deum timêntes viros, in grauiſſimum odium atque inuidiam, religionem, & doctrinam Catholicam adduxerunt.

Hæreticorū hodie mendacia circa

Iſta mendacia ea ſunt in quibus Catholicę doctrinæ ea affingunt atque attribuunt, & tanquam

tanquam totius Eccleſiæ Catholicæ receptiſſima dogmata & ſenſum conſtantiſſimum confutant, quæ non ſolum Eccleſiarum magiſtri, & docti interpretes aliquando vel per ſomnium non cogitarunt; ſed quæ etiam maiori ex parte vix è rudi plebecula Catholicus aliquis aliquando ſenſerit, aut in animũ seriò induxerit. Ea dum hic nonnulla & præcipua commemoro, pauliſper quæſo aduertite. Videbitis enim quibus artibus & dolis malis Catholicam doctrinam, quam hodie papiſticam per contemptum vocant, apud tam multos tam exoſam & deteſtabilem reddiderint. doctrinæ Catholicæ capita controuerſa.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos Catholicos dicere contra voluntatem Dei factum fuiſſe, quod quædam ab Apoſtolis ſcriberentur, imò hoc illos prohibuiſſe; quia ſcilicet docemus, nuſquam hoc Apoſtolis à Chriſto (quod legimus) præceptum fuiſſe. 1. Circa ſcripturas.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos Catholicos dicere habere Eccleſiam authoritatem reiiciendi ſcripturam, quam certò conſtat diuinitus inſpiratam eſſe: & quod ipſa ſcriptura omnem ſuam Authoritatem ab Eccleſia mutuatam habeat, non ab authore ipſo Spiritu Sancto, adeo vt ſi Eccleſia præſens ſcripturam ſua Authoritate deſereret, non plus illa per ſe valeret, quàm fabulæ Æſopi. Quia ſcilicet docemus, ſcripturas nobis non innoteſcere (ordinariè loquendo) niſi per Eccleſiæ Au- 2.

thoritatem, ſicuti alia omnia dogmata per eandem Authoritatem nobis ordinarie innoteſcunt.

Interpret. Script. 3. Aiunt, docent, ſcribunt, nos Catholicos dicere donum interpretationis ſic eſſe ſucceſſioni & cathedræ alligatum, vt quicunque ad Epiſcopalem thronum euehatur, eius qualeſcunque interpretationes ſtatim recipiendæ ſint, ex priuilegio loci. Quia ſanè docemus ab Eccleſiæ magiſtris & Paſtoribus in vnitate Cathedrę Eccleſiaſticæ permanentibus, & vnanimiter dicentibus petendam eſſe Scripturę Interpretationem.

4. Aiunt, docent, ſcribunt, nos dicere ac docere veterum Patrum Interpretationes eſſe ſimpliciter recipiendas, ſiue verbis Scripturæ conſentiant, ſiue non. Mentiuntur, inſidiantur, tergiuerſantur. Nam illas admittimus conſentientes cum verbo Dei: ſed vtrū conſentiant nec ne; Eccleſia illas approbando iudicauit, non quorumcunque eſt hoc iudiciũ.

5. Circa Traditiones. Aiunt, docent, ſcribunt nos pugnare pro traditionibus non ſcriptis contra ſcripturam, quia multas agnoſcimus extra, & præter ſcripturam. Item, quod illas anteponimus mandatis diuinis, quia æquamus non ſcripta Dei mandata, ſcriptis mandatis.

Circa iuſtificationem. Aiunt, docent, ſcribunt, nos Catholicos tribuere bonis operibus impij ante iuſtificationem, meritum iuſtificandi: & quod eadem operą diſponentia ad iuſtificationem ſoli tribuimus

buimus naturæ: Mentiuntur, inſidiantur, tergiuerſantur. Conſtás enim eſt Catholicę Eccleſię doctrina, talia opera diſponere non mereri, & ſpecialis gratię opera eſſe, non naturæ.

Aiunt, docent, ſcribunt, apud nos paradoxotaton eſſe quod fides ſit nomen Dei, & quod per fidem intelligamus hiſtoricam notitiam & nudũ aſſenſum reuelatis. Mentiuntur, inſidiãtur, tergiuerſantur. Docemus enim illam eſſe aſſenſum ex dono gratiæ intus docentis, & teſtimoniũ perhibentis; quantumuis & Eccleſiæ vocem foris audimus. 8.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos dicere ſemper eſſe dubitandum de gratia Dei, & conſcientiam ſemper debere fluctuare, quia non docemus illorum inanem fiduciam ſeu præſumptionem, aut quaſi de ſpe firma ac certa nihil doceret Eccleſia. 9.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos dicere ac docere remiſſionem peccatorum & primam adoptionem ex meritis noſtris pendere; quia docemus vitam æternam bonorum operum meritis cõparari. Quæ duo quàm ſint diuerſa, nemo fidelis non intelligit. 10.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos dicere ac docere Philoſophos & gentes ſaluari per opera naturæ ſeu moralia abſque fide in Chriſtum: quia docemus, quædã opera præparatoria ante acceptam iuſtificationem per ſpeciale auxilium gratiæ Dei fieri, quæ & Deo ſint grata, & nos ad iuſtitiam diſponant. 11.

12. Aiunt,docent, ſcribunt, nos docere bonorum operum neceſſitatem in adultis ad iuſtitiam ,quia ſacrificium & meritum Chriſti inſufficiens exiſtimamus ad nos coram Deo iuſtificandos : ideóque noſtra opera addenda eſſe paſsioni Chriſti , vt ex vtriſque debita menſura iuſtitiæ expleatur. Quum tamen non ignorent nos non hac de cauſa , ſed propter manifeſtiſſimas Scripturas hæc opera in adultis exigentes, hanc bonorũ operum neceſſitatem docere. Quæ etiam docemus tum per Chriſti gratiá à nobis fieri,tum per Chriſti meritum cui innituntur , merendi vim & valorem accipere.

13. Aiunt, docent, ſcribunt, nos dicere ac docere , quod Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ſine vllo bono motu ſuſcipientis : quia ſanè docemus ea conferre ex opere operato:id eſt, gratiá quæ confertur non per diſpoſitionem ſuſcipientis quaſi cauſam eius vel meritoriam vel aliquo modo efficientem, ſed per ſignum ſacramentale diuinitus inſtitutum rite diſpoſito conferri.

14. Aiunt,docent, ſcribunt,nos ponere efficaciam in Sacramentis tanquam in cauſis partialibus,quę adiuuent diuinam virtutem:quia docemus per Sacramenta Deum operari, quæ ipſemet inſtituit.

15. Aiunt nos excludere fidem ex toto vſu Sacramentorũ,quia videlicet eam ſupponimus, nec expreſsã eius ſemper mentioné facimus.

Aiunt,

Aiunt, docent, ſcribunt, nos dicere quòd proſunt Sacramenta ijs qui ſunt in peccatis mortalibus; quia docemus ea prodeſſe non ponentibus obicem, id eſt, (aiunt illi) non habentibus propoſitum de nouo peccandi. Sed latius nos illum obicẽ accipimus & intelligimus: (quod nec illi ignorant) nempe pro cõplacentia & delectatione aliqua ſiue pro indolentia præteritorum peccatorum. 16.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere fractum eſſe prorſus Baptiſmi fœdus, quia pœnitentiæ ſecundam tabulam aſſerimus: quod tamen non fractum ſed violatum & nobis iam ſine noua pœnitentia inutile factum docemus. 17.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere ab intentione miniſtri interiori & circa affectum Sacramenti veritatẽ & vim Sacramẽti pendere, quia intentionem requirimus faciendi quod facit Eccleſia: quæ certè intentio non circa effectum, ſed circa actionem Sacramenti verſatur. 18.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos Catholicos docere in Baptiſmo non dari Spiritum S., neque tunc fieri filios Dei, quia docemus in Confirmationis Sacramẽto Sp. S. dari: quaſi neſciat ad varios effectus Sp. S. dari. & Apoſtolos ipſos ad vim remittendi peccata accepiſſe Spiritum S. antè paſſionem. Ioannis 20. ſed ad robur docendi, ac piè viuendi accepiſſe Spiritum Sanctum in die Pentecoſtes. 19.

20. Aiunt,docent,ſcribunt, nos docere manifeſtam ἀρτολατρίαν, ſeu panis adorationẽ, cum tamen certiſſimè ſciant nos docere,nihil ſubſtantiæ panis aut vini remanere.

21. Aiunt,docent,ſcribunt,nos tribuere externæ adorationi Euchariſtiæ maxima merita, ſine vlla pænitentia,aut vera fide: cùm certò ſciant ne quidem Sacramento ipſi ſuſcepto tale aliquid nos tribuere.

22. Aiunt,docent,ſcribunt,nos perſuadere populo,multò eſſe præſtantius circumgeſtatam Euchariſtiam publico feſto venerari,quàm ad eius communionem accedere.

23. Aiunt,docent,ſcribunt,Eccleſiã vendicare ſibi poteſtatẽ diſpenſandi de Calice, etiam ſi Chriſtus inſtituerit,etiam de præcepto vtramque ſpecialem: quum tamen non ignorent de Chriſti Inſtitutione circa vtramque ſpeciem diſtribuendam,nos longè aliter ſentire ac docere. Nempe talẽ diſtributionẽ perpetuò futurã Chriſtum non inſtituiſſe vel præcepiſſe.

24. Circa Ceremonias. Aiunt,docent,ſcribunt, ſacrificium Miſſæ, & ritus eius deſtitui, non tantum Scripturæ, ſed etiam totius Antiquitatis teſtimoniis. Quum tamen ipſimet propter huius Sacrificij ritus ipſam Antiquitatem Iudaiſmi & Ethniciſmi affectati accuſent.

25. Aiunt,docent, ſcribunt, nos docere eum mortaliter peccare qui qualemcunque ceremoniam in Miſſæ celebratione prętermiſerit; illis quoque ceremonijs nos peculiaria

merita

merita tribuere. Neutrum, opinor, vel ſimpliciſſimus aliquando ſacerdos ſibi vnquam vel in animum induxerit.

26. Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere quoſcunque ritus ſeruandos eſſe ſi iubeat Pontifex, etiam ſi ex verbo Dei impij & noxij eſſe deprehendantur: quia ſanè docemus conſuetos & receptos Eccleſię ritus, non eſſe temere violandos, aut à quouis priuata libidine commutandos.

27. Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere ceremonias in adminiſtratione Sacramentorum ęquè eſſe neceſſarias, atque ea quę Chriſtus ipſe inſtituit, quum tamen non ignorent clariſſimè Catholicos diſtinguere ea quæ ad eſſentiam pertinent, ab ijs quæ ad integritatem: & vtraque ab ijs quæ ad decorem & ornatum, vel etiam ad ædificationem ſpectant.

28. Aiunt, docent, ſcribunt, nos quaſcunque corruptelas & ſuperſtitiones approbare, ſi aliquam vel Antiquitatem, vel generalem acceptationem adepta fuerint, quia ſanè tales vel toleramus interdũ pacis cauſa, vel non ſtatim abrogamus, ad illorũ tumultuoſos clamores.

Cœlibatus.

29. Aiunt, docent, ſcribunt, nos damnare laicorum coniugia pro vita carnali & mundana, & prohibere nuptias cum Manichæis, quia virginitatem eis anteponimus.

30. Aiunt, docent, ſcribunt, nos Donatiſtarum furorem renouare, quia infamem concubinarium à ſacris altaribus arcemus.

Aiunt,

31. Imagines. Aiunt, docent, ſcribunt, nos idola colere & ſaxa venerari, quia Diuorum imagines honoramus.

32. Innoc. S. Aiunt, docent, ſcribunt, nos mortuis ſacra facere quia Sanctorum feſta celebramus. Et in hoc genere non verecundātur dicere nos plus Chriſtophoro quam Chriſto deferre.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos donum fidei excludere, quia Eccleſiam audimus.

33. Pœnitētia. Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere Contritionem oportere ſufficientem eſſe, dolorem quia deſideramus vehementem.

34. Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere omnium peccatorum plenam & perfectam enumerationem eſſe neceſſariam, ſiue ea meminiſſe poſſumus ſiue non: quum tamen apertiſſimè doceamus ea eſſe aperienda, quorum meminiſſe poſſumus adhibita debita diligentia.

35. Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere hominē tum tantum eſſe in ſtatu gratiæ, vt accedat ad Sacramenta, quando eſt purus & purgatus ab omni prorſus peccato: quia mortali peccato vacuum huiuſmodi eſſe debere, piè docemus.

36. Rom. Pōt. Aiunt, docent, ſcribunt, nos Pont. Rom. Deum quendam in terris facere, eiq; tribuere diſpenſandi poteſtatem, contra Apoſtolos & Euangeliſtas, contra vetus & nouum teſtamentum. Sed mentiuntur, inſidiantur, tergiuerſantur.

Sacrificiū. 37. Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere ſacerdotem eſſe mediatorem inter Deum ac homines

mines, & quod Chriſto proprium eſt, Sacerdotibus tribuere: quia docemus, eos illius ſacrificij miniſtros eſſe in quo mediator Chriſtus Deo Patri ab Ecclefia offertur, & pro Ecclefia offertur.

Aiunt, docent, ſcribūt, nos damnare creaturas Dei cum Manichæis; & ponere ſanctitatem in delectu ciborum; quia ieiunia Eccleſiaſtica ſeruamus, in quibus mortificationem corporis & obedientiam exercemus. 38.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos ponere ſanctitatem & cultum in veſtitu & habitu ſacerdotali vel monachali: quem non ad ſanctitatem ſed ad ſanctitatis admonitionem & ſignificationem, itemque ad diſtinctionem geſtamus. 39.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos prælatis Eccleſiæ infinitam potentiam quiduis iubendi & inſtituendi tribuere: denique tam ea permittendi quæ Chriſtus prohibuit, quàm ea prohibendi quæ Chriſtus inſtituit. 40. Circa Eccleſ. Authoritatem.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere prçſtantiora eſſe opera, quæ mandatis Eccleſiæ præſcribuntur, quàm quę Deus ipſe in verbo ſuo nobis prçſcripſit. Cuius mendacij nullum vel apparentem fucum habent. 41.

Aiunt, docent, ſcribunt, in doctrina pœnitentię altum eſſe apud nos de fide ſilentium, & ſpem veniæ omnem nos excludere. Sed mentiuntur, inſidiantur, tergiuerſantur apertiſſimè. 42.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos eos tantum eſſe 43.

in

in ſtatu gratiæ & ad Cænæ Dominicæ communionem admittendos eſſe, docere, qui puri purgatique ab omni peccato ſunt. Quum clarè ſciant nos de peccatis tantum mortalibus hoc docere, nõ autem de venialibus, ſine quibus in hac vita nemo etiã ſanctiſſimus viuit. Vide plura apud Lindanum in Concordia Diſcordi pag. 197.

Caluinus Inſtit. lib. 4 c. 17. par. 41

Hæc ſunt quæ mihi occurrere, & in mentem his diebus meditanti venire potuerunt, contra Catholicam & orthodoxam doctrinam, contra notiſſimas fidei noſtræ regulas, luculenta & ſplendida noſtri temporis hæreticorum mendacia, quibus illi populum Chriſtianum hodie faſcinarunt, *vt non obedirent Euãgelio quod audierunt, quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura quæ ſub cælo eſt*: quibus Eccleſiæ Catholicæ doctrinam ſacroſanctam in opprobrium, calumniam & contemptum per ſummum nefas adduxerunt: Deniq; in quibus illuſtres ſe admodum mendaciorum Magiſtros præſtiterunt & omnes vt arbitror, cuiuſcunque ante hæc tempora ſectæ hæreticos fortiter ſuperarunt.

Coloſſ. 1.

Quæſtionis reſolutio.

Vt hanc ergo queſtionem concludamus & toti huic diſputationi celeberrimę finem ſalutarem imponamus; pro quæſtionis ſanè ſolutione reſpondendum & concludendum ex pręmiſſis exiſtimo, hæreticorũ ſanè omnium in genere maiorem eſſe aſtutiam & calliditatem, quàm nequitiam & impietatem: Fuco enim

enim quodam & ſpecie pietatis atque doctrinæ ad hęreſes amplexandas ante hęc tempora Chriſtiani allecti ſunt, magiſque ſeducti quã adducti. Noſtrorum autem hodie hęreticorum maiorem eſſe nequitiam quàm aſtutiam; pluſque eos ſcelere & impietate, quàm dolo & calliditate pręualuiſſe.

Diſputationis autem præſentis (ſi non diſplicet Auditores humaniſſimi) hic finis erit, vt hac qualicũque explicatione accepta; primùm de Reformatione prætenſa ſed vera totius religionis transformatione & innouatione quadam tertia; deinde de horum Reformatorũ cœna nihil minus quàm Dominica, Chriſtiana aut Eccleſiaſtica; ac poſtremò de hęreticorum ſanè omnium, ſed huius temporis maximè & multiplici aſtutia, & incredibili nequitia; ſic ex hoc loco diſcedamus, vt hoc hominum genus tanquam animarũ noſtrarum peſtem certiſſimam, tanquam reipublicæ Chriſtianæ hoſtes longè infeſtiſsimos, tanquam denique diuini nominis ac numinis prophanatores teterrimos, ſtudioſè declinemus, quàm longiſsimè à nobis abarceamus, ac denique odio perfecto oderimus.

ORA-

ORATIONES QVODLIBETICÆ ALIÆ TRES IN COLLEGIO REGIO IN VIGILIA S. THOMÆ APOSTOLI Anno 1597. habitæ.

QVÆSTIO I. CVM ARGVMENTIS.

Vtrum horum temporum hæreſes proximam Antichriſto viam parent.

Præſidis Quodlibetarij Primum Argumentum pro parte negatiua.

VETERES hæreſes maximè contra Chriſti Domini perſonam militabant, vt Ebionis, Marcionis, Valentini, Manichæi, Arij, Apollinaris, Neſtorij, Eutychetis & Monothelitarũ: quarum etiam pugna tam vehemens, ſeductio tam valida fuit, vt ex illis omnibus, variiſque hæſitantium ſectis poſt Concilium Chalced. exortis, conflatus tandem Mahometiſmus Chriſti nomen penitus abolere ſummo conatu attentauerit; & de facto maximam Orientis partem, totamque Africam, & (vt hodie compertum eſt) totã Indiam Orientalem, vel à fide Chriſti abduxerit, vel ad Mahometis cultum traduxerit. Vt pote cuius vnicus ſcopus fuerit (vt Alcoranus ille paſſim ſcribit) *vnum eſſe Deum ſine Participe*; id eſt, ſine illa perſona quem filium Dei & diuinitatis conſorté eſſe credimus. Præſentes verò hæreſes ſanam doctri-

doctrinã de Chriſti perſona prorſus integram retinent; & illas hęreſes veteres contra Chriſti vel diuinitatem vel humanitatem verám non ſecus atq; Catholici execrantur. Quare ſi vllæ hæreſes viam Antichriſto proximam paraſſe cenſendæ ſunt, potius de veteribus illis quàm de noſtris hodie cenſendum hoc eſt.

Secundum Argumentum.

NOua hæc & reformata religio (quæ prá-uitatis hęreticæ arguitur) duobus potiſ-ſimum capitibus nititur, quę vtraque Chriſti gloriam & maieſtatem vel maximè illuſtrant: Quorũ vnum hoc eſt, nihil in fidei dogma aut cultũ religionis recipiendũ docere, quã quod Chriſtus ipſe viua voce in terris docuit, & in ſcripta Euangelica relatũ eſt. Alterũ eſt, quod fidem mediatoris Chriſti ita diligenter prędi-cant & vehemẽtèr extollunt, vt illa ſola fide, quæ gratuitã Dei miſericordiã in vno Chriſto reſpicit, quæque non aliã quam ipſius Chriſti iuſtitiã credenti certiſſimè imputandã appre-hendit, vniuerſam noſtram ſalutẽ, iuſtitiam, ſpem, & fiduciam conſiſtere doceãt. Quo vno nihil potuit ad Chriſti gloriã, & ad illius be-neficia prędicãda magnificẽtius docere. Detra-hitur enim rebus alijs omnibus, vt ſoli Chriſto totũ tribuatur. Eſt ergo incredibile ad Anti-chriſtũ hos homines viam parare, eamq; pro-ximã & expeditiſsimã, quorũ doctrina vnius Chriſti gloriam tam excellenter illuſtrat.

QVAESTIO I. QVODLIBETICA.

Vtrum horum temporum hæreſes proximam Antichriſto viam parent.

IN celebertimá hanc quodlibeticam paleſtram iam ſecundò prouocatus (Auditores humaniſsimi) & ab ijs magnopere rogatus; quibus meam hac in re operam negare commodè non potui; planè quod in ſuperioris anni curriculo feci vt contra præſentes hæreſes aliquid diſputaré, idem & nunc nihil mutato conſilio, denuo mihi faciendum eſſe iudicaui. Video enim contra hoc peſtilens malum nihil ſatis vnquam aut frequenter, aut acriter, aut copioſè dici poſſe. Adeo illud & vberrimam diſputandi materiam præbet; & tam infeſtè prætere non in vicina tantum tota, vt à multis iam annis, ſed in ipſis nunc intimis viſceribus noſtris graſſatur; vt de hoc malo vel ſolummodò vel certè potiſsimum diſputare debeat, qui cũ aliquo Auditorum fructu & laboris ſui commodo, diſputare vult. In pace ſumma Eccleſię, quum circum latrantis hæreſis vox nuſquam audiretur, ſcholaſticè tantum & de ſubtilioribus circa fidei myſteria quęſtionibus, erant diſputationes iſtæ Quodlibeticæ. Hinc enim tot hodie ſcholaſticorum de rebus grauiſſimis diſputata legimus quodlibetica. Sed alias diſputationes, quęſtiones alias, hęc ętas poſtulat; hic locus deſiderat; hoc auditoriũ à me præſertim

ſertim, qui hęreticorũ antagoniſtẽ me publicè profiteor, meritò expectat. Agamus ergo & nobilem illam hiſque tẽporibus imprimis neceſſariam quæſtionem à Doctiſſimo Domino Quodlibetario mihi hodie propoſitã expendamus. Quæritur, an horum temporũ hęreſes proximam Antichriſto viam parent, vel quia ita quaſi ad hereticę prauitatis ſummum faſtigium per illas peruentum eſt, nihil vt huic prauitati addi queat, ideoque poſtremæ ſint iſtæ, veluti in hoc genere perfectiſſimæ; vel quia huiuſmodi ſanè ſunt vt ad venturũ Antichriſtum mortaliũ corda mirificè diſponant, & ad eum recipiendum viam & latiſſimam & expeditiſſimam, aperiant.

Et grauiter ſanè in vtramque partem à Doctiſſ. Domino Quodlibetario diſputatum eſt, vt in tam dubia & difficili quæſtione, quò ſe animus inclinet, haud ita facilè prima ſtatim facie perſpicere liceat. Ego verò, vt quod prorſus ſentio liberè & breuiter & apertè dicam, horum temporũ hęreſes planè huiuſmodi eſſe iudico, vt hæ ſolę & proximam & paratiſſimã Antichriſto viam parent. Cuius meę cogitationis cauſas & rationes tum varias tum grauiſſimas dum profero atque demonſtro, diligenter, quęſo, quod facitis, attendite. Propoſitio.

Ac illud primum nemo mihi, opinor, negabit, omnibus hæreſibus quę poſt Chriſti legem promulgatam in Eccleſia exortæ ſunt, commune hoc eſſe, vt magno illi Antichriſto Omnes hęreſes Antichriſto viã parant.

viam parauerint,aliæ magis,aliæ minus. Hac enim ſanè de cauſa de ſui temporis hæreticis, Simone Mago, Ebione, Cerintho,Menandro

1.Ioan. 2. dixit Ioannes Apoſtolus, *nunc Antichriſti multi facti ſunt*: ſeductores videlicet & præcurſores Antichriſti. Quod in Epiſtola 2. clarius expreſſit,dicens,*multos ſeductores exiiſſe in mundum:* Moxque eum qui *non confitetur Chriſtum in carne veniſſe,eſſe ſeductorem & Antichriſtum.* Antichriſtos ergo vocat ipſos ſeductores & hęreticos, quia magni illius miniſtri & pręcurſores ſunt.

2.Theſſal.2 Hac etiam de cauſa vocat hæreſes Paulus *myſterium iniquitatis,quod operatur* tantiſper *donec reueletur ſuo tempore ille homo peccati,* Antichriſtus. Hoc enim per illa verba Apoſtolum intelligere,& non ſolum perſecutiones Principum qui fidei aduerſantur, rectiſſimè exponunt

In comm. ibidem. Theodoretus, Sedulius, & alij Patres. Sed quemadmodum primum Chriſti aduentum eiuſque Sacramenta,multę ſanè figuræ & pręditiones propheticæ pręceſſerunt, ex illis tamen nobiliores & expreſſiores illę fuerunt, quæ proximè Chriſtum attigerunt, exempli cauſa Baptiſmi typus erat ſed obſcuriſſimus, quod in creatione mundi Spiritus ferebatur ſuper aquas Gen.1.vt rem explicat S. Hieronymus in dial.contra Luciferianos,alius paulò clarior Aqua diluuij,vt declarat Auguſtinus libro 12.capite 14.& 17.contra Fauſtum: tertius adhuc typus manifeſtior,tranſitus maris rubri vt exponit Cyprianus lib.4. Epiſt.7. quartus

Figurę quò propinquiores veritati eò illuſtriores.

quartus poſterior ſed illuſtrior, Iordanis ipſe, ſiue quum eum ſicco pede totus Iſrael tranſiret, vt Ambroſius docet libro 1. in cap. Lucæ: ſiue denique quum lepra Naman Syri in eo purgaretur, vt idem docet Ambroſius in ca. 4 Lucæ 1. quintus verò & poſtremus & maximè illuſtris typus erat probatica piſcina, vt exponit Chryſoſt. hom. 35. in Ioannem diſertè docens propiores ſemper veritati imagines illuſtriores ſemper fuiſſe, (ſicuti familiares regij haſtatis honoratiores eſſe ſolent) ſic planè ſecundi aduentus Chriſti pariterque venturi Antichriſti (qui non adeo multum illum præcedet, ſi [a] Ireneo, [b] Auguſtino & [c] Theodoreto credimus) præcurſores hęretici cum omnes ſanè ſint; expreſſiores tamen illi & illuſtriores in hoc genere ſunt, qui proximè Antichriſtum pręcedunt. Hoc ſanè ipſum diſertè nos Scriptura Euangelica docere & præmonere voluit. Saluator enim certè ſigna tam aduentus ſui quàm Antechriſti ex propoſito tractans, de hęreſibus eo tempore pręualituris dicit. *Multi pſeudopropheta ſurgent & ſeducent multos.* Et iterum adhuc clarius. *Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, electi.* Nec diſſimiliter deſcribens Apoſtolus tempora periculoſa quę in nouiſſimis diebus inſtabunt, inter cætera de graſſaturis hęreticis dicit, futuros homines *corruptos mente, reprobos circa fidem, qui reſiſtent veritati* 2. ad Timoth. 3. & 6.

a Lib. 5.

b Lib. 20. cap 19 de Ciuitate Dei.

c In com. in 2. Theſ. 2

Math. 24.

2. Tim. 3. & 6.

Hæc ergo nouiſsimorum temporũ & venturi in proximo Antichriſti ſigna quum ſint, videamus diligenter, an noſtri huius temporis hæretici, illi pſeudochriſti & pſeudoprophetæ ſint qui proximè Antichriſtum præcedent.

Quare hæretici præcurſores ſunt Antichriſti.

Primum ſanè illud conſiderandum eſt, ideo hæreticos præcurſores eſſe Antichriſti & myſterium iniquitatis per hæreſes operari, quia id agit per hæreſes diabolus, vt Chriſti nomen ac fidem paulatim & pedetentim penitus ſubuertat. Succeſſerunt enim ſanè idolis gentiũ hæreſes pſeudochriſtianorum; vt per fidem Chriſti ſubuerſis iam idolis, per hæreſes fidem ſubuerteret Satan, qui per idola amplius ſeducere non potuit. Quod diligenter docuerunt SS. Patres, Cyp. in lib. de vnitate Eccleſię. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 51. & Author operis imperfecti hom. 48. in Matth. Videndũ igitur, an per preſentes hæreſes plenè & conſummatè, myſterium iniquitatis iam operatũ fuerit; nihil vt amplius deſit quominus illis admiſſis vniuerſa Chriſti fides peſſundetur, itaque via Antichriſto paratiſſima, ſternatur.

Myſterium iniquitatis quo demũ modo compleatur.

Hoc autẽ vel inde non difficulter oſtendi poteſt, quod cùm myſteriũ iniquitatis in eo ſanè conſiſtat, vt vniuerſum quidẽ fidei ſymbolum credentium animis paulatim eripiat, potiſſimum verò vt Chriſti Domini mediatoris humani generis authoritatem ac maieſtatem totam funditus euertat, erit tùm demum huius iniquitatis myſterium cumulatiſ-

ſimè

ſine conſummatum, cum quicquid ad fidem in Chriſtum proprie ſpectat, labefactatum, concuſſum, ac denique ſubuerſum fuerit: Fides autem in Chriſtum, totum planè Chriſtũ complectitur: non perſonam eius tantum, ſed & myſticum corpus eius, quod eſt Eccleſia, quæ ſanè ſunt *duo in carne vna*, iuxta Sacramentum illud magnum, quod quaſi admirans Apoſtolus expreſſit. Ad Epheſ. 5. cap. Myſterium igitur iniquitatis vt prorſus perficiatur, vniuerſam fidem & de Chriſti perſona (prioribus ſymboli articulis contaminatis,) & de Chriſti corpore myſtico (poſteriori ſymboli parte adulterata) ſubuertere debet.

Cœpit itaque hoc myſterium iniquitatis. i. hæc occulta & fraudulēta per homines Chriſtianos Chriſtianæ religionis impugnatio, ab ipſa benedicta perſona Saluatoris noſtri; & quidem calentibus adhuc prædicationis Euāgelicæ cunabulis: vt de ſuo tēpore Paulus diceret, *myſterium iam operatur iniquitatis*. Itemque Ioannes Apoſtolus, *nunc Antichriſti multi facti ſunt*. Talis erat Simon ille magus, qui etiā totũ præripere Chriſto voluit, ſeipſum virtutē Dei magnam dictitans, idq́, adeo, vt ſtatua adhuc viuenti erecta pro Deo magno à Romanis coleretur: Tales erant Ebion, Carpocrates, Cerinthus, qui Chriſtũ hominē tantummodo nō etiā Deũ eſſe dicebāt, quos hoc nomine Antichriſtos & ſeductores B. Ioānes vocat. In hac parte myſterij conficiendi pergebāt Baſilides,

Myſterium iniquitatis circa Chriſti perſonam cœpit.

2. Theſſ. 2.

1. Ioan. 2.

Tertul. in Apologet. cap. 13. Iuſtit. Apolog. 2. Aug. in lib. de hæreſ.

 Cerdon,

Cerdon, Marcion, & Apelles, qui putatiuum non verũ hominẽ Chriſtũ eſſe aſſerebãt, Apoſtolorũ temporibus proximi. Quorum etiam ſententiã promouit Valentinus, aſſerens non ex virgine Chriſtum carnem accepiſſe, ſedè cælo attuliſſe. Operati ſunt adhuc magis hoc myſterium iniquitatis ex hac parte Theodori duo, Artemon, & Aſchepio datus, de quibus Tertu. de præſcrip. in fine & Euſeb. lib. 5. c. 27. His poſtea acceſſerunt Paulus Samoſatenus, & Manichęus: quorũ ille Chriſtum hominem tantũmodo, hic putatiuũ eſſe hominẽ docuit.

His quaſi velitationibus & leuioribus pugnis præmiſſis, quos tamen multum antea promouerat Origenes, iuſto tandem certamine myſterium hoc iniquitatis aggreſſus eſt Arius: qui Chriſtum non quidem purum aut putatiuum hominem, creaturam tamen (licet *non ſicut cæteras creaturas, quia ex non entibus, quia ſapientia Dei ingenita & inoriginata eſt, vnaque ex poteſtatibus quas condidit Deus,*) ſed Deo Patri inæqualem minimeque conſubſtantialem, magna ſapientiæ opinione ideoque maiori cum fraude atque animarum pernicie dogmatizabat. In hac enim vna hereſi ſic efficaciter myſterium hoc iniquitatis contra benedictam Christi Domini perſonam operatum fuit, vt etiam ab ipſo Chriſto ſanctiſſ. Martyri Petro Alexand. Epiſc. in vinculis propter nomẽ Chriſti poſito reuelatũ fuerit, per hũc Ariũ *Chriſti veſtẽ quæ eſt Eccleſia, fœdiſſimè dilaceratã fuiſſe.*

Athan. in Epiſt. de Synodis Arimini & Seleuciæ.

Tertium Seculum.

Vene. Beda in Martyrologio.

Neque

Neque tamen adhuc completum ſanè ex hac parte myſterium fuit. Reliquum autem complementum, breui ſanè tempore & mira quadam atque præcipiti celeritate acceſſit. Mox enim eodem adhuc ſeculo contra Chriſti perſonã portentoſa dogmata euomuerũt, Aetius, Eudoxius, Eunomius, nõ ſolùm de inæqualitate, ſed etiã de diſſimilitudine filij cũ patre, idque per omnia, vt blaſphemauit Eunomius. Hos mox ſecutus eſt Photinus Sirmius Chriſti diuinam natiuitatẽ negans, quaſique Ebionis inſaniã renouans. Nec longè poſt Appollinaris ex altera parte Chriſti humanitatem vellicans, eamque ſine anima aut mente humana ſuſceptam fuiſſe docens. Mox verò ſub initium alterius ſeculi, & Pelagius Chriſti gratiã multis modis hoſtiliter oppugnauit, & Neſtorius ex vno duos Chriſtos facit perſonas multiplicans, vt Ebionis & Photini hereſim ſub hoc pretextu reſtauraret. Nec mora, vix hac hereſi profligata, emergit altera prorſus contraria, ſed Chriſto Domino nõ minus iniuria. Eutyches enim ſic vnam Chriſti perſonã agnoſcit, vt duas naturas Dei & hominis in vna Chriſti perſona ſubſiſtere, negaret.

Nec longè poſt cùm de perſona & natura Chriſti ſatis per miniſtros ſuos altercatum fuiſſe diabolus perſpexiſſet, de voluntate & operationibus Chriſti litẽ mouit. Quare ſub alterum ſeculum Monothelitarum hæreſis ad hanc myſterij partem exactiùs adhuc perfi- *Quartum ſeculum.*

ciendam exorta eſt. Interim tamẽ donec hæç acceſſio fieret, ex illa Neſtoriana & Eutychiana hæreſi aduerſa fronte inter ſe colluctantibus, fœdiſſima quędam nouarũ ſectarum colluuies, quas vno hęſitantium vel ambigentiũ nomine (διακρινομένους Græci vocant) comprehendũt hiſtorici, Orientẽ totum peruagatur. Tales erant Acephali, Iacobitę, Theodoſiani, & Iulianiſtæ, vnam Eutychetis hæreſim varia ſententiarum diuerſitate amplexi; hoc tamen ſua peſtilenti fraude efficientes, vt per vnius operationis confeſſionem naturæ quoq; vnitatẽ inferrẽt; *vt ſic non illi Synodo Chalcedonenſi, ſed Synodus ipſa illis communicaret*: ſicuti gloriantur
Hiſt.lib.18. apud Paulum Diaconum. Rurſum Tritheitę, Agnoętæ, Theopaſchitæ, Armenij, Seueritæ, Apthartodocitę, Phantaſiaſtę, omnes Neſtorij hęreſim ſed incredibili diſcordia tuẽtes: & de Chriſti Domini perſona deteſtãda ſibique ad-
Tom.2. conc. uerſantia dogmata defendentes, vt explicatè cõmemorat Liberatus in ſuo breuiario, & Niceph.li.12.c.45. ſed diſtinctè cõfutat Leontius Byzantius in libello de ſectis Act.5. & ſeq.

Quintum ſeculum. Iſta colluuies quarto quidem ſeculo exorta, ſed toto etiam quinto ſeculo perdurans, vſ-
Libro 8. epiſt.35. & 36.lib.11. epiſt.55. que ad Gregorij Magni tempora vt ex eius Regiſtro liquidè conſtat, quum vndiquaque ſanam fidem de Chriſti Domini perſona contaminaſſet, ac labefactaſſet, horrendam illam tandem maximeque deteſtandam Mahometis ſectam peperit. Hic enim inſignis pſeudopropheta.

propheta & *diſolatarius Amalech*, vt à Paulo diacono vocatur, à Sergio & Ioanne Arianis & Neſtorianis hæreticis edoctus, & iuxta illorũ deteſtanda dogmata ſuam prophetiam fabricans; Chriſti Domini maieſtatem, fidem, doctrinam, ac legem ſub finem quinti ſeculi penitus ſuſtulit; ſeque ipſum ac ſuum Alcoranũ eius loco ſuppoſuit, breuiq; tempore per diſcipulos eius in quã plurimis gẽtibus, exploſa Chriſtiana fide obtinuit. Mox enim proximo ſeculo Saraceni (quorũ ille viuens dux & propheta erat) anno quidẽ 35. Alexandriã & totã Ægyptũ occuparunt, ſub Cyro Monothelita Alexandrino tum pſeudopatriarcha. Quorũ aduentu Chriſtiana fides ſic toto illo latiſſimo tractu celeriter extincta eſt, vt quinto decimo poſt anno, Patriarcharũ Alexandrinorum ſucceſſio penitus diſrupta ceſſauerit, nec niſi titulares Epiſcopos ab eo tempore illa ſedes habuerit. Quin & proximo poſt an. 36. Hieroſolyma quoque & magna Syriæ pars per eoſdẽ Saracenos Romanis erepta eſt, pariterq; fides Chriſtiana erecto Mahometiſmo: adeo ſanè, vt Sophronius tunc Hieroſolymorum Epiſcopus, Haumar Saracenorũ ducem Antichriſtum eſſe exiſtimaret, vti cõmemorat Paulus Diaconus. Ab hoc enim anno (donec quingẽtis ferè poſt annis à Latinis recuperata terra ſancta fuerat) Hieroſolymitani Patriarchæ numerari deſinũt. Statim verò biennio poſt (an. 38.) Antiochia & reliqua Syriæ pars eodẽ modo

Mahometes exortus

Sextum ſeculum.

In Mahometiſmo myſterij iniquitatis operatio ex vna parte cõpleta.

Lib. 18.

do occupata eſt. Nec mora, ſexto poſt anno (an. 40.) Perſidē quoq; Saraceni poſſidēt, cui ampliſſimæ genti ita ſuum Mahometē obtrudūnt, vt etiā Saracenos eos vocari coëgerint vt ſcribit Paulus Æmilius. Quid, quòd & in alteram orbis partem traijcientes, quindecim annis poſt, (an. 650.) Africā occupant, ſuumq; Mahometē vaſtiſſimis illis populis pro Chriſto colendum imponunt? Et has quidē gentes omnes cum adiacētibus prouincijs & populis (exceptis Armenis, Iberis, & Alanis, qui quo tempore Perſidem & Aſſyriam occuparent Saraceni, fortiſſimè illis reſtiterunt, ſeſeque & religionem Chriſtianam ab illorum tyrannide ſoli vindicarunt, vt ſcribit P. Diac. lib. 18. hodíeque adeo magna ex parte retinent) ad hunc vſque diem Mahometiſmus obtinet. Nec hoc ſolùm ſed & præterea vniuerſam penè Græciam totumque Orientalis orbis tractum iam ſub Turcarum Dominatu, qui à principio ferè Saracenis iuncti, illorum poſteà per inteſtinam diſſenſionē Domini facti, nomen ipſum vnà cum gente ſuſtulerunt. Denique & præter iſtos etiam innumeros Oriētalis Indiæ populos, eadem peſte à multis iam ſeculis correptos comperimus. Nam vt alias adhuc Chriſtiani orbis prouincias idem Mahometiſmus ad tempus occupauerit, vnde poſtea fortiter & viriliter eiectus fuerit; vt Italiam ipſam, inſulaſque adiacentes, multò maximam Galliæ partem, ac denique noſtrorum

Libro 1.

ferè

ferè Patrum memoria Hiſpaniarum nõ modicam portionem, ſub nomine Maurorum qui alias Saraceni ſunt, nihil attinet hoc loco exactius commemorare.

Videtis igitur Auditores beneuoli, quam longè lateque myſterium iniquitatis contra ſanam fidem de Chriſto, quod ad perſonã eius attinet, operatum atque perfectum fuerit. Atque hæc ſanè tanta huius myſterij iniquitatis operatio, hæc tanta Chriſtianiſmi per hæreſes illas ſupradictas perturbatio, totoque penè Chriſtiano orbe profligatio, multis & olim & hodie magnis & doctis viris cauſam dedit cogitandi, dicendi, atque docendi, hunc Mahometem magnum illum eſſe Antichriſtum, qui Chriſti nomen ac fidẽ toto orbe ſubuerteret. A quorum tamen ſententia vt ſemper alieniſſimus fui, vtpote quæ multis & maximis argumentis facilè euerti poſſet, ita vel hoc vnũ huius eorum erroris cauſam eſſe grauiſſimam animaduerto, quòd myſterium iniquitatis (cuius operatio ad magni vſque Antichriſti aduentum non deſinit) non ſatis occultè perſpexerint, non ſecus circa Chriſti corpus myſticum quod eſt Eccleſia & quæ eo pèrtinent, quam circa Chriſti perſonam propriam verſari: nec priùs eſſe completum hoc myſterium atque conſummatum, quàm omni ex parte Chriſtum profligauerint, & tam corpus quàm Caput, tam poſteriores ſymboli partes quàm priores, tam cultũ ipſum & colendi normam

Mahometes Antichriſtus ille magnus non eſt.

quàm

quam eum qui colendus eſt denique tam medicinā ipſam humani generis quàm medicū, è cordibus hominū penitus extirpauerit. Hoc enim non ſecus ad proprios Antichriſti præcurſores & ad hoc myſteriū iniquitatis quam prioris generis hęreſes pertinere & efficax eſſe; luce clarius in ſequentibus oſtendemus. Interim tamē notandū hoc loco, quàm diligentiſſimè priorē huius myſterij iniquitatis partē in mahometiſmo cōpletam atq; conſummatā; maximas in Chriſtiana religione ſtrages edidiſſe. Neq; enim poſt ſectas cōtra Chriſti perſonā enumeratas, vlla alia noua ſecta in eo genere exorta deinceps eſt; ſed quicquid ab hæreticis poſtea contra Chriſti perſonā in poſterioribus hiſce ſeculis deliratū fuit, aut vetus erat hęreſis denuo renouata, aut certè quod ad aliquam illarum veterum faciiè reduci poſſet.

Altera pars myſterij iniquitatis

Nunc autem ex altera parte contra poſteriores Symboli partes, contra Chriſti corpus myſticū, contra Eccleſiam Dei, contra cōmunionem Sanctorum, contra remiſſionē peccatorum, contra Sacramenta ipſa, quæ medicinæ noſtrę vaſa & inſtrumenta ſunt, denique contra cultum Chriſtianis proprium, myſterium quoque iniquitatis diligenter operatum eſt, ſed noſtra iam ætate completum videri poteſt; ideoque ad Antichriſtum ſuſcipiendū proximè & immediatè præſentes hęreſes manu ducunt. Quod dum breuiter demonſtro diligenter quæſo, quod facitis, attendite.

Myſte-

Myſterium iniquitatis vt verè myſterium eſſet, id eſt, vt latenter & occultè ſub fuco ſemper alquo & prętextu pietatis operaretur, ne totum ſuum venenum vno ſemel impetu effunderet, diligenter cauit. Itaque dum Chriſtum caput peterent hæretici, eius corpus myſticum nulla interea ex parte violare apertè & directè voluerunt. Quam etiam ob cauſam quia Chriſti corpus myſticum hodie petit hęreſis, de Chriſti perſona doctrinã ſanã vtcunq; diligenter retinet. Nimirũ vt veteres hęreſes contra Chriſti perſonam, Sacramenrorũ communem vſum ad prætextum Chriſtianitatis retinuerunt, ſic aliæ hęreſes quę contra Eccleſiam & Sacramenta pugnant, ſanam de Chriſti perſona doctrinam eodem prętextu retinent. Hinc factum eſt, vt totis illis primis ſeculis quibus contra Chriſti perſonam (vt iam oſtendimus) hæretici dimicarunt, parum aut nihil contra Eccleſiam aut cultum ipſum per myſterium iniquitatis, actum fuerit.

Myſterium iniquitatis quare ſic dictum.

Quarto demũ ſeculo Iouinianus, Vigilantius, Ærius, aliquas Ecçleſiaſtici cultus particulas, ſed minimo ac nullo ferè ſucceſſu, vellicauerũt. Neq; enim vel ſectatores multos habuerunt, vel diu perdurarũt. Ab iſtis exordior, quia Nouatiani etſi Eccleſię poteſtatẽ vellicaſſe videantur, non tamẽ illud eorũ dogma dę lapſis non recipiendis, contra Eccleſię Authoritatẽ directè dimicabat, ſed in ipſius peccati præpoſtera exaggeratione propriè conſiſtebat.

Myſterium iniquitatis contra Chriſti corpus quarto ſeculo cœpit in vigilantio, Iouiniano & Aerio.

Quintò

Quintum ſeculum. Quintò ſeculo primus Iconomachus exortus eſt quidam Xenaias Perſa,ſed adeo obſcurus vt nullo eius nominis aut factionis ſecta, vel illo vel ſequēti ſeculo orbi apparuerit: niſi fortè Serenum Maſſilienſem huic adiungere velis de quo Greg.lib.9:epi.9. Eodem ſeculo Iacobitę auricularis confeſſionis neceſsitatem primi negarūnt,ſi vera narrat Buchingerus.

Xenaias & Serenus Iconomachi.

Sextum ſeculum Armeni. Sextò ſeculo Armenij ad hoc myſterium iniquitatis magis aggrediendum doctrinam S.Euchariſtiæ primi corrumpunt, vt author eſt Euthymius in panopl.parte 2.ti.20. Ijdem in ſacrificijs vinum aqua non miſcent. teſte Nicephoro lib.c.53.purgatorium ex parte negarunt,& liberum quoque arbitrium ſi Guidoni Carmelitæ credimus in li. de hæreſibus.

Lambetiani. Eodem ſeculo Lambetiani libertatem rerum omnium promiſcuam monachis conceſſerūt, vt commemorat Damaſc.Here.98.

Anno 700. Iconomachi. Proximo autem ſeculo plenis velis Iconomachi graſſati ſunt, & Eccleſiam Chriſti in Oriente ſub Philippo,Leone Iſauro,& Conſtantino Copronymo, vehementiſſimè perturbarunt. Eodem quoque ſeculo Pauliciani ſignum crucis Chriſtianos diſpicere,nullaque veneratione afficere impiè docuerunt; apud Euth.panopl.partē 2.ti.21.

Pauliciani.

Anno 800. Claudius Taurinēſis. Sequenti quoque ſeculo cum Occidentem etiam hæc Iconomachia penetraſſet, Claudius Taurinenſis illa peſte infectus alia etiam nefanda adiecit, Reliquias, Peregrinationes, Inuo-

Inuocationem Sanctorum negans, & in hac parte myſterij iniquitatis paulò apertius progrediẽs. Denique eodem ſeculo ſchiſma Græcorum contra Romanæ ſedis primatum, contra Purgatorium & alia quædam efferueſcere cæpit, vt iam non obſcura ſigna aduentantis maioris complementi darentur. Schiſma Græcorum

Et ecce tibi ſub decimi ſeculi initio, quod caput huius partis in myſterio iniquitatis eſt, aggreſſus audacter Berengarius Gallus, primus mortaliũ de venerabili Euchariſtia execrandum & propudioſum ſuum dogma propoſuit. Idem quoque (quod alterum huius partis caput eſt) ſedem Apoſtolicam & caput Eccleſiæ aggreſſus, Romanam Eccleſiam vocare non eſt veritus *Eccleſiam malignantium, Concilium vanitatis, & ſedem Satanæ*, vt author eſt Lanfrancus contra Berengarium. Sed quia nondum venerat hora huius complendi myſterij, citò hæc iniquitas repreſſa eſt, ipſeque Berengarius ad ſaniorem mentem reductus. Eodem tamen ſeculo eandem ven. Euchariſtiam ex parte ſacrificij taxant Bogomili hæretici; quorum Princeps Baſilius etiam idololatriæ S. Patres accuſare non eſt veritus, vt author eſt Euth. in pan. pa. 2. tit. 23. c. 11. Anno. 1000 Berẽgarius. Bogomili.

Iam verò proximo ſiue vndecimo ſeculo, vt verè iam *poſt mille annos ſolutus Satanas* videri queat (vt Ioannes prædixit Apocal. 20.) nempe vt ex hac parte myſterium iniquitatis operoſius operaretur, & plenius conficeret; Anno 1100

T multa

multa & varia hęreticorum turba exorta eſt, quæ quam iniquitatis telam hodiernæ hæreſes cumulatiſſimè confecerunt, tanto adhuc antè tempore permiſſione diuina ſollicitè ordirentur. Hoc enim demum ſeculo præter clancularios Berengarij diſcipulos varijs in locis latitanres (quales erant publicani illi ſeu Cathari quorum meminit Conc. Late. ſub Alexandro 3. ca 27. pa. 1. & quales Polydorus Hiſtoriæ Ang. libro 13. ex Germania in Angliam veniſſe commemorat, & ante eum Gulielmus Neubrigenſis Hiſtorię ſuę libro 2. capite 13. & Tandæmum neſcio quem Antuerpienſem, tam huius venerabilis Sacramenti, quam totius Ordinis ſacerdotalis egregium contemptorem, (de quo ſupplementum Sigeberti) primū Petrobruſſiani & Henriciani imagines & templa deſtruebant: Conſecrationem Euchariſtiæ negabant, Orationes pro defunctis, Inuocationem Sanctorum, Peregrinationes, dies feſtos, Chriſmatis & olei cōſecrationes, Sacerdotum excōmunicationes ridebant, vt eorum ſynchroni Cluniacenſis, & D. Bernardus teſtantur: Deinde eiuſdem ſectæ Alij, Apoſtolicos ſeſe vocantes eodem ferè tempore his nefandis dogmatibus & alia de nouo adijciebant, Baptiſmum infantum, Purgatoriū, aliaque multa Eccleſiæ dogmata irridendo. Eodem etiam ſeculo Petrus Abailhardus cum ſuis de poteſtate clauium, de originali peccato, de concupiſcentia, de diſcrimine,

Publicani ſeu Cathari.

Tandæmus

Petrobruſſiani & Hēriciani.

Serm. 66. in Cant.

Apoſtolici.

mine,& cauſis peccatorum docuit noſtris hodie hæreticis ſimilia, myſterium iniquitatis adhuc magis operans, quod iſti hodie poſtea cumulatiſſimè complerent. Quid, quod & his hæreticis alterius nominis (quia varia de ſuo vnaquæque hæreſis protulit, vt pro parte quæ libet ſua hoc iniquitatis myſterium operaretur) ſed eiuſdem perfidiæ acceſſerunt VValdenſes ſiue pauperes de Lugduno dicti, qui præter ſupradictas blaſphemias grauiora & apertiora futuræ defectionis indicia protulerunt. Apertè enim primatum Rom. Ecc. primi negant. Canones Eccleſię reijciunt. Indulgentias irridēt. Laicis æquè ac ſacerdotibus conſecrandi & abſoluēdi poteſtatem concedunt. Poſtremò, vt hoc primo ſupra milleſimū annum ſeculo ſolutum ſe Satanas egregiè oſtenderet, eodē tempore Albigenſes in Comitatu Toloſano in Gallia eadem ferè quę ſuperiores hæretici dogmatizabant, illa de ſuo adijcientes, quòd & Euchariſtiam blaſphemarēt & li. arbitrium, pœnitentiam, confeſſionem, extremam vnctionē negarent. Itaque hoc ſanè ſeculo totum ſuum ferè venenū contra Eccleſiā & cultum Eccleſiaſticum euomuiſſe Satanas, & myſterium iniquitatis ex hac parte penitus compleſſe videri fortaſſe poterit.

Petrus A-bailhardus. Ber. epi. 188

VValdenſes.

Albigenſes

Sed ludus ac iocus hæc omnia ſunt, prout hæreticorum noſtrorum rabies poſtea dedit. Quod vt cumulatiùs, imò cumulatiſſimè pręſtarent, acceſſerunt adhuc alij huius myſterij

Hæc ergo nouiſsimorum temporũ & venturi in proximo Antichriſti ſigna quum ſint, videamus diligenter, an noſtri huius temporis hæretici, illi pſeudochriſti & pſeudoprophetæ ſint qui proximè Antichriſtum præcedent.

Quare hæretici præcurſores ſunt Antichriſti.

Primum ſanè illud conſiderandum eſt, ideo hæreticos præcurſores eſſe Antichriſti & myſterium iniquitatis per hæreſes operari, quia id agit per hæreſes diabolus, vt Chriſti nomen ac fidem paulatim & pedetentim penitus ſubuertat. Succeſſerunt enim ſanè idolis gentiũ hæreſes pſeudochriſtianorum; vt per fidem Chriſti ſubuerſis iam idolis, per hæreſes fidem ſubuerteret Satan, qui per idola amplius ſeducere non potuit. Quod diligenter docuerunt SS. Patres, Cyp. in lib. de vnitate Eccleſię. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 51. & Author operis imperfecti hom. 48. in Matth. Videndũ igitur, an per preſentes hæreſes plenè & conſummatè, myſterium iniquitatis iam operatũ fuerit; nihil vt amplius deſit quominus illis admiſſis vniuerſa Chriſti fides peſſundetur, itaque via Antichriſto paratiſſima, ſternatur.

Myſterium iniquitatis quo demũ modo compleatur.

Hoc autẽ vel inde non difficulter oſtendi poteſt, quod cùm myſteriũ iniquitatis in eo ſanè conſiſtat, vt vniuerſum quidẽ fidei ſymbolum credentiũm animis paulatim eripiat, potiſſimum verò vt Chriſti Domini mediatoris humani generis authoritatem ac maieſtatem totam funditus euertat, erit tũm demum huius iniquitatis myſterium cumulatiſ-

ſimè

ſinè conſummatum, cum quicquid ad fidem in Chriſtum proprie ſpectat, labefactatum, concuſſum, ac denique ſubuerſum fuerit: Fides autem in Chriſtum, totum planè Chriſtũ complectitur: non perſonam eius tantum, ſed & myſticum corpus eius, quod eſt Eccleſia, quæ ſanè ſunt *duo in carne vna*, iuxta Sacramentum illud magnum, quod quaſi admirans Apoſtolus expreſſit. Ad Epheſ. 5. cap. Myſterium igitur iniquitatis vt prorſus perficiatur, vniuerſam fidem & de Chriſti perſona (prioribus ſymboli articulis contaminatis,) & de Chriſti corpore myſtico (poſteriori ſymboli parte adulterata) ſubuertere debet.

Cœpit itaque hoc myſterium iniquitatis. i. hæc occulta & frauduléta per homines Chriſtianos Chriſtianæ religionis impugnatio, ab ipſa benedicta perſona Saluatoris noſtri; & quidem calentibus adhuc prædicationis Euãgelicæ cunabulis: vt de ſuo tẽpore Paulus diceret, *myſterium iam operatur iniquitatis*. Itemque Ioannes Apoſtolus, *nunc Antichriſti multi facti ſunt*. Talis erat Simon ille magus, qui etiã totũ præripere Chriſto voluit, ſeipſum virtutẽ Dei magnam dictitans, idq; adeo, vt ſtatua adhuc viuenti erecta pro Deo magno à Romanis coleretur: Tales erant Ebion, Carpocrates, Cerinthus, qui Chriſtũ hominẽ tantummodo nõ etiã Deũ eſſe dicebãt, quos hoc nomine Antichriſtos & ſeductores B. Ioãnes vocat. In hac parte myſterij conficiendi pergebãt Baſilides,

Myſterium iniquitatis circa Chriſti perſonam cepit.

2. Theſſ. 2.

1. Ioan. 2.

Tertul. in Apologet. cap. 13. Iuſtit. Apolog. 2. Aug. in lib. de hæreſ.

 Cerdon,

Cerdon, Marcion, & Apelles, qui putatiuum non verũ hominẽ Chriſtũ eſſe aſſerebãt, Apoſtolorũ temporibus proximi. Quorum etiam ſententiã promouit Valentinus, aſſerens non ex virgine Chriſtum carnem accepiſſe, ſedè cælo attuliſſe. Operati ſunt adhuc magis hoc myſterium iniquitatis ex hac parte Theodori duo, Artemon, & Aſchepio datus, de quibus Tertu. de præſcrip. in fine & Euſeb. lib. 5. c. 27. His poſtea acceſſerunt Paulus Samoſatenus, & Manicheus: quorũ ille Chriſtum hominem tantũmodo, hic putatiuũ eſſe hominẽ docuit.

His quaſi velitationibus & leuioribus pugnis præmiſſis, quos tamen multum antea promouerat Origenes, iuſto tandem certamine myſterium hoc iniquitatis aggreſſus eſt Arius: qui Chriſtum non quidem purum aut putatiuum hominem, creaturam tamen (licet *non ſicut cæteras creaturas, quia ex non entibus, quia ſapientia Dei ingenita & inoriginata eſt. Vnaque ex poteſtatibus quas condidit Deus,*) ſed Deo Patri inæqualem minimeque conſubſtantialem, magna ſapientiæ opinione ideoque maiori cum fraude atque animarum pernicie dogmatizabat. In hac enim vna hereſi ſic efficaciter myſterium hoc iniquitatis contra benedictam Chriſti Domini perſonam operatum fuit, vt etiam ab ipſo Chriſto ſanctiſſ. Martyri Petro Alexand. Epiſc. in vinculis propter nomẽ Chriſti poſito reuelatũ fuerit, per hũc Ariũ *Chriſti veſtẽ quæ eſt Eccleſia, fœdiſſimè dilaceratã fuiſſe.*

Athan. in Epiſt. de Synodis Arimini & Seleuciæ.

Tertium Seculum.

Vene. Beda in Martyrologio.

Neque

Neque tamen adhuc completum ſanè ex hac parte myſterium fuit. Reliquum autem complementum, breui ſanè tempore & mira quadam atque præcipiti celeritate acceſſit. Mox enim eodem adhuc ſeculo contra Chriſti perſonã portentoſa dogmata euomuerũt, Aetius, Eudoxius, Eunomius, nõ ſolùm de inæqualitate, ſed etiã de diſſimilitudine filij cũ patre, idque per omnia, vt blaſphemauit Eunomius. Hos mox ſecutus eſt Photinus Sirmius Chriſti diuinam natiuitatẽ negans, quaſique Ebionis inſaniã renouans. Nec longè poſt Appollinaris ex altera parte Chriſti humanitatem vellicans, eamque ſine anima aut mente humana ſuſceptam fuiſſe docens. Mox verò ſub initium alterius ſeculi, & Pelagius Chriſti gratiã multis modis hoſtiliter oppugnauit, & Neſtorius ex vno duos Chriſtos facit perſonas multiplicans, vt Ebionis & Photini hęreſim ſub hoc prętextu reſtauraret. Nec mora, vix hac hęreſi profligata, emergit altera prorſus contraria, ſed ChriſtoDomino nõ minus iniuria. Eutyches enim ſic vnam Chriſti perſonã agnoſcit, vt duas naturas Dei & hominis in vna Chriſti perſona ſubſiſtere, negaret.

Nec longè poſt cùm de perſona & natura Chriſti ſatis per miniſtros ſuos altercatum fuiſſe diabolus perſpexiſſet, de voluntate & operationibus Chriſti litẽ mouit. Quare ſub alterum ſeculum Monothelitarum hæreſis ad hanc myſterij partem exactiùs adhuc perfi- *Quartum ſeculum.*

ciendam exorta eſt. Interim tamē donec hæç acceſſio fieret,ex illa Neſtoriana & Eutychiana hæreſi aduerſa fronte inter ſe colluctantibus,fœdiſſima quędam nouarū ſectarum colluuies,quas vno hęſitantium vel ambigentiū nomine(διακρινομένους Græci vocant)comprehendūt hiſtorici,Orientē totum peruagatur. Tales erant Acephali,Iacobitę,Theodoſiani, & Iulianiſtæ,vnam Eutychetis hæreſim varia ſententiarum diuerſitate amplexi; hoc tamen ſua peſtilenti fraude efficientes, vt per vnius operationis confeſſionem naturæ quoq; vnitatē inferrēt; *vt ſic non illi Synodo Chalcedonenſi,ſed Synodus ipſa illis communicaret*: ſicuti gloriantur apud Paulum Diaconum. Rurſum Tritheitę, Agnoetæ, Theopaſchitæ, Armenij, Seueritæ, Apthartodocitę, Phantaſiaſtę, omnes Neſtorij hęreſim ſed incredibili diſcordia tuētes:& de Chriſti Domini perſona deteſtāda ſibique aduerſantia dogmata defendentes; vt explicatè cōmemorat Liberatus in ſuo breuiario,& Niceph. li. 12. c. 45. ſed diſtinctè cōfutat Leontius Byzantius in libello de ſectis Act. 5. & ſeq.

Hiſt. lib. 18.

Tom. 2. conc.

Iſta colluuies quarto quidem ſeculo exorta,ſed toto etiam quinto ſeculo perdurans,vſque ad Gregorij Magni tempora vt ex eius Regiſtro liquidè conſtat, quum vndiquaque ſanam fidem de Chriſti Domini perſona contaminaſſet, ac labefactaſſet, horrendam illam tandem maximeque deteſtandam Mahometis ſectam peperit. Hic enim inſignis pſeudopropheta.

Quintum ſeculum. Libro 8. epiſt. 35. & 36. lib. 11. epiſt. 55.

propheta & *deſolatarius Amalech*, vt à Paulo diacono vocatur, à Sergio & Ioanne Arianis & Neſtorianis hæreticis edoctus, & iuxta illorũ deteſtanda dogmata ſuam propheriam fabricans; Chriſti Domini maieſtarem, fidem, doctrinam, ac legem ſub finem quinti ſeculi penitus ſuſtulit; ſeque ipſum ac ſuum Alcoranũ eius loco ſuppoſuit, breuiq; tempore per diſcipulos eius in quã plurimis gẽtibus, exploſa Chriſtiana fide obtinuit. Mox enim proximo ſeculo Saraceni (quorũ ille viuens dux & propheta erat) anno quidẽ 35. Alexandriã & totã Ægyptũ occuparunt, ſub Cyro Monothelita Alexandrino tum pſeudopatriarcha. Quorũ aduentu Chriſtiana fides ſic toto illo latiſſimo tractu celeriter extincta eſt, vt quinto decimo poſt anno, Patriarcharũ Alexandrinorum ſucceſſio penitus diſrupta ceſſauerit, nec niſi titulares Epiſcopos ab eo tempore illa ſedes habuerit. Quin & proximo poſt an. 36. Hieroſolyma quoque & magna Syrię pars per eoſdẽ Saracenos Romanis erepta eſt, pariterq; fides Chriſtiana erecto Mahometiſmo: adeo ſanè, vt Sophronius tunc Hieroſolymorum Epiſcopus, Haumar Saracenorũ ducem Antichriſtum eſſe exiſtimaret, vti cõmemorat Paulus Diaconus. Ab hoc enim anno (donec quingẽtis ferè poſt annis à Latinis recuperata terra ſancta fuerat) Hieroſolymitani Patriarchę numerari deſinũt. Statim verò biennio poſt (an. 38.) Antiochia & reliqua Syriæ pars eodẽ modo

Mahometes exortus

Sextum ſeculum.

In Mahometiſmo myſterij iniquitatis operatio ex vna parte cõpleta.

Lib. 18.

do occupata eſt. Nec mora, ſexto poſt anno (an. 40.) Perſidē quoq; Saraceni poſſidēt, cui ampliſſimæ genti ita ſuum Mahometē obtrudūnt, vt etiā Saracenos eos vocari coēgerint vt ſcribit Paulus Æmilius. Quid, quòd & in alteram orbis partem traijcientes, quindecim annis poſt, (an. 650.) Africā occupant, ſuumq; Mahometē vaſtiſſimis illis populis pro Chriſto colendum imponunt? Et has quidē gentes omnes cum adiacētibus prouincijs & populis (exceptis Armenis, Iberis, & Alanis, qui quo tempore Perſidem & Aſſyriam occuparent Saraceni, fortiſſimè illis reſtiterunt, ſeſeque & religionem Chriſtianam ab illorum tyrannide ſoli vindicarunt, vt ſcribit P. Diac. lib. 18. hodíeque adeo magna ex parte retinent) ad hunc vſque diem Mahometiſmus obtinet. Nec hoc ſolùm ſed & præterea vniuerſam penè Græciam totumque Orientalis orbis tractum iam ſub Turcarum Dominatu, qui à principio ferè Saracenis iuncti, illorum poſteà per inteſtinam diſſenſionē Domini facti, nomen ipſum vnà cum gente ſuſtulerunt. Denique & præter iſtos etiam innumeros Oriētalis Indiæ populos, eadem peſte à multis iam ſeculis correptos comperimus. Nam vt alias adhuc Chriſtiani orbis prouincias idem Mahometiſmus ad tempus occupauerit, vnde poſtea fortiter & viriliter eiectus fuerit; vt Italiam ipſam, inſulaſque adiacentes, multò maximam Galliæ partem, ac denique noſtrorum

Libro 1.

ferè

ferè Patrum memoria Hiſpaniarum nō modicam portionem, ſub nomine Maurorum qui alias Saraceni ſunt, nihil attinet hoc loco exactius commemorare.

Videtis igitur Auditores beneuoli, quam longè lateque myſterium iniquitatis contra ſanam fidem de Chriſto, quod ad perſonā eius attinet, operatum atque perfectum fuerit. Atque hæc ſanè tanta huius myſterij iniquitatis operatio, hæc tanta Chriſtianiſmi per hæreſes illas ſupradictas perturbatio, totoque penè Chriſtiano orbe profligatio, multis & olim & hodie magnis & doctis viris cauſam dedit cogitandi, dicendi, atque docendi, hunc Mahometem magnum illum eſſe Antichriſtum, qui Chriſti nomen ac fidē toto orbe ſubuerteret. A quorum tamen ſententia vt ſemper alieniſſimus fui, vtpote quæ multis & maximis argumentis facilè euerti poſſet, ita vel hoc vnū huius eorum erroris cauſam eſſe grauiſſimam animaduerto, quòd myſterium iniquitatis (cuius operatio ad magni vſque Antichriſti aduentum non deſinit) non ſatis occultè perſpexerint, non ſecus circa Chriſti corpus myſticum quod eſt Eccleſia & quæ eo pèrtinent, quam circa Chriſti perſonam propriam verſari: nec priùs eſſe completum hoc myſterium atque conſummatum, quàm omni ex parte Chriſtum profligauerint, & tam corpus quàm Caput, tam poſteriores ſymboli partes quàm priores, tam cultū ipſum & colendi normam

Mahometes Antichriſtus ille magnus non eſt.

quàm

quam eum qui colendus eſt denique tam medicinā ipſam humani generis quàm medicū, è cordibus hominū penitus extirpauerit. Hoc enim non ſecus ad proprios Antichriſti præcurſores & ad hoc myſteriū iniquitatis quam prioris generis hęreſes pertinere & efficax eſſe, luce clarius in ſequentibus oſtendemus. Interim tamē notandū hoc loco, quàm diligentiſſimè priorē huius myſterij iniquitatis partē in mahometiſmo cōpletam atq; conſummatā; maximas in Chriſtiana religione ſtrages edidiſſe. Neq; enim poſt ſectas cōtra Chriſti perſonā enumeratas, vlla alia noua ſecta in eo genere exorta deinceps eſt; ſed quicquid ab hæreticis poſtea contra Chriſti perſonā in poſterioribus hiſce ſeculis deliratū fuit, aut vetus erat hęreſis denuo renouata, aut certè quod ad aliquam illarum veterum faciliè reduci poſſet.

Altera pars myſterij iniquitatis

Nunc autem ex altera parte contra poſteriores Symboli partes, contra Chriſti corpus myſticū, contra Eccleſiam Dei, contra cōmunionem Sanctorum, contra remiſſionē peccatorum, contra Sacramenta ipſa, quæ medicinæ noſtrę vaſa & inſtrumenta ſunt, denique contra cultum Chriſtianis proprium, myſterium quoque iniquitatis diligenter operatum eſt, ſed noſtra iam ætate completum videri poteſt; ideoque ad Antichriſtum ſuſcipiendū proximè & immediatè præſentes hęreſes manu ducunt. Quod dum breuiter demonſtro diligenter quæſo, quod facitis, attendite.

Myſte-

Myſterium iniquitatis vt verè myſterium eſſet, id eſt, vt latenter & occultè ſub fuco ſemper alquo & prętextu pietatis operaretur, ne totum ſuum venenum vno ſemel impetu effunderet, diligenter cauit. Itaque dum Chriſtum caput peterent hæretici, eius corpus myſticum nulla interea ex parte violare apertè & directè voluerunt. Quam etiam ob cauſam quia Chriſti corpus myſticum hodie petit hęreſis, de Chriſti perſona doctrinā ſanā vtcunq; diligenter retinet. Nimirū vt veteres hęreſes contra Chriſti perſonam, Sacramenrorū communem vſum ad prætextum Chriſtianitatis retinuerunt, ſic aliæ hęreſes quę contra Eccleſiam & Sacramenta pugnant, ſanam de Chriſti perſona doctrinam eodem prętextu retinent. Hinc factum eſt, vt totis illis primis ſeculis quibus contra Chriſti perſonam (vt iam oſtendimus) hæretici dimicarunt, parum aut nihil contra Eccleſiam aut cultum ipſum per myſterium iniquitatis, actum fuerit.

Myſterium iniquitatis quare ſic dictum.

Quarto demū ſeculo Iouinianus, Vigilantius, Ærius, aliquas Eçcleſiaſtici cultus particulas, ſed minimo ac nullo ferè ſucceſſu, vellicauerūt. Neq; enim vel ſectatores multos habuerunt, vel diu perdurarūt. Ab iſtis exordior, quia Nouatiani etſi Eccleſię poteſtatē vellicaſſe videantur, non tamē illud eorū dogma dę lapſis non recipiendis, contra Eccleſię Authoritatē directè dimicabat, ſed in ipſius peccati præpoſtera exaggeratione propriè conſiſtebat.

Myſterium iniquitatis contra Chriſti corpus quarto ſeculo cœpit in Vigilantio, Iouiniano, & Aerio.

Quintò

Quintum ſeculum.

Quintò ſeculo primus Iconomachus exertus eſt quidam Xenaiaſ Perſa,ſed adeo obſcurus vt nullo eius nominis aut factionis ſecta; vel illo vel ſequēti ſeculo orbi apparuerit: niſi fortè Serenum Maſſilienſem huic adiungere velis de quo Greg.lib.9:epi.9. Eodem ſeculo Iacobitę auricularis confeſſionis neceſsitatem primi negarūt,ſi vera narrat Buchingerus.

Xenaias & Serenus Iconomachi.

Sextum ſeculum Armeni.

Sextò ſeculo Armenij ad hoc myſterium iniquitatis magis aggrediendum doctrinam S.Euchariſtiæ primi corrumpunt, vt author eſt Euthymius in panopl.parte 2.ti.20. Ijdem in ſacrificijs vinum aqua non miſcent. teſte Nicephoro lib.c.53.purgatorium ex parte negarunt,& liberum quoque arbitrium ſi Guidoni Carmelitæ credimus in li. de hæreſibus.

Lambeniani.

Eodem ſeculo Lambetiani libertatem rerum omnium promiſcuam monachis conceſſerūt, vt commemorat Damaſc.Here.98.

Anno 700. Iconomachi.

Proximo autem ſeculo plenis velis Iconomachi graſſati ſunt, & Eccleſiam Chriſti in Oriente ſub Philippo,Leone Iſauro,& Conſtantino Copronymo,vehementiſſimè perturbarunt. Eodem quoque ſeculo Pauliciani ſignum crucis Chriſtianos diſpicere,nullaque veneratione afficere impiè docuerunt; apud Euth.panopl.partè 2.ti.21.

Pauliciani.

Anno 800. Claudius Taurinēſis.

Sequenti quoque ſeculo cum Occidentem etiam hæc Iconomachia penetraſſet, Claudius Taurinenſis illa peſte infectus alia etiam nefanda adiecit, Reliquias, Peregrinationes, Inuo-

Inuocationem Sanctorum negans, & in hac parte myſterij iniquitatis paulò apertius progrediẽs. Denique eodem ſeculo ſchiſma Græcorum contra Romanæ ſedis primatum, contra Purgatorium & alia quædam efferueſcere cæpit, vt iam non obſcura ſigna aduentantis maioris complementi darentur. Schiſma Græcorum

Et ecce tibi ſub decimi ſeculi initio, quod caput huius partis in myſterio iniquitatis eſt, aggreſſus audacter Berengarius Gallus, primus mortaliũ de venerabili Euchariſtia execrandum & propudioſum ſuum dogma propoſuit. Idem quoque (quod alterum huius partis caput eſt) ſedem Apoſtolicam & caput Eccleſiæ aggreſſus, Romanam Eccleſiam vocare non eſt veritus *Eccleſiam malignantium, Concilium vanitatis, & ſedem Satanæ*, vt author eſt Lanfrancus contra Berengarium. Sed quia nondum venerat hora huius complendi myſterij, citò hæc iniquitas repreſſa eſt, ipſeque Berengarius ad ſaniorem mentem reductus. Eodem tamen ſeculo eandem ven. Euchariſtiam ex parte ſacrificij taxant Bogomili hæretici; quorum Princeps Baſilius etiam idololatrię S. Patres accuſare non eſt veritus, vt author eſt Euth. in pan. pa. 2. tit. 23. c. 11. Anno. 1000 Berẽgarius. Bogomili.

Iam verò proximo ſiue vndecimo ſeculo, vt verè iam *poſt mille annos ſolutus Satanas* videri queat (vt Ioannes prædixit Apocal. 20.) nempe vt ex hac parte myſterium iniquitatis operoſius operaretur, & plenius conficeret; Anno 1100

mine,& cauſis peccatorum docuit noſtris hodie hæreticis ſimilia, myſterium iniquitatis adhuc magis operans, quod iſti hodie poſtea cumulatiſſimè complerent. Quid,quod & his hæreticis alterius nominis (quia varia de ſuo vnaquæque hæreſis protulit,vt pro parte quælibet ſua hoc iniquitatis myſterium operaretur) ſed eiuſdem perfidiæ acceſſerunt VValdenſes ſiue pauperes de Lugduno dicti, qui præter ſupradictas blaſphemias grauiora & apertiora futuræ defectionis indicia protulerunt. Apertè enim primatum Rom. Ecc. primi negant. Canones Eccleſię reijciunt. Indulgentias irridét. Laicis æquè ac ſacerdotibus conſecrandi & abſoluẽdi poteſtatem concedunt. Poſtremò, vt hoc primo ſupra milleſimũ annum ſeculo ſolutum ſe Satanas egregiè oſtenderet, eodẽ tempore Albigenſes in Comitatu Toloſano in Gallia eadem ferè quę ſuperiores hæretici dogmatizabant, illa de ſuo adijcientes, quòd & Euchariſtiam blaſphemarẽt & li. arbitrium, pœnitentiam, confeſſionem, extremam vnctionẽ negarent. Itaque hoc ſanè ſeculo totum ſuum ferè venenũ contra Eccleſiã & cultum Eccleſiaſticum euomuiſſe Satanas, & myſterium iniquitatis ex hac parte penitus compleſſe videri fortaſſe poterit.

Petrus Abailhardus.

Ber. epi. 188

VValdenſes.

Albigenſes

Sed ludus ac iocus hæc omnia ſunt, prout hæreticorum noſtrorum rabies poſtea dedit. Quod vt cumulatiùs, imò cumulatiſſimè pręſtarent, acceſſerunt adhuc alij huius myſterij

cooperatores & prodromi egregij, priuſquam hodiernum quod videmus complementũ & totius iniquitatis cumulata perfectio accederet. Adhuc enim proximo ſequẽnti ſeculo Almaricus maiorem lucem huic cacangelio allaturus & prędictas hæreſes magna ex parte tenuit (vt huius ſectam perſtringere videatur S. Tho. in Opuſc. 17. c. 12. & 18. c. 1.) & pręterea tum vbiquitatem Brentij propriã, tum etiam ſpecialẽ fidem in ſenſu Caluini docuit, vt author eſt Vincentius in ſpeculo li. 29. c. 107.

Anno 1200 Almaricus.

Rurſum ſequẽti ſeculo (an. 1300.) Lolhardi in Germania adhuc propius ad Lutheri tenebras, quibus orbis Chriſtianus excæcandus erat, accedentes, quinque tantũ Sacramenta agnouerunt; Ieiunia, feſta, conſecrationes templorum & altarium prorſus ſuſtulerunt; Denique Romanam Eccleſiam aperta voce contempſerunt: vt commemorat Trithemius in Chronicis ad an. Domini 1315. Omitto hoc eodem ſeculo flagellantum ridiculam ſectam, & Marſilium Patauinum, qui multa Proteſtantibus noſtris ſimilia docuerunt; id eſt, myſterium iniquitatis ad viam Antichriſti poſtea per Lutherum aperiendam, magna etiam ex parte operati ſunt. Acceſſit ſub huius ſeculi finem, tanquam omnium harum velitationũ colophon, deteſtandæ memoriæ Ioãnes VVicleph, qui omnes ferè prædictas hæreſes cum ſuis Lolhardis in Anglia parturiẽs, eas poſtea quia domi nõ licuit, apud infœlices Bohemos per

Anno 1300 Lolhardi.

Flagellãtes. Marſilius.

VVicleph.

per diſcipulos ſuos Ioan. Hus, & Hiero. Pragenſem diſſeminauit.

Moxque ſub principium ſequentis ſeculi variæ Huſſitarum factiones & ſectæ, infauſta VViclephi propago, Orebitæ, Iacobitæ, Paulini, Taboritæ, Adamitæ, infœlicem Bohemiæ populum, tanquam locuſtæ Ægyptiacæ depopulatæ ſunt, cum incredibili non tantum animarum, ſed etiam corporum ſtrage; vt prolixè commemorat Æneas Siluius in hiſtoria Bohemica c. 35. & ſeq.

Anno 1400 Huſſitarum ſectæ.

Verumenimuero velitationes erant hæc omnia & prѳludia tantum, atque initia malorum. Etenim quia nondũ completa erat malitia Chriſtianorum, nondum plenè abundauerat iniquitas, nondum prorſus refrixerat charitas, nec odium in Clerum & præſertim in Rom. Eccleſiam adeo adhuc vehementer hominum animos occupauerat, non niſi paucos modò in Gallia modò in Germania homines, & non niſi vnicam Bohemorum gentem peruadere hoc malum potuit. Noſtris hodie temporibus, vel potius noſtris hodie peccatis, (*Robur enim datum eſt* Antichriſto & ſatellitibus eius, *contra iuge ſacrificium propter peccata* ait Daniel) ſeruatum hoc fuit vt noſtro hoc demum ſeculo, Lutherus, Caluinus, Melanchthon, alijque operarij ſubdoli naſcerentur, qui myſterium hoc iniquitatis completa iam hominum malitia, exabundante iniquitate, refrigeſcente imò extincta penitus charitate,

Myſterij iniquitatis cõplementum cur noſtro tempore.

Cap. 9.

ritate, prorſus complerent, omnibuſq; numeris abſolutum redderent: vt nihil planè Antichriſto venturo deſit, quod viam ei pręparare, & ad eum ſuſcipiēdum hominum corda efficaciſſimè diſponere queat. Quicquid ergo hactenus Satanas ad myſterium iniquitatis ex parte corporis Chriſti myſtici operandū, per Iouinianum, Vigilantium, Ærium, per Iconomachos, Iacobitas, Armenios, per Berengarium, Abailhardum, Almaricum, per Petrobruſſianos, Henricianos, Albigenſes, VValdéſes; denique per Lolhardos, VViclephiſtas, Huſſitas, per tot ſecula, tot in locis, tāto ſtudio (ſed incaſſum quodammodo & ſine fructu) contendit, ſudauit, elaborauit; hoc tandem vniuerſum multoque eis plura, per Lutherum, Caluinum, Melanchthonem, alioſque euomuit, & fœliciori ſucceſſu (de quo non ſemel ex parte diaboli Lutherus triumphat) confecit. Hæreſes enim hodiernæ præter illa omnia peſtilentiæ dogmata iam commemorata nihil penitus intactum reliquerūt, quod contra Eccleſiam Chriſti, contra Sacramenta Eccleſiæ, contra remiſſionem peccatorum, & communionem Sanctorum, denique contra cultū Dei vniuerſum, dici aut diſputari poſſit. Quod ne lōga hîc commemoratione opus ſit, accipite hac de reipſorum Archihæreticorum huius temporis confeſſionem manifeſtam. Lutherus in libello cui titulū dedit Pręmonitio ad Germanos anno 31. de Catholicę Eccle-

Eccleſiæ doctrina,ſic loquitur.*Nulla eſt litcrula tam parua in corum doctrina, nec vllum opus adeo mos dicum,vt non abneget ac blaſphemet Chriſtũ, violetque fidem in ipſum.* Hæc ille. Similiter Caluinus Inſtit.lib. 4. c.2. par.9. *Vix vllum cum Papiſtis conuẽtum poſſumus habere, in quo non aperta idololatria nos polluamus.* Hæc ille. Et iterũ. *Satan in Papatu corruptelis adulturauit quæcunq; Deus in ſalutẽ noſtram deſtinauerat.* Inſt.li.4.c.1.par.1. Agnoſcunt igitur vniuerſam Eccleſiæ doctrinam ab ipſis damnari,& rem ſanè ſic ſe habere in proxima mox Oratione in particulari oſtẽdemus. Dico ergo iniquitatis myſteriũ ex parte corporis Chriſti myſtici,& ex poſteriore Symboli noſtri parte, tot antea ſeculis paulatim & per gradus vtcũque prouectum; per pręſentes hęreſes prorſus eſſe cõpletum & conſummatum: ſiue corpus ipſum quod eſt Eccleſia in ſeipſa cõſideres, ſiue Authoritatẽ eius quacunque tandem ex parte ſpectes, ſiue denique Sacrẽmẽta eius & cultum externum vniuerſum reſpicias: Quo ex loco ad prius Argumentum doctiſſ. Domini Quodlibetarij patet reſpõſio. Pręſentes enim hæreſes vtcunque ſanam doctrinã de Chriſti perſona integram retinere, vetereſque hæreſes contra Chriſti vel diuinitatem vel humanitatem ſeriò execrari videãtur; (quanquã nunc in Polonia & Transſiluania noui Ariani, noui Tritheitę magno numero exorti ſint) Antichriſto tamen viam & expeditiorem & magis propinquam quam veteres illæ contra

Chriſti Perſonam ideo parant, quia myſteriũ iniquitatis ex vną quidem parte per illas alias hæreſes cœptum & conſummatum, iſtę hodie ex altera parte, eaq; (vt mox videbimus) Antichriſto magis propria, compleuerunt, omnibuſque numeris abſolutiſſimum dederunt.

Quibus ita poſitis, adhuc magis infero, quemadmodum myſterio iniquitatis contra Chriſti perſonam per tot ac tãtas veteres hæreſes completo, aduenit Mahometiſmus totumque ferè Orientem & meridiem breui tempore (extincto atq; ſubacto Chriſtianiſmo) occupauit, *à qua orbis parte incipere debuit defectio, ſicut ab illa prima profluxit Euãgelij propagatio,*
Epiſt. 70. vt notat ſapienter Baſilius; ſic myſterio iniquitatis per recentiores poſteriorum ſeculorum hęreſes, contra corpus Chriſti myſticũ ex altera parte hodie completo atque cõſummato, nihil aliud expectandũ eſſe quã vt proximę poſt iſtas adueniat Antichriſtus, qui quod reliquum eſt Chriſtianitatis in Occidentali hac & Septẽtrionali orbis parte ſimiliter deuaſtet.
Vtriuſque defectionis ex vtraque parte myſterij iniquitatis ſupplementum ſimile
Ad quem duplicem myſterij iniquitatis effectum fortaſſe ſignificandum, Chriſtus in perſona in Oriente conuerſari voluit, Caput autem Eccleſiæ ſuæ vicariũ totiuſq; Authoritatis Eccleſiaſticę Principem Petrum in Occidente poſuit. Cuius etiam rei non leue argumentũ & hoc eſſe poteſt, quod quemadmodum quo tẽpore per hęreticos antedictos, & Saracenos in Oriente & meridie primò Arianiſmus, de-

inde

inde Mahometiſmus ſummo ſtudio propagatus eſt; quinto videlicet ſexto & ſeptimo ſeculis; eodem tempore permultæ Occidentis & Septentrionis nationes atque Inſulę ad fidē Chriſti perductę ſunt, quaſi in ſupplementum defectionis, quam ex illa parte myſterium iniquitatis operabatur, videlicet Lazi, Heruli, & Hunni ſub Iuſtiniano Imperatore, Angli per Gregorium Magnū, Hollādia, Phriſia, VVeſtphalia & magna pars Germanię per Anglos, VVillibrordum, Suibertū, Lęuinum Marcellinum, VVinfridum, aliàs Bonifaciū, & Offo, Flandria per Eligium; Bauaria per Rupertū, Saxones ſub Carolo Magno, aliæque per alios prouincię; Eodem planè modo hoc noſtro tēpore multis à fide Catholica per pręſentes hęreſes deficientibus, ad huius operantis myſterij iniquitatis ſupplementū, nouis & inauditis antea populis, non ſolùm in vtraque India Orientali & Occidentali, totaq; America, ſed etiam & vltra Sinarum populos, in remotiſſimis Iaponiæ Inſulis, fides Chriſti & quidē incredibili auiditate & fructu prædicatur, propagatur, & dilatatur. Dicēte enim Chriſto, quod *prædicabitur hoc Euangelium omnibus nationibus, & tunc veniet conſummatio*, & ante illam conſummationem veniat Antichriſtus oportet, certè illa vniuerſa prædicatione nunc demū (vt videtur) facta, & iſtæ poſtremæ hęreſes, & hæc poſtrema quaſique vltimata per pręſentes hæreſes, diſpoſitio meritò videri poteſt.

Epiſt. Indicæ & Iaponicæ.

Matth. 24.

Ex ſtatu veteris Synagogæ præſentium hęreſum ad Antichriſtum præparatio colligitur.

Confirmat autem non leuiter hanc ſententiam noſtram Status veteris Synagogæ, tam in toto decurſu ſuo quã etiam imminente iam eius in proximo ruina. Illa enim cum ad ſtatũ quendam ſub Regibus ſuis florentiſſimũ perueniſſet, citò ſanè (facta decem tribuum diuiſione) ad Idololatriam (hæreſum noſtrarũ typum) deflexit. Nec in Samaria tantũ ſed & in ipſo Iuda, Achàz quidẽ manifeſtus idololatra extitit, Ioram verò, Ochozias, Athalia, impij cùm eſſent, libertatem tamen veræ religionis permiſerũt, ſicuti Ioas pius initio quum eſſet, idololatriam tamen tolerans, idololatra tandem ipſemet effectus eſt: quales etiam poſt eũm Amazias filius eius ſub finem vitæ Manaſſes & Ammon fuerunt.

Primi templi deſtructio per idololatriã

Quorum Regum adeoque ipſius populi impietatem multiplicem, quum totis 390. annis Deus toleraſſet, leuioribus interim caſtigationibus eos erudiens, vniuerſum tandem in captiuitatem abduci eſt paſſus. Poſtea verò reędificato tẽplo, & cultu Dei reſtituto, non tamẽ amplius Reges ſed Duces, nec Prophetas (niſi vnum fortè
1. ſub initio Malachiam) ſed Scribas à Deo accepit Synagoga.

Secundi templi ſtatus vnde perturbatus.

Sed & ſub hoc 2. templo partim per hæreſim Samaritanorum & ęmulum templum in monte Gariſim, partim per græcas
2. ſuperſtitiones ſub Græcorum tyrannide Hieroſolimis inuectas, partim denique per ſectam Sadducęorum per Ioannem Hircanum Pontificem in ſummum Senatum (quem Sanedrim

drim vocabant) deiectis Phariſæis cooptatam cito perturbato atque corrupto; interitus eius accelerauit. Mox enim eiectis prius Phariſęis (id eſt legitimis Synagogæ magiſtris) per Ariſtobulum & Alexandrum Reges ſectæ Sadducęorum, ac deinde Hircano per Pompeium reſtituto, in idem religionis ius vtriſq; admiſſis & vtraque religione Sadducęorum & Phariſęorum approbata; ad Herodem externum delatum eſt Imperium, qui mox vniuerſum Sanedrim ſuſtulit, proſelytos ſubſtituens, multiſque alijs in rebus Religionem contaminauit, vt Meſſiæ iam aduentus, qui penitus ſublata veteri nouam formam inſtitueret, fuerit pluſquam oportunus, planeque neceſſarius. Non certè diſſimiliter in hoc Eccleſię ſtatu, florente illa maximè ſub Conſtantino aliiſque Imperatoribus Chriſtianis & Catholicis, mox tamē in hæreſes varias quibuſdam eorum prolapſis, Conſtantio, Valente, Zenone, Arianis; Anaſtaſio, Eutycheta, Leone, Philippico, Conſtantino, Iconomachis; Heraclio eiuſque nepote Conſtante Monothelitis; poſt aliquot ſecula Orientale Imperiū Mahometiſmus occupat. Occidentis autem & Eccleſia & Imperium, vtcunque nihilominus aliquot poſt ſeculis egregiè floruit, tamen nec Conſtantinos, Valentinianos & Theodoſios Imperium, nec Auguſtinos, Hieronymos, Baſilios, Chryſoſtomos Eccleſia habuit; ſed variis mox hæreſibus diu afflicta Eccleſia,

3.

Philo.

cleſia,& gręcorum ſchiſmate tanquam altero monte Garizim magis dilacerata, hodie profectò penitus obruta atque peſſundata videtur: Imperium quoque diu multumque agitatum, quàm nunc tenui ac penè nullo filo pendeat, nemini obſcurũ arbitror. Quid ergo reſtat, niſi vt per præſentes hæreſes Eccleſia ex omni ſua parte laborante, Imperio verò ruinã iam in proximo pariter minante, hæ proximè venturo Antichriſto cenſeantur hæreſes, vt olim caſura Synagoga diſſenſiones & ſchiſmata proxima erant aduenienti Chriſto?

Sed vtcunque ſe habet iſta comparatio, illud profectò non oſcitanter aduertendũ eſt, quod quemadmodũ per veteres hęreſes contra Chriſtũ inuectoMahometiſmo, Orientale Imperiũ concidit, ſic per hęreſes contra corpus Chriſti Imperiũ quoque Occidentale penè ad nihilum redactum eſt. Etenim ſanè ſi rectè aduertimus vtriuſq; & Eccleſiæ & Imperij Romani incrementa pariter atque defectus, videbimus vtrumq; pariter (à quo tempore in Conſtantino Magno coniuncta fuerunt) & floruiſſe & defeciſſe: vt ſemper florente religione, floruerit Imperium, inualeſcentibus hæreſibus, ceciderit Imperiũ. Quam ſanè ob cauſam Apoſtolus Paulus diſputans de aduentu Antichriſti, & cauſas morę deſcri-

2. Theſſ. 2. bens, hæc duo coniunxit. *Nunc* (inquit) *quid detineat ſcitis, vt reueletur ſuo tempore. Nam myſteriũ iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc teneat,*

neat, donec de medio fiat. Cauſa ergo moræ & dilationis Antichriſti duplex eſt. Vna myſteriũ iniquitatis per hæreſes operans, donec compleatur. Altera Romani Imperij robur & fortitudo, quo ſtante Antichriſtus prę́ualere non poterit. Hoc enim intellexiſſe Apoſtolũ illis verbis, *qui tenet nunc teneat*, &c. vnanimi conſenſu Patres græci & latini docent: Chryſoſt. Oëcumenius, Theophilactus in commentariis. Hieron. in Epiſt. ad Algaſiam q. 11. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 20. cap. 19. Ambroſius in commentariis ad hunc locũ. Tertullianus in Apologetico cap. 32. & in lib. ad Scapulam cap. 2. Et Lactantius lib. 7. cap. 25. Nec aliud docet Danielis propheria cap. 11. pręedicens videlicet, fore vt quemadmodũ Regnum Aſſyriorum à Babiloniis, Babiloniorũ à Perſis, Perſarum à Macedonibus, Macedonũ à Romanis deſtructum eſt, ita & Romanorum ab Antichriſto, ipſeque Antichriſtus à Chriſto deſtruetur. Totum enim Romanum Imperium per hæreſes, Antichriſti pręambula, (ſunt enim hæretici eius pręcurſores) particulatim quidem atque membratim diſcerpitur; ab ipſo autem Antichriſto totaliter & finaliter deſtruetur. Hac ſanè de cauſa obſeruare licet, vtrumque hoc eadem opera Satanam diligenter confeciſſe: per hæreſes inquam & *myſterium iniquitatis operatum eſſe*, & *illud quod tenebat*, ſuique Antichriſti aduentum remorabatur, Romanum videlicet Imperium, paulatim è medio ſuſtuliſſe.

Eccleſia & Imperium pariter defecerunt.

ſtuliſſe. Sic ſanè graſſantibus per orbem Arianis ſub Conſtantio & Valente, Oſtrogotthi in Italia & Viſegotthi in Hiſpania Imperij partes occuparunt. Sub Honorio autem & Valentiniano 3. necdum extincto Arianiſmo, accedentibus etiam Pelagianis, Donatiſtis, Manichęis, Neſtorianis & Euticheriſtis, Vandali Africam occupant, Hunni Galliam & Italiã deuaſtant: Picti & Saxones Britanniam opprimunt à Romanis tandem deſertam; idque propter hæreſim Pelagianam & alia ſchiſmatica, vt fore quodammodo prædixit Gildas ſapiens. Eodem modo ſub Zenone Iſauro Ariano, & Anaſtaſio Eutychiano Imperatoribus, Italiam Gotthi, Africam Vandali tenent. At verò florentibus ſub eodem Anaſtaſio & paſſim graſſantibus varijs illis Neſtorianorum & Monophyſitarum ſectis, quæ Hæſitantium vno nomine vocabantur, Bulgari Illirium & Thraciam pulſis Romanis, Hæruli Italiam occupant. Deinde verò ſub Heraclio & Conſtante Monothelitis, occupantibus hæreticis Alexandrinam, Antiochenam & Conſtantinopolitanã ſedes Patriarchales, Siriam, Ægyptum, Perſidem, Africam, Saraceni Mahometani Romanis eripuerunt. Denique per Iconomachiam, & ſchiſma græcorum, quis non videt vniuerſum illud Orientis Imperiũ tandem concidiſſe, & in Mahometani Turcæ poteſtatem veniſſe? Annon verò & Bohemicum Regnum è manu Sigiſmundi Imperatoris

Ziſca

Ziſca ille Huſſita penè extorſerat? Nempe hanc ob cauſam pariter cum Eccleſia deficit Imperium; vel quia propter Eccleſiam Romanam ſtabilitum eſt Imperium, ideoque eo iam confirmato & vniuerſo orbe ſubacto, ſub Auguſto Cæſare Eccleſiæ ſponſus & Caput Chriſtus in mundum venit; vel etiam quia hoſtes Eccleſiæ, Imperij quoque hoſtes ſunt, vel vt apertius dicam, quia ipſius hæreſis aut perpetuus & indiuiduus comes, aut certè iuſta Dei vindicta per quam hęreſes & ſchiſmata punire ſolet, eſt popularis ſeditio ac rebellio. Loquuntur id clara voce bella noſtri temporis Germanica, conflictus Heluetici, tumultus Gallici, calamitas præſens Belgica, hæreticorum fraude & malis artibus concitata. Dico ergo paratiſſimam & apertiſſimam Antichriſto viam per horum temporum hæreſes factam eſſe, conculcata nunc eorum opera authoritate tota Eccleſiaſtica, iacente quoque peneque ad nihilum redacta Imperatoria maieſtate, vel etiam quacunque ſeculari poteſtate, ſeu regia ſeu ducali, ſeu denique ciuica & ſenatoria. Atque hæc de pręparatione ad Antichriſtum per hæreſes futura, ex ſcripturis & rebus anteactis, de myſterio quoque iniquitatis ex altera ſua parte per præſentes hęreſes completo, ac denique de iis quæ in genere docere poſſunt per horum temporũ hęreſes viam Antichriſto proximam præparari, hactenus.

Quare pariter cum Eccleſia defecit imperium.

Videte

Videte autem per Chriſtū vos rogo, & diligēter aduertite nunc Auditores, quot adhuc & quàm varijs modis alijs,quamq; efficaciter præſentes hæreſes ex iis quę illis propria ſunt, Antichriſto non tam feneſtrā recluſerint, quā ianuam totam omnibus planè ſublatis repagulis & remoris, latiſſimè aperuerint.

1. Propriæ quædam cauſæ cur præſentes hæreſes proximæ Antichriſto videantur.

1. Primùm,quia adueniente Antichriſto nihil magis in officio continere fideles poteſt quàm authoritas Eccleſię;(quā ſi audiunt,aures Antichriſto prębere non poſſunt,) hanc omnem authoritatem (quod nulla hactenus hæreſis fecit)penitus hodie conculcarūt; ſiue Cōcilia Epiſcoporum,ſiue S.Patres & Doctores, ſiue ipſos ſeorſim Epiſcopos & Paſtores reſpicias.

2. Act.1-2-3.5 10.22.26. Ioan.15. Cor.15. Eſaiæ 43.

2. Secundò, quum nihil in mundo glorioſius Chriſto teſtimoniū præbeat quā ſua Eccleſia, (quam idcirco teſtem ſibi toto orbe futuram conſtituit)Eccleſiæ teſtimonio & Authoritate reiecta,nonne Chriſtus abijcitur,& Antichriſtus egregiè ſtabilitur?

3. Tertiò,ne nouum aut durum, aut aliquo modo ſcrupuloſum ſit,Antichriſto aures præbere, iam diligenter Chriſtianorum corda per præſentes hęreſes aſſueuerunt, nouis ſubinde magiſtris,nouis doctrinis, varijs & peregrinis auſcultare,fauere,credere.

4. Quartò,quia viam latam Antichriſtus docebit, voluptuariam, diſſolutam, epicuream; anguſtæ viæ quam Chriſtus docet planè contrariam; ád hanc iam egregiè præſentes hære-

ſes

ſes diſponunt; imò huius diſciplinę præclara fundamenta iecerunt, ſcholas publicas erexerunt, fructuſque vberrimos protulerunt per ſolius fidei doctrinam, per bonorum operum (quod ad ſalutem aut iuſtitiam attinet) contemptũ, per confeſſionis & pœnitentię neglectũ, denique per ieiuniorũ reliquęque mortificationis ad ſubſannationẽ vſque deſpectum.

Quintò, quia authoritatem & maieſtatem Chriſti Domini omnibus modis Antichriſtus vellicabit atque conuellet, ad hoc etiam facilè perſuadendum per pręſentes hæreſes egregiè ſunt homines inſtructi, qui videlicet, iam ab illis didicerunt varias Chriſti promiſſiones & prędictiones irritas & vanas fuiſſe. Illũ enim inter cætera promiſiſſe, quòd *contra Eccleſiam ſuam portæ inferi non præualerent*, quòd *cum ſuis futurus eſſet omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*, quòd daret illis *ſpiritum veritatis, qui doceret illos omnem veritatem, & maneret cum illis in æternũ*; nunc autem ſecus factum fuiſſe; ipſius enim Eccleſiam ſtatim ab Apoſtolorum ſuorũ temporibus, vel certè multis iam ſeculis defeciſſe, multiſq; tum erroribus tum ſuperſtitionibus obrutam extitiſſe, Spiritu veritatis caruiſſe, imò idololatricam fuiſſe. Et hoc ſanè argumento Dauid ille Georgius Baſileę poſt mortem exuſtus, vſus eſt, vt ſe Chriſtum eſſe confirmaret, non autem Ieſum quem nos credimus. Hoc argumẽto adductos multos hodie (proh ſcelus) nouos Chriſtos hæc ætas vidit, 5

Matth. 16.
Matth. 28.
Ioan. 14. & 17.

V &

Vnum Nordouici anno 1579. menſis May 20. & nuper Anglia flammis duos abſumpſit. Aliū Londini anno 1591. Denique hoc argumento liber ille execrandus de tribus impoſtoribus vel potiſſimum nititur.

6. Sextò, cum Chriſti gloria in mortis ſuæ efficacia potiſſimum conſiſtat, hodiernę hereſes quę illius virtuti maximè derogant (1. quia non veram ſed imputatiuam tantùm remiſſionem peccatorum per Chriſtum nos conſequi: 2. quia illius mortem ad redemptionem à ſeruitute culpę efficacem non fuiſſe: 3. quia nullam nobis veram iuſtitiam illius mortis meritò procuratam fuiſſe docent) Chriſti profectò maieſtatem magno Antichriſti bono plurimorum in animis vehementer labefactarunt.

7. Iam verò planè corroborat & conficit Antichriſti doctrinā; nulla eſſe religionis Chriſtianæ Sacramēta à Chriſto inſtituta ad ſalutē efficacia, ſed notas tantū & ſigna nuda illa eſſe planeque adiaphora. Sic enim de Baptiſmo ipſo Caluinus ſuos docuit, illiq; hodie mordicus paſſim tenēt. (Inſtit. lib. 4 cap. 15.) Quàm nullo negotio has nobis notas extorquebit Antichriſtus? aut quis volet pro notis & ſignis eiſdemq; adiaphoris cum capitis periculo, Antichriſto reſiſtere?

8. Porrò in reliqua fide conuellenda nihil planè eſt quòd laboret Antichriſtus poſitis hæreticorum hodie paradoxis. Nam vt reliqua taceam, nonne & ſcripturas ipſas quibus ſolis deferre hodie hæretici videntur facilè euacua-

euacuabit, ſublata iam antè horum hominum opera, illa tota Eccleſiæ Authoritate per quã Scripturæ nobis pro veris & indubitatis Dei verbis confirmantur, admiſſa quoque illa libertate has & illas particulas è canone Scripturarum excindendi?

9. Quid quòd fidem ipſam ex doctrina Proteſtantũ nullo negotio fidelibus eripiet Antichriſtus, quum iuxta illos fides qua iuſtificari & ſaluari homines poſſunt, non ſit fides Catholica vniuerſum Dei verbũ complectẽs, (hoc enim omnes negant) vel etiam fides propriè Christiana captiuans intellectum in obſequiũ Chriſti (hoc enim diſertè negat Caluinus) ſed fides quædam ſpecialis, circa vnũ ſpeciale obiectũ, ſpecialiter quoq; conſideratũ, quàm ipſi ſibi finxerunt & cõmenti ſunt. Hoc enim certè poſito ad ipſam quidẽ ſpecialem fidẽ facilè cõniuebit Antichriſtus (vt pote quã nihil illis profuturam optimè nouit) ſed hoc vel maximè vrgebit, ſaluantẽ & iuſtificãtem fidẽ non eſſe de Chriſto nato, paſſo, &c. neque aliquã ſenſus noſtri ſubmiſſionẽ circa obiecta non apparentia; indeq; conficiet non ſanè difficulter, ſuis vt portẽtis & ſignis mẽdacibus ad oculũ illuſtribus, ab hominibus iã reprobis circa fidẽ & mẽte corruptis, credatur.

Inſtit. lib. 3 ca. 2. pat. 2.

10. Iam verò in cultu Chriſtianis proprio penitus extirpando, nihil eſt planè quod laboret Antichriſtus. Omnia iam illi & quidem diligentiſsimè per præſentes hæreticos confecta

ſunt. Non enim ſtatas tantum ceremonias & ritus, nec altaria tantũ ac templa egregiè demoliti ſunt, ſed (vt omne prorſus Antichriſti ſucceſſibus impedimentũ tollant,) ipſummet iuge & proprium Chriſtianorum ſacrificium, in quo maximè tollendo laborare Antichriſtus debuerat, iſti iam hęretici vbicunq; prævalere potuerunt, penitus ſuſtulerunt.

In quo horum temporum hæretici verè & propriè ſũt proximi Antichriſti pręcurſores

Hîc autẽ locus eſt Auditores, in quo maximè proprios & proximos Antichriſti pręcurſores horũ temporũ hęreticos eſſe, euidenter deprehendatis. Iugis enim ſacrificij ceſſationẽ, & Daniel & Chriſtus præſentis Antichriſti certiſſimã notam eſſe deſcribũt. Hęc eſt enim *abominatio deſolationis*, ſiue deſolatio abominanda, *ſtans in loco ſancto*, de qua Daniel dicit. *In dimidio hebdomadis*; id eſt florente Antichriſto, *deficiet hoſtia & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem perſeuerabit deſolatio.* Templum autẽ hoc loco intelligitur tam Hieroſolymitanũ (quod eſt typus Eccleſiæ) paulò ante vaſtationẽ tẽpli, quàm Eccleſia ipſa paulò ante conſummationem mundi. Hæc enim duo (quia vnum alterius figura & typus eſt) frequenter in Scripturis coniunguntur ac cõmiſcentur. Quod etiam de Scriptura Euangelica ſolerter notat S. Aug. Epiſt. 80. Rurſum cap. 11. idem deſcribens Daniel, *auferent*, inquit, *iuge ſacrificium & dabunt abominationẽ in deſolationem*: At verò cap. 12. diſertè iam de fine ſeculi diſſerens, dicit: *à tempore quum ablas*

Cap. 9.

Dan. 9. 11. & Ioël 2. Matth. 24. & Luc. 21. Matth. 24.

ablatum fuerit iuge ſacrificium & poſita fuerit abominatio in deſolationem dies 1290. beatus qui expectat & peruenit vſque ad dies 1335. hoc eſt ad 45. dies, qui triennio & ſemeſtri Antichriſti ſupererunt ad pœnitentiam. Quod totũ apertius deſcribens in Euangelio Saluator, *quum videritis,* inquit, *abominationẽ deſolationis ſtantẽ in loco Sancto quæ dicta eſt à Daniele Propheta*, id eſt, iuge ſacrificium ſublatum, & adorari Antichriſtũ, *tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes, &c.* quæ ſequuntur. Mox enim de pſeudoprophetis magni Antichriſti precurſoribus, & de aduentu filij hominis Saluator apertè loquitur, ne de ſola Hieroſolymorũ vaſtatione, vel ſe vel Danielẽ loquutum eſſe exiſtimemus. Quod etſi Aug. in Epiſt. 80. ſemel dixerat, poſtea tamen ſeipſum corrigens, ait, *alio modo poſſe intelligi.*

Quare ex his ſanè Scripturis edocti alij Patres, nullum certius vel aduentantis vel iam præſentis Antichriſti ſignum & argumentum eſſe docent, quàm ſublatum iuge ſacrificium Chriſtianorum; quod veteribus omnibus ſacrificijs (maximeque agniculis duobus qui ſingulis diebus iugiter, vnus manè alter veſperi cum ſimila conſperſa immolabatur vt Exod. 19. præſcribitur) ſucceſſit. Sic Irenæus libro 5. Theodoretus in com. ad cap. 12. Dan. Author operis imperfecti in Matth. homil. 49. & omnium clariſſimè S. Hippolytus in Orat. de conſummatione mundi hunc & Danielis & Matthæi locum exponunt. Quam etiam

Patres iuge ſacrificium ſublatum certum Antichriſti ſignum eſſe docent.

Baſilius Epiſt. 70. & 71.

ob cauſam Sanctus Baſilius videns ſuo tempore per grauiſſimas Arianorum perſecutiones, *domus precationum clauſas eſſe, Altaria cultu ſpirituali vacare, neque oblationes, neque incenſum; neque locum vbi poſſit coram Deo offerri ſacrificium amplius ſupereſſe* (vt Epiſt. 70. ſcribit) mox Epiſt. ſeq. ad Alexandrinos eadem paſſos ſcribens, ait. *Accedit ad haſce animi mei diſceptationes & iſta cogitatio. An nouiſſima hora eſt, & hoc pacto initiũ ſumit defectio vt iam deinceps reueletur iniquus ille filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus?* Hæc ille, de illa deſolatione Eccleſiarũ & iugis ſacrificij ceſſatione loquens; quam per occaſionem tantum perſecutio Ariana inuexit, non autem quàm propriè Ariana hæreſis procurauit. Quantò magis hodie initium ſumere defectionem, vt reueletur breui Antichriſtus, cogitaret, aſſereret, clamaret vir tantus, ſi quod nos videmus, videret, non per occaſionẽ tantum præſentium hæreſum claudi Eccleſias, & altaria cultu ſpirituali vacare; ſed præſentium hæreſum hoc eſſe proprium & præcipuum dogma, nulla debere eſſe altaria, nullum ſacrificium externum, nullam oblationem atque incenſum? itemque hunc eſſe proprium & præcipuum præſentium hæreſum fructũ; finem, ſcopum, non claudi ſed penitus ſubuerti omnes Eccleſias? exterminari, ſpoliari, occidi Sacerdotes, & ſacrificos omnes? Sciat ergo certiſſimè omnis Eccleſia Dei, quia

initium

initium iam ſumpſit defectio, de qua Apoſtolus dicit, *niſi venerit diſceßio primum, &c.* hoc eſt, iam in proximo eſt Antichriſtus, iam cæpit abominatio deſolationis, quia iuge ſacrificium aufertur, non per occaſionem aut indirectè, ſed tanquam hæreticę horum temporum doctrinę caput.

Notandum verò diligenter non hæreticæ tantum horum temporum doctrinæ, ſed & ipſius Antichriſtianiſmi hoc caput, hunc conatum ac ſcopum præcipuum fore, vt Ven. Euchariſtiæ & iugis ſacrificij cultum tollat; idque tres maximè ob cauſas. Vna eſt, quod in ea ſit proprius Chriſtianorum, maximus, atque precipuus Dei cultus. Altera, quòd in ea ſit perpetua mortis Dominicę commemoratio, quam hominũ animis omnino eximere totis viribus contendet Antichriſtus. Tertia eſt eaque Antichriſto magis propria, quòd nihil in terris propius ad Chriſti propriam perſonam accedit aut pertinet, quàm Ven. Euchariſtia, quæ ipſius eſt ipſiſſimum corpus & Sãguis. Hanc ergo omnibus modis perſequi, hanc funditus tollere, huic totis viribus aduerſari volet haud dubiè Antichriſtus. Ad quã rem leui brachio conficiendam, quanta bonę Deus adiumenta, quàm facilem & expeditam hodie viam, Proteſtantium in hoc vno capite doctrina attulit? Tamenne dubitamus has demum hæreſes, expeditiſſimam & proximã Antichriſto viam ſternere?

Primarius Antichriſti ſcopus vt tollat iuge ſacrificium

11. Sed alia argumenta breuiter colligamus, vel potius argumentorum ſemina quàm breuiſſimè ſpargamus. Proximus Chriſti præcurſor S. Ioannes, pœnitentiam & verbo & exemplo mirabiliter docuit. Hodierni hæretici & verbo & exemplo magis, omnis pœnitentiæ ac mortificationis hoſtes, nonne ipſiſſimi & proximi Antichriſti præcurſores omnium
12. iudicio videbuntur? Idem Ioannes deſignauit Chriſtum eſſe Agnum Dei, qui tollit peccata mundi; Iſti docent Chriſtum qui non tollit, ſed tegit peccata mundi, per imputatiuam peccatorum remiſſionem non veram. Rurſum
13. S. Ioannes *conuertit corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum.* Iſti à Deo Patrum noſtrorum fideles auertunt, & à prudentia iuſtorum credentes auellunt.

14. Signa aduentantis Antichriſti deſcribit Chriſtus Matth. 10. & expreſſius S. Hippolytus in Orat. de conſummat. mundi, frequentia ſcandala, fraterna odia, mutua diſſidia, Regum bella, populorum clades, diſſenſiones ciuium, rixas domeſticorum atque affinium. Hæc autem omnia & ſingula per præſentes hæreſes hanc orbis noſtri partem iam peni-
15. tus inundarunt. Præclari igitur ſunt & planè proximi Antichriſti præcurſores. Rurſum quum proxima illa & vltimata diſpoſitio ſit, quæ proximè attingit formam compoſiti, forma autem Antichriſti propemodum propria & eſſentialis ſit, primum, *extolli ſupra omne*

quod

quod dicitur Deus, id eſt, ſupra omne quod colitur & venerationem habet, hoc eſt, *Deum Patrum ſuorum non reputare* (vt in Antiocho Antichriſti typo deſcribit Daniel) deinde quod *ſupra quàm credi poteſt vniuerſa vaſtabit*, vt ſcribit Daniel, id eſt, veritatem omnem auferet, vt mendacium ſtatuat, idque tanto ſtudio, vt pro prius quodammodo eius character futurus ſit ἀρνοῦμαι, nego, vt ſcribit Primaſus in Apoſt. cap. 13. poſt. S. Hippolytum Mart. in Orat. de conſummatione mundi: vnde & ab Apoſtolo vocatur *is qui aduerſatur ὁ ἀντικείμενος*; profectò in vtroque hoc genere præſentes hæreſes quum excellant, proximè ad Antichriſti formam accedere, ideoque proxima & vltimata diſpoſitio eſſe meritò iudicabuntur. Ac ſanè quod ad prius attinet, ſic Deum Patrũm noſtrorum præſentes hæreſes penitus reiiciunt, vt S. quidem Patrum in ſcriptis libris Authoritatem nullo loco habeant, Patres autem in ſacris Cõcilijs congregatos niſi præuio priuato examine non admittant, paternas denique traditiones in cauſa religionis nullas ferant: vt vel hodie veriſſimum ſit, quod de ſuo tempore grauiter conqueſtus eſt Baſilius; ideoque Antichriſtum aduentare ſuſpicabatur, videlicet, *vnum nunc crimen quod & vehementer punitur, eſſe, ſi quis paternas traditiones diligenter obſeruet*. Hæc ille. Quod ad poſterius attinet, ſic in vaſtando, contradicendo, negando, tota hodie Proteſtantum doctrina

Cap. 9.
Cap. 8.
2. Theſſ. 2.
Epiſt. 70.

verſatur,vt verè nihil ſit illa aliud,quàm mera contradictio, doctrina negatiua, & ablatiua religio: quod mox in altera quæſtione luce clarius demonſtrabimus.Pariterque oſtendemus characteris beſtiæ Antichriſti propriam ſcripturam (ἀρνῦμαι) in qua & numerus characteris exactè continetur; in hæreticorũ hodie doctrina exactè inueniri.

16. Sed nunc alia argumentorum ſemina fundamus.Hodiernæ hæreſes aiũt iam Antichriſtum veniſſe,in ſede Romana illum his multis ſeculis reſediſſe; non enim vnam perſonã ſed ſucceſſionem quandam perſonarum,hoc nomen ſignificare. Quid verò eſt ad Antichriſtũ quùm venerit ſuſcipiendum efficacius? Ab illis enim demum Chriſtianis facillimè recipietur;qui nihil minus cogitabũt quàm eſſe eum Antichriſtum.Quomodo autẽ cogitabit quiſquam aliquem deinceps fore Antichriſtum, cui iam perſuaſum eſt veniſſe Antichriſtum? Quis ergo dubitat præſentes hæreſes hoc efficere, vt incautos omnes opprimat Antichri-
17. ſtus? Rurſum Cathedram Petri ab ipſo penè Eccleſię exordio occupaſſe docent Antichriſtum. Quicquã ne verò ad Chriſti ignominiã grauius, ad Antichriſti gloriam excellentius dici potuit? Quàm facilè enim non fuiſſe illũ Chriſtũ perſuadebit Antichriſtus, cuius primariã cathedram, & quã reliqua tota Eccleſiã venerabatur,non Chriſti doctrinam tenuiſſe, ſed ſibi viam pręſtruxiſſe docebit.

Deinde,

Deinde quũ homo peccati ſit Antichriſtus, 18.
certè qui peccati regnum dilatant, proximam Antichriſto viam parant. Hoc autẽ multipliciter hodiernæ hęreſes faciunt. Primũ, per ſolã illam & ſpecialem fidem quam ſtatuunt ſine vllis bonis operibus iuſtificantem ac ſaluantẽ: deinde, per illam doctrinæ ſuæ partem qua nullis Eccleſiaſticis legibus Chriſtianum teneri, nulla eſſe voluntaria pietatis & ſupererogationis opera Deo ſingulariter grata, imò neque ipſa mandata eſſe ad obſeruandum ita vt oportet poſſibilia; ac Poſtremò, vel ipſos inuoluntarios carnis corruptæ motus eſſe verè peccata, hominem ex ſeſe damnantia, ideoq; omnia opera etiã rĕnati quantũcunq; bona, non ſolùm eſſe imperfecta ſed etiã immunda, ideoq; nulla verè bona dogmatizant.

Poſtremò, Antichriſtus ſic extolli dicitur, *vt ſedeat in templo Dei, oſtendens ſeſe tanquam ſit Deus.* At verò vt iſtud nullo negotio obtineat Antichriſtus quum venerit, iam eſt ei per præſentes hęreſes egregiè proſpectum, dum temporales ſuos dominos facit vnaquęque hodie hæreſis in templo Dei ſedere, id eſt, eiecta poteſtate Eccleſiaſtica quam Chriſtus inſtituit, eam religionis formam præſcribere, illud doctrinæ genus admittere pro puro puto Euangelio, quod à temporali domino loci approbabitur. Sic enim in varijs nobiliſſimæ Germaniæ prouincijs, ſic in miſera Anglia fieri cernimus. Imò quod 19. 2. Theſſ. 2.

amplius

amplius eſt, cauſis Eccleſiaſticis præeſſe debere, adeoque de doctrina fidei iudicare Principem oportere, docuit ad tempus Melanchthon, tenet Brentius, iurant Angli. Sic apud Anglos ſedet hodie in templo Dei fæmina: formam religionis præſcribit, edicta promulgat, leges fert. Quidni tantundem & multò quidem facilius Antichriſtus obtinebit? Sanè hoc proprium Antichriſto fore, vt Epiſcoporum ſe iudicem ſupremum conſtituat; neque quicquam grauius eum poſſe admittere, grauiter & copioſè docet S. Athanaſius in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes.

Quibus omnibus ita poſitis (nam longiori demonſtrationi ſuperſedendum video) alteri doctiſſ. Domini Quodlibetarij argumento vbi reſpondero, huic diſputationi finem imponam. Quod igitur docent hodie Proteſtantes, nihil aut in fidei dogma, aut in cultum religionis recipiendum, niſi quod Chriſtus viua voce docuit, eſtque pro huiuſmodi in ſcripta Euãgelica relatum, non illud Chriſti gloriam & Maieſtatem illuſtrat; ſed & Spiritum S. blaſphemat, & in Apoſtolos atque Eccleſiam contumelioſum eſt, & ipſi denique Chriſto luculentam iniuriam facit. Chriſtus enim Spiritum S. promiſit qui ea doceret quæ Apoſtoli eo præſente adhuc portare non poterant, eiuſque officium deſcripſit eſſe non ſolum ſuggerere quæ ipſe docuerat, ſed etiam docere, quę deinceps docenda fuerant. Eccleſiam

Ioan. 16.

ſiam quoque, maximè Apoſtolos ſic audiri Chriſtus voluit, vt diceret, *Qui vos audit, me audit*. Luc. 16. Non ergo Chriſtū honorant, ſed ei prætextu hypocritico incredibiliter detrahunt præſentes hæreſes, dum Chriſtum ſolum in Scripto Euangelij verbo audiendum docent. Similiter mediatoris Chriſti fidem non illuſtrant hodie præſentes hereſes, dum illi ſoli 20. ſalutem tribuunt, ſed fædiſſimè contaminant, & penitus obruunt: Primum, quia non Chriſti fidem ſed ſuam ſpecialē fidem quæ nihil cum ea commune habet, ſceleratiſſimè hac arte perſuadent: deinde quia Chriſti mediatoris merito & morti nobiliſſimum effectum, qui Heb. 9. eſt mundatio conſcientiæ ab operibus mor- Tit. 2. tuis, impietate maxima detraxerunt. Rurſum quia gratiam mediatoris qua nouam creaturā facit, hæc etiam doctrina multis modis extenuat; denique quia ab omni bonorum operū ſtudio prorſus auocat, atque ita Chriſti gloriam, qui glorificatur per opera bona noſtra Matth. 5. maxima ex parte obliterat. Quibus omnibus 1. Cor. 6. in rebus quantò illi magis Chriſti gloriæ detraxerūt, tantò proculdubio magis Antichriſti cauſam & gloriam promouerunt.

Quamobrem vt omnia ſummatim colligamus, quum præſentes horum temporum hæ- 1. reſes myſterium iniquitatis quod vſque ad Epilogus. Antichriſtum ſemper operatur, iam hodie ex altera eius parte penitus cōpleuerint, & Chriſti corpus quod eſt Eccleſia, omni ex parte velli-

vellicauerint atque diſcerpſerint, ſicuti vete-
res hęreſes Chtiſti perſonam: quum Romanū
1. Imperium, quo ſtante Antichriſtus præualere
non poteſt, præſentes hæreſes non ſecus in
2. occidente quàm veteres in oriente labefacta-
uerint, peneque iam ad nudum nomen con-
3. traxerint: quum veteris Synagogæ occaſum
eadem quodammodo ſigna pręceſſerint, qua-
4. lia hodie conſpiciuntur; quum iàm demum
prædicato vniuerſis gentibus Euangelio, con-
5. ſummatio approximare videatur; quum Ec-
cleſiæ iam Authoritas prorſus ſublata in fidei
6. obſequio amplius non contineat; quum no-
biliſſimum in terris de Chriſto teſtimonium
repudiatum ſit; quum vitæ voluptuarię ſcho-
7. la quàm docebit Antichriſtus iam erecta ſit
floreatque imprimis; quum Chriſti promiſſio-
8. nes vanitatis arguantur, vnde ipſe Chriſtus
conſequenter vilipendatur: quum glorioſiſſi-
9. mæ eius mortis ac paſſionis efficaciæ, ideoque
gloriæ & maieſtati Chriſti nefariè detrahatur;
10. quum omnibus Sacramentis, id eſt, proprijs
religionis vinculis & retinaculis, Chriſti Ec-
11. cleſia exuatur; quum Scripturas ipſas, omni
ſua firma & ſtabili Authoritate ſpoliatas, vi-
12. deamus, quum fides ipſa Chriſtianorum, qua
ſaluari ſe credunt, non ſit amplius fides me-
13. diatoris, ſed noua quædā; quum cultus Chri-
ſtianorum vniuerſus, iam totus ſublatus ſit;
quum quod caput totius cultus eſt, & in quo
14. tollendo propriè atque præcipuè ſataget An-
tichri-

tichriſtus, iuge videlicet ſacrificium iam ſublatum, omniſque contumeliæ, opprobrij & iniuriæ genere affectum ſit, nihil vt eo deſpicabilius, nihil magis abominandum cenſeatur; quũ hac ratione, & Chriſtus ipſe, & mor- 15.
tis eius perpetua memoria, grauiſſimè violetur: quum pœnitentiæ doctrina ridicula iam 16.
effecta ſit, quum ſingula Satanæ tendicula ad animas capiendas, quę aduentantis Antichri- 17.
ſti ſigna Saluator deſcripſit, iam conſtructa & explicata ſint; quum propria quaſi Antichriſti 18.
forma, vtpotè *illud quod aduerſatur & quod extollitur*, in hodiernis hæreſibus maximè eluceat; quum ex doctrina iam præſentis olim Anti- 19.
chriſti, omnis de venturo Antichriſto cautela 20.
neceſſaria, penitus pręſcindatur, quũ Eccleſiæ 21.
Chriſti primaria ſedes ſtolidiſſimè fundata oſtẽdatur, quod ad Chriſtum fundatorẽ haud dubiè redundat: quũ peccati regnũ per quod 22.
maximè regnabit Antichriſtus, mirificè iam roboratum, & dilatatum ſit; denique quũ vt 23.
in templo Dei ſedeat Antichriſtus, via & ratio expeditiſſima hodie adinuenta ſit: quum inquam hæc omnia & ſingula, per præſentes hęreſes, & per doctrinam quam attulerunt cogitata, prolata, confecta fuerint; nihil planè addubito præſentes hęreſes, omniũ quæ vnquam à Chriſto nato fuerunt, viam Antichriſto & paratiſſimam, & omnino proximam præparaſſe.

D. PRÆ-

D. PRÆSES QVODLIBETARIVS, DE MORE SCHOLÆ IN HÆC verba contra aſſertam Concluſionem, replicabat.

ET ſi euincere penè videantur quæ dicta ſunt, has demum hęreſes proximam ad Antichriſtum viam parare, tamen quò minus in eam adhuc cogitationem planè deſcendam, & vt aſſenſum meum rei tantæ adhibendum, adhuc cohibeam, vnum quiddam eſt quod me plurimum mouet: & ni fallor, meritò. Illud tamen ſi expedire potes, planè herbam porrigam, & in tuam ſententiam animo pedibuſque deſcendam. Et verò huiuſmodi. Antichriſtus ſanè ille magnus, & quem proprio
2. Theſſ. 2. quaſi epitheto, *hominem peccati & filium perditionis*, antonomaſticè vocat Apoſtolus, non niſi ſub finem & conſummationem ſeculi, venturus creditur: *quem videlicet, dominus deſtruet illuſtratione aduentus ſui*: & per quem graſſabitur ac præualebit tum illa *deſolationis abominatio*, à Daniele prædicta, tum etiam, *tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vſque tunc*, quæ vtraque non niſi etiam ſub finem ſeculi aduenient. Nam idcircò rogatus ibidem Saluator, à diſcipulis ſuis *de ſigno aduentus ſui, & conſummationis ſeculi*, hoc de Antichriſti perſecutione futura, inter alia reſpondit.
Dan. 9.
Matth. 24.

Sed

Sed eodem loco pręmonuit Saluator, *de die illa & hora* (ſcil. aduētus ſui) *neminem ſcire neque Angelos cælorum*. Quod iterum repetijt, idem iterum poſtulantibus diſcipulis, dicens. *Non eſt veſtrum noſſe tempora & momenta, quæ poſuit Pater in poteſtate ſua*. Si ergo de conſummatione ſeculi, & conſequenter de Antichriſti aduentu, qui proximè illam præcedit, nihil certò ſciri poteſt, profectò de ſignis proximè Antichriſtum præcedentibus, (quorum è numero vnum eſt pſeudoprophetarum præcurſus & ſeductio, eodē Matt. cap. 24.) certò aliquid ſciri aut determinari non poteſt. Itaq; vt alia ſigna à Saluatore cōmemorata, tum alijs iam ſeculis & ætatibus magna ex parte acciderūt, tum etiam hodie nō deſunt, nec tamē Antichriſtus venit: ſed eadē adhuc ſub illius aduentum, denuò accidere poſſe negare audeat nemo, (vt prælia gentium, peſtilentias, fames, terræmotus, & ſimilia) ſic de hæreſibus ſtatuendum eſt, vtcunque nunc graues ac variæ ſint, tamen non eſſe illas poſtremas, & Antichriſto proximas; ſed poſſe adhuc alias vel grauiores vel ſimiles exiſtere. Ne ſi id negetur, vel quod alijs ſignis conceditur, id huic vni negetur, (cuius tamen nulla ratio apparet,) vel (quod deterius eſt) de Aduentu Antichriſti, & conſequenter Chriſti, aliquid nos certò ſcire ac determinare poſſe præſumamus. Fuerit ergo teme- Actor. 1.

rarium iſtud certò affirmare, proximas Antichriſto eſſe præſentes hæreſes, vel (quod idem eſt) viam illi proximam per illas pręparari.

Reſponſio.

DIſſiteri nõ poſſum eruditiſs. D. Quodlibetarie, Argumentum iſtud quod in vltimum hunc locum ſeruaſti, quaſique aduerſę opinionis robur vniuerſum, in extrema acie collocaſti; & me quoque non ſemel commouiſſe, quò minus in ſententiá, quam nunc argumentis quibus potui aſtruxi, deſcenderem. Et illud tamen, vtcunqne in ſpeciem validum, atque robuſtum Deo propitio amoliar; nihilque planè contra ſententiam à nobis poſitam, militare, niſi vehementer fallar, oſtendam. Sunt autem (ſi rectè aſſequor,) duo argumenti huius veſtri capita, quaſiq; fundaméta; quibus ſi ſatisfiat, toti argumento ſatisfactũ eſſe videri poteſt. Prius eſt, quum hæreſes ſigna tantum ſint Antichriſti venturi, vt ex Scripturis citatis patet, quare illæ vtcunque graues, & peſtilentes ſunt, poſtremæ cenſeri debeant, ita vt nec illis ſimiles, nec grauiores poſtea exiſtant, quum reliqua ſigna omnia, quæ cum hæreſibus enumerauit Scriptura, & ſæpius acciderint, & denuò accidere poſſe, nemo veriſimiliter negaturus ſit. Alterum caput eſt, temerarium videri de proximis Antichriſto hęreſibus, aliquid certò decer-

decernerè, quum de ipſo Antichriſti aduentu, nihil certò ſciri queat, vt etiam Scripturæ citatæ docent.

Ad prius reſpondeo, magnum eſſe inter hæreſes, & cætera ſigna ex Scripturis commemorata, quod ad Antichriſti præſignificationem attinet, latũmque diſcrimen. Hæreſes enim, non ſolum ſigna prçcurrentia ſunt, ſed etiam cooperantia & diſponentia. Per hæreſes enim myſteriũ iniquitatis operatur, id eſt, paulatim perficitur, atque conſummatur. Paſsiuè enim lego illud Pauli vocabulum ἐνεργεῖται: ſicuti in varijs alijs locis apud Paulum accipitur. 2. Cor. 1. pro [1] *veſtra ſalute quæ operatur*. 1. Theſſ. 2. *Sermo Dei* [2] *qui* 1 σωτηρίας τῆς ἐνεργουμένης.
operatur in vobis Rom. 7. [3] *paßiones peccatorũ operabantur in nobis*. Quum ergo natura rerum 2 ὃς καὶ ἐνεργεῖται.
poſtulet, vt proxima diſpoſitione præſente, ſequatur effectus & terminus motus, niſi 3 ἐνεργεῖτο.
extrinſecùs aliquod impedimentum adueniat, ſecundarijs & proximis cauſis potentius, certè ex natura rei, poſtremæ & Antichriſto proximę, prçſentes hçreſes cenſendæ ſunt, quatenus ad eum ſuſcipiẽdum efficaciſsimè diſponunt. Et ſigna quidẽ eadem diuinę alicuius operationis, vindictę, iuſtitię, ſępius occurrunt: vel vt ſępius homines admoneantur, vel vt alterius generis, etſi eiuſdem grauitatis, vindictã præſignificẽt. Qualia ferè erãt terribilia illa è cælo ſigna, nõ diu ante excidium Hieroſolymitanum,

vt latè deſcribit Egeſippus, & ſub Galieno Imperatore, Romanas prouincias Barbaris peruadentibus, vt Auguſt. notat, ac denique vaſtatæ per Gothos, ac poſtea Vandalos vrbis Romæ, itémque tranſlationis Imperij Orientalis in Occidentem temporibus, vt hiſtoriæ nobis produnt. Cauſæ verò diſponentes, maximè diuinitus patefactæ, atque prędictæ, non ita recurrere cõuenienter poſſunt, aut etiam ſolent. Saltem quicquid ſit de extrinſeco impediente, ex natura rei præſentes hæreſes vt proximè, ad Antichriſtum diſponunt, ita illi proximæ ſimpliciter, cenſendæ ſunt. Aliud ſanè eſt quid diuina vel bonitas miſericorditer differre, vel iuſtitia protinus accelerare velit, cuius rei iudicium penes homines non eſt.

Lib. 5. cap. 44. Epi. 80

Ex qua etiam conſideratione, patet ad alterum argumenti caput, expedita reſponſio. Antichriſto enim certè proximas eſſe has hæreſes, quod ad ipſam vel hæreſum naturam, & grauitatem, vel Antichriſti doctrinæ formam, & rationem pertinet, ſciri & inueniri poteſt. Ex Scripturis enim, totaq; rei Theologicæ ſcientia, vtraque cognoſcuntur. Ipſius tamen Antichriſti poſt illas aduentũ, certò nos ſcire, ac determinare poſſe, abſit vt pręſumamus. Neque enim poſt veteres illas hæreſes, contra Chriſti perſonam, quum iam ad ſummum peruenissent, paulò poſt Concilium Calcedonenſe,

nenſe, in varijs illis & deteſtandis ſectis, quas hæſitantium, ſeu ambigentium vocari diximus, Mahometiſmus ſtatim (qui ipſarum omnium complementum fuit) aduenit aut obtinuit. Centum enim & amplius anni adhuc abierant, antequam Mahometes, ille impius, ſuas præſtigias orbi propalaret. Itaque ſicuti illud Chriſti, *Predicabitur hoc euangelium in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio*; exponit ſapienter Auguſtinus, *tunc veniet, id eſt non ante veniet quanto autem poſt veniet, nobis incertum eſt*; ſic quod eodem Euangelij loco dicit Saluator, *Surgent ſpeudochriſti & ſpeudopropheta &c.* moxque paulò poſt infert, *tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo* (nam quòd interponitur quod *ſtatim poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur &c.* Rectiſſime Auguſtinus ſpiritualiter intelligi vult de Eccleſia, magniſque in ea luminibus, in tanta hæreſum tentatione ac tribulatione defecturis) hoc inquam quod ſtatim infertur, *tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo*, hoc modo intelligendum eſt, vt non ſtatim ſecundus Chriſti aduentus, & ante eum Antichriſtus indubitanter adueniat; ſed quod non prius vtrumque veniat, quam iſta ſigna præceſſerint; quando autem aut quanto poſt tempore veniet, incertum nobis eſſe: *quorum non eſt ſcire tempora, & momenta quæ Pater poſuit in poteſtate ſua.* Erunt ergo iſtæ hereſes Antichriſto proximæ, viamque illi ex-

Matth. 24

Epiſt. 78.

Epiſt. 80.

peditiſsimam prępèrare cenſebuntur; nec tamen vel aliorū ſignorū frequēti iterationi repugnabit, vel temerariū aliquid de Antichriſti aduentu hęc ſententia noſtra pronunciabit. Nec certè vt de Antichriſti aduētu aliquid ſingulare ſtultè & temerè proferrē, ſed vt præſentes hæreſes quam deteſtandæ & execrabiles ſint, omniq́ue ſtudio ſupra omnes quæ vnquā extiterunt fugiendæ & abominādę hac occaſione oſtenderē, eas Antichriſto proximas, & ad eum ſine difficultate vlla recipiendum efficaciſsimas eſſe demonſtrare volui. Hæc habui quę huic ſeu argumento ſoluendo, ſeu ſcrupulo eximendo, pro temporis anguſtia breuiter reſponderem.

QVÆSTIO II. QVODLIBETICA.

An vlla ſit apud huius temporis hæreticos certa & conſtans doctrina: Siue de Hæreticorum hodie Babylonia.

Doctrinæ nomine quid hoc loco intelligatur.

QVæritur nunc ſecundo loco, an vlla ſit apud huius temporis hæreticos certa & conſtans doctrina. Doctrinam hoc loco appello, fidei Chriſtianæ dogma, circa quod errare damnabile fuerit, idéque huius temporis hæreticis proprium, quod videlicet contra veterem Eccleſiam, quam Ro-

manam nos dicimus, (Papiſticam illi vocant,) recenter controuerſum illi omnes vnanimiter tenent, tenueruntque ſemper à primo ſuæ reformatæ quam vocant Eccleſiæ exortu. Illorum enim doctrina cenſenda eſt, quam illi ſeorſim tenent & docent, non quam communiter nobiſcum agnoſcunt. Illam enim à nobis acceperunt atque didicerunt: itaque non illorum, ſed Catholica eſt. Illa quoque demum certa & conſtans eorum doctrina iudicanda eſt, in qua & omnes conueniunt, (alioqui incertum erit, cuius demum ſectæ vel perſonæ ſit doctrina verior, & Euangelio magis conſentanea) & ſemper conuenerunt: Alioqui ſi de re eadem non eadem dicunt, ſed modo hoc, modo illud affirmant, nihil erit in eorum doctrina conſtans, ſtabile ac firmum. Denique doctrinam hic intelligimus fidei dogma neceſſarium: Nam de iis quæ ad fidei neceſsitatem & naturam non ſpectant, aliter atque aliter ſentire ac docere, ſine periculo ſalutis licet, ſine detrimento fidei doctiſsimi in Eccleſia viri ſolent.

Quæritur ergo an Reformatę Proteſtantum Eccleſiæ (hoc enim vocabulo generaliter innoteſcunt) certam aliquam habeant & conſtantem de fide doctrinam, ab ipſis nunc recenter in lucem prolatam: propter quam videlicet meritò Reformatores Eccleſiæ & Euangelici doctores ac magiſtri

exiſtimari debeant, ſicuti vocari volunt. Abſque aliqua enim certa & conſtanti doctrina nulla hactenus ſecta extitit;nulla vel vera vel falſa religio coaluit.Et certè admirabile, ne dicam incredibile eſſet, huius reformatę Eccleſię,quæ tot populos ac Principes in ſuam ſententiam pertraxit; quæ tantam ſibi eruditionis opinioné tot ſcriptis libris vendicauit; nobis autem omnem veræ religionis craſſam &affectatam ignorantiam adeoque palpabilem impingit;quę denique de reſtaurato verbo Dei, de Euangelij Luce, de doctrina Prophetica & Apoſtolica apud illos ſolos purè putè prędicata & intellecta confidentiſsimè gloriatur; nullum tamen eſſe fidei dogma,nullum doctrinæ ſacræ caput, ab illis reſtitutum (inuentum enim dicere nefas fuerit)quod certum & conſtans ſit.Dico tamen & (fauente Deo) luce clarius demonſtrabo, nullam planè ne quidem in vno vel minimo articulo ad finem vt dixi neceſſario, huiuſmodi apud eos doctrinam eſſe. Quod dum facio, breuiter per ſingula diſcurrendo, diligenter quæſo quod facitis attendite. Omnia enim religionis hodie controuerſa capita celeri pede percurram, & in ſingulis eorum vel incertam hæſitationem vel manifeſtam inconſtantiam,oſtendam.

Primum ergo Proteſtantum hodie doctrina propria in qua omnes vnanimiter & con-

conſtanter conueniunt, negatiua eſt tota, affirmatiua nulla. Quicquid autẽ affirmatiue docent aut in eo omnes non conueniunt, aut variè & mutabiliter illud tradiderunt. In quibus omnes conueniũt ſunt iſta. Non eſſe veram Eccleſiam quæ dicitur Catholica. Rom. Pont. non eſſe caput Eccleſiæ. Traditiones extra Scripturam non eſſe recipiendas. Non eſſe ſeptem ſacramenta. Eadem non conferre gratiam. Tranſſubſtantiationem elementorum in ven. Euch. non eſſe. Sub vna ſpecie non eſſe communicandum. Confeſsionem peccatorum ſacerdoti non eſſe faciendam. Nullas ſatisfactiones pro peccatis ſuſcipiendas. Miſſam non eſſe ſacrificium, non eſſe propitiatorium; Non eſſe conſecranda templa, altaria, veſtes, eoque pertinentia. Nulla eſſe merita vitæ æternæ. Legibus Eccleſiæ non obligari fideles. Non eſſe ieiunandum: Non eſſe celebranda feſta ad eius præſcriptum. Non eſſe orandum pro defunctis. Non eſſe inuocandos Sanctos. Non eſſe peregrinandum religionis ergo. Non eſſe venerandas Sanctorũ reliquias. Non eſſe venerãdas Imagines Chriſti & Sanctorũ. Non eſſe emittẽda vota perfectionis. Non eſſe lingua populo ignota officia diuina celebrãda: Nihil valere Indulgẽtias. Non eſſe liberũ arbitriũ. Ex bonis operibus non iuſtificari quemquam. Proteſtantum doctrina negatiua.

Hæc & alia adhuc fortaſſe multa (quorũ

meminiſſe non poſſum) omnes vnanimiter tenent. In his omnes conueniunt. Sed ſunt hæc omnia puræ negationes, ex quibus nihil concludi poſſe docet diſſerendi ars. Nihil credendum ponunt cui tanquam fundamento & baſi circa ſua obiecta nitatur ſpes; nihil eorum fides habet quod intellectui probet aut conuincat, ratione alioqui vel ſenſu non apparẽs. Quod vtrumque veri nominis fidei proprium, imò intrinſecum eſſe Apoſtolus docuit, definiens fidem

Heb. 11. eſſe *ſubſtantiam* ſeu baſin *rerum ſperandarum, argumentum non apparentium*. Hoc igitur quod ſolum certò & conſtanter tenent, non eſt aliquod fidei dogma, ſed multorũ dogmatum mera negatio. Eſt doctrina negatiua & ablatiua religio. Habet illum proprium Antichriſti characterem ἀρνοῦμαι. Nego. Negant enim hæc & illa; & in iſtis ſuis Negatiuis confirmandis atque roborandis, mirum quanta facundia qua copia diſputant, prædicant, ſcriptitant: Homines nimirum (vt de Manichæis Auguſtinus quorum peſtilenti ſectæ nouem ſe annis iuuenis addixerat, animaduertiſſe ſe ſcribit) *plus in refellendis alijs diſerti & copioſi, quam in ſuis probandis*

Lib. de vti lit. cred. cap. 1. *firmi & certi*: quam etiam ob cauſam *ne apud illos penitus hæreret, vel vltra gradum Auditorum quem vocabant aſcenderet*, ſeſe reuocatum & impeditum eſſe idem ſcribit Auguſtinus. At dicet mihi aliquis: Vtcunque in his iam

com-

commemoratis Articulis omnia ſint negatiua, habere tamen reformatas has Eccleſias alia certa dogmata, partim his negatiuis affirmatiuè contraria, partim alterius generis: quæque ſint huius reformatę religionis propria dogmata, purè putè Euangelica; ex quibus illorum doctrina magis propriè conſtat, & religio innoteſcit. Cui reſpondeo, habere ſanè illas vtriuſque huius generis dogmata affirmatiua: ſed aio nihil eos in illis certum, nihil conſtans habere. Quod nunc per ſingula diſcurrẽdo, breuiſſimè oſtendam.

Ac primum, Eccleſiam negant eam eſſe quæ Catholica & Romana dicitur. Sed vt huius negationis loco aliquod certũ dogma de vera Eccleſia ponerent, & quæ vel apud quos vera Chriſti Eccleſia reperiri quæat docerẽt, videte quæſo, quàm nihil certum & conſtans ponere, nihil firmum ac ſtabile docere potuerunt. Nam nec de veræ Eccleſiæ partibus ac membris, nec de certis eius notis, nec de duratione, defectione, notitia, vel vnitate, nec de politia & authoritate veræ Eccleſię; vllo modo inter ſe cõueniunt: Quod nunc in ſingulis demonſtrabo.

Ad partes Eccleſiæ quod attinet, eam ex ſolis electis conſtare, illam inquam Eccleſiam ad quam elogia & promiſsiones tot ac tantæ in Scriptura pertinent, ſuſtinet Caluinus Inſtitut. lib. 4. cap. 1 nu. 7. Muſculus quoque (De partibus Eccleſiæ.)

quoque in locis communibus tit. de Eccleſia: ac demum Magdeburgenſes in Centuria prima lib. 2. cap. 4. Confeſsio quoq; Heluetica cap. 17. & Beza in Confeſ. fidei. ca. 4. Omnes videl. poſt Ioannem Huſſ eodẽ modo inſanientem in Concilio Conſt. ſeſſ. 15.
2. Huic inſaniæ addunt Caluinus & Confeſſio Heluetica locis citatis, quod etiam nõdum baptiſati, ſi tamen electi ſunt, ſunt veræ Eccleſiæ membra. Ab altera parte, Phi-
3. lippus de Mornay Caluiniſta etiam gallus in tractatu ſuo de Eccleſia cap. 2. Docet ac ſuſtinet ipſos hæreticos ac ſchiſmaticos Chriſtianos eſſe partes & membra veræ Eccleſiæ, non minus latè, & abſurdè Eccleſiæ corpus extendens, quàm arctè & impiè
4. alij eam reſtringunt. Melanchton cum ſuis mollioribus Lutheranis media quadam via incedere volens, fatetur malos Chriſtianos eſſe de Eccleſia, ſed nõn in Eccleſia: quam diſtinctionem ſequitur Confeſsio quoque Heluetica cap. 17. Atqui ex ſolis actu bonis veram conſtare Eccleſiam, nec vllum cum ea malos cõmercium habere, multis argumentis contendit Apologia Confeſsionis Auguſtanæ: Muſculus quoque & Magde-
5. burgenſes locis citatis. Progreſsi vlterius Anabaptiſtę & in Anglia familia amoris ex ſolis purè bonis atque perfectis ſine macula & ruga conſtare Eccleſiam volunt: vt de Anabaptiſtis teſtantur Lutherani in Repetit.

tit. Confeſsionis Auguſtanæ & Caluinus Inſtitut. lib.4.cap. 1. num. 13. Vbi eos hoc nomine fanaticos vocat. Tandem propter malos, electos & reprobos, Chriſti nomen profitentes, duas ponunt Eccleſias, vnam bonorum, alteram malorũ, vnam veram, alteram falſam, vnam puram, alteram impuram; pro eo quod vnius & eiuſdem Eccleſiæ vnius & eiuſdem corporis membra diuerſa, alia ſana, alia morbida, alia firma, alia infirma, agnoſcere debebant. Hoc poſtremum docent Magdeburgenſes Cent. 1. Lib. 2. cap. 4. Lutherus in lib. de ſeruo arbitrio & Philippus de Mornay loco citato. 6.

Iam ad notas & ſigna veræ Eccleſiæ quod attinet, quibus à falſis omnibus conuenticulis & ſectis diſcerni & liquidò internoſci poſsit, ſicuti latrones de via altercantur quũ in tenebris ambulant & deuia quærunt, ſic illi in tenebris quęrentes & palpan pantes Eccleſiam, de via & notis quibus inueniatur, fœdiſsimè altercantur. Lutherus cęterorum dux & anteſignanus, poſuit ſeptem notas verę Eccleſiæ. 1. Verbũ Dei prędicatum, creditũ atque in vita & moribus prælucens. 2. Baptiſmi Sacramentum. 3. Eucharistiæ Sacramentum. 4. Claues Eccleſiæ. 5. Miniſterium verbi. 6. Orationes publicas. 7. Perſecutionem pati, ſub cruce eſſe, excommunicari, vocari hæreticos, &c. Sic ille tom. 7. operum ſuorum in Tractatu de notis

De notis Eccleſiæ. 1.

notis Eccleſiæ. At verò eum ſequuti Mag-
2. deburgenſes Centuriaſtæ, quatuor tantùm
notas ponũnt. 1. Verbum Dei prædicatum.
2. Verbum Dei lucens in confeſsione. 3. Legitimum Sacramentorum vſum. 4. Miniſterium verbi & obedientiam erga idem.
3. Sic illi Centur. 1. lib. 2. cap. 4. Iam verò Melanchthon in reſponſ. ad articulos Bauaricæ Inquiſitionis tres tantùm notas ponit. 1. Doctrinam incorruptam. 2. Rectum Sacramentorum vſum. 3. Obedientiam Miniſterio debitam. Has tres retinuerunt VVittenbergenſes vſque ad annum 1570. in theſibus quas edidit Georgius Maior eorũ Superintendens in expoſit. 117. Probat quoque Philippus de Mornay loco citato. Flac-
4. cus Illyricus vnus ex 4. Centuriaſtis, quatuor quidẽ notas poſuit, ſed à collegis ſuis differenter. 1. Doctrinam incorruptam. 2. Rectum Sacramentorum vſum. 3. Inuocationem rectam. 4. Charitatem membrorũ Eccleſiæ inter ſe. Sic ille in commentar. ad
5. Acta Apoſtolorum cap. 2. Victorius Strigelius alius rigidus Lutheranus in commẽtar. ſuper Pſal. 109. Charitatis nota reiecta, cæteras tres quas aſsignauit Illyricus reti-
6. net. Interimiſtæ in comitijs Auguſtanis an. 1548. Quatuor notas poſuerunt. 1. Veram doctrinam. 2. Rectum Sacramẽtorum vſum. 3. Vnitatem quæ in charitate & pace conſiſtit. 4. Catholicum cõſenſum per omnia

nia loca & tempora. Sed in hoc vltimum grauiter inuehitur Muſculus in locis communibus, & Melāchthon cū cæteris Saxonicis Eccleſijs in Actis Ratisbonenſibus. Tandem alia ac poſtrema ſententia, duas tantùm ponit Eccleſiæ notas, quas rectas & eſſentiales vocant. Doctrinam ſanam & rectum Sacramentorum vſum. Sic Caluinus Inſtit. lib. 4. cap. 1. num. 9. Heluetice Eccleſiæ in ſua confeſsione cap. 17. Philippus de Mornay loco citato. Nam tertiam quam ſuprà poſuit, vocat externam & accidentalem. In his quoque duabus acquieſcunt tandem Lutherani, in Repetitione Confeſsionis Auguſtanæ, & Melāchthon in locis cōmon. poſterius editis; ipſiq́ue VVirtembergenſes in ſua Confeſsione, cap. de Eccleſia. 7.

Circa Eccleſiæ durationem ſeu firmitatem in fide, quam omnes vnanimiter negāt quum Eccleſiæ premuntur authoritate, antiquitate, conſuetudine, non omnès tamen vnanimiter ſentiunt. Aliqui docēt duas ſemper in orbe eſſe Eccleſias perpetuò colligantes: vnam paucorum electorū rarò conſpicuam, alteram impiorum ingēti ſemper multitudine repletam. Sic Lutherus in tractatu de notis veræ Eccleſiæ tom. 7. vbi docet diabolum, Dei ſemper æmulum habere ſuum ſacellum multò ſemper amplius & vaſtius Eccleſia Dei. Hunc ſequuntur Magdeburgenſes Centur. 1. lib. 1. cap. 4. vbi diſtin- *De duratione Eccleſiæ.*

ctos titulos ponũt de véra & falſa Eccleſia.

2. Alij vnam Eccléſiam ponendo, docent multò maximam illius partem à fide deficere, & non ſolum extra Eccleſiam vt Mahometiſtas & paganos, ſed & in ipſa Eccleſia magnam eſſe multitudinem prauis opinionibus faſcinatam: In qua tamen multitudine ſint ſemper aliqui electi & quaſi reliquiæ. Hoc phantaſma merumq́; ſpectrũ docet diligenter Apologia Proteſtantũ, Caluinus quoque in præfatione Inſtitutionum ſuarũ, & Lutherus in lib. de ſeruo arbitrio.

3. Docet tandẽ Caluinus expreſſè magis, totum penitus viſibilem in mundo Eccleſiam Chriſti deficere & excidere à fide poſſe, ſeruatis tamen ſemper in illa viſibili Eccleſia occultis reliquijs ſoli Deo cognitis; qui verè & propriè ad Eccleſiam pertinent. Commentum hoc ſuum accuratè docet Inſt. lib. 4. cap. 2. in fine. Hanc etiam ob cauſam à Sadoleto, Pighio, alijſque ſcriptoribus Catholicis ab Eccleſiæ perpetuitate diſputantibus preſſus, reſpondet, quoad populũ credentem fuiſſe ſemper Eccleſiam Dei, ſed quoad populorum Paſtores, Magiſtros, ac Doctores, penitus eam defeciſſe ac perijſſe. *Non negamus* (inquit) *ſemper fuiſſe Dei Eccleſiam in mundo*. Audimus enim quid de perpetuo Chriſti ſemine Deus promittat. Hoc etiam modò non negamus, quin ab exordio Euãgelij continua vſque ad nos fuerit Eccleſiæ ſucceſsio,

In Tractatu de reformat. Eccl. pag. 449. in Opuſculis eius Theolog.

ſucceſsio, quemadmodũ certò perſuaſi ſumus ad finẽ vſque mundi fore. Sed nõ concedimus ita affixam eſſe externis laruis, vt penes Epiſcopos vel fuerit ante hac vel poſt hac futura ſit. Et paulò poſt in eodem opere. Ego ſanè concedo fieri nũquam poſſe, vt Eccleſia intercidat. At cùm ad Paſtores referunt quod de perpetua Eccleſię duratione promittitur, in eo vehementer errant. Neque enim ſi *deſint Paſtores, ideo protinus deſinit Eccleſia.* Quo quid abſurdius, aut contra Chriſti ſapientiam magis impium dici potuit; qui preter Apoſtolos, & Paſtores & Doctores Eccleſiæ ſuę dedit, ad conſumma tionem Sanctorũ, id eſt, ad corroborationem fideliũ, ad ædificationem corporis ſui, donec omnes accurramus in agnitionẽ filij Dei &c. Sed 4. eandẽ abſurditatẽ impiam repetit in Reſponſione ad epiſtolam Sadoleti pag. 180. atque etiam diſputans contra Seruetũ Arianum in Refutatione errorum eius pag. 905. in volumine Opuſcul. Theologicorum, quod in lucẽ dedit Beza. Alij Lutherani docent errantem multitudinẽ eſſe quidem perpetuã, ſed veram Eccleſiã quæ veram doctrinã profitetur, ſubinde quidẽ inſtaurari & per interualla excitari: at non ſemper extare. Sic Melanchthõ in locis cõmun. & in Repetit. Confeſſ. Auguſtanæ: Brentius quoque in prolegomenis.

Pag. 463.

Epheſ. 4.

4.

Iam verò vt defeciſſe Romanam Catho-

licam totius orbis Eccleſiã, omnes quidem ſupponũt & affirmãt(hoc enim illis neceſſariũ fuit vt defectionẽ ab Eccleſia ſuã culpa liberarent)ſic quando, vel quo tempore defectio iſta cœperit, certũ adhuc aliquid aut firmũ ſtatuere neſcierunt.

De Eccleſiæ defectione.

1. Lutherus in Comitijs VVormatienſibus an. 1522. aſſeuerauit Romaná Eccleſiam ante annos centum defeciſſe & apoſtataſſe, quũ Ioannem Hus in Concilio Conſtan. damnaret propter articulum illũ, quòd ex ſolis electis vera Dei Eccleſia conſtaret.

2. Lutherani poſtea à 300. annis eam defeciſſe ſcribunt,& ſtatim poſt D. Bernardi ætatem Antichriſtum reuelatum fuiſſe. Sic Muſculus in locis communibus tit. de Eccleſia cap. 12. & Repetitio confeſsionis Auguſtanę, anno 1551.

3. Paulò poſt à ſexcentis annis Antichriſtum in Romana Eccleſia prǽualuiſſe, & anno Chriſti milleſimo hanc defectionem cæpiſſe, ſoluto videlicet tunc Satana, docuit Lutherus in lib. contra Papatum tomo 7. & propter authoritatem VViclephi, qui idem docuit apud Thomam VValdenſem tom. 2. cap. 18. multi ęam ſententiã ſequuti ſunt.

4. Henricus Bullingerus in ſuis ad Apocalipſim homilijs, vult circa annum Domini 763. reuelatum fuiſſe Antichriſtum Romanum.

5. Alij totis iam mille annis defeciſſe Eccleſiam docẽt. Hanc opinionem Lutherus omnium horarum homo, tradidit in li. de captiuitate Babylo-

bylonica, & in ſupputatione annorũ mundi: Caluinus in Epiſtola ad Sadoletum. Melanchthon in locis cõmunibus prius editis. Propter hanc opinionem Gregorium Magnum vltimum Romanæ Eccleſię Epiſcopum, reliquos poſt eũ Romanæ curiæ Epiſcopos vocat Lutherus in ſupputatione annorum mundi. Caluinus eundem vocat *vltimum Romæ Epiſcopum*. Inſtitut. lib. 4. cap. 17. num. 49. Melanchthon eundẽ vocat *pereuntis Theologiæ Præſultorem*, in oratione de corrigendis ſtudijs. Panthaleon Chronographus Lutheranus, vocat Bonifaciũ III. qui huic Gregorio poſt ſeſquiannum ſucceſsit, *primum Papam & primum ſummum Pontificem*. Hac etiam de cauſa *vſque ad hoc tempus nihil fuiſſe in doctrina mutatum*, fatetur Caluinus Inſtit. lib. 4. cap. 2. num. 3. Idem affirmant Lutherani in Actis Ratisbonenſibus in fine. Denique hoc tempore à Phoca Imperatore primatũ Romano Pont. datum fuiſſe, aliaque dogmata (quæ illi damnant) inualuiſſe ſcripſit Melanchthon in Apologia Confeſ. Auguſtanæ, & Chemnitius in examine Concilij Tridentini in cap. de Sanctorum inuocat. Ad hanc denique ſententiam licet valdè perplexi, inclinant Magdeburgenſes, Cent. 1. lib. 2. cap. 4. Ioannes Iuellus Saliſburgenſis in Anglia Superintendens, & omnium Anglocaluiniſtarum doctiſsimus anno 1560. prouocauit publicè omnes Anglię Catholi-

cos, vt ſi ſupra hoc tempus aliqua certa teſtimonia pro certis quibuſdam articulis hodie controuerſis, quos ſupra viginti propoſuit, contra eum afferri poſſent, quod Catholicæ religioni ſubſcriberet.

6. Nihilominus poſtea alij docuerũt ab annis 1200. Hanc defectionem cœpiſſe & ſolos 300. annos puriori Eccleſiæ dandos eſſe. Sic docet Melanchthon in locis communibus poſterius editis, affirmans Baſiliũ, Ambroſium, Epiphanium, Auguſtinum, corruptam doctrinam tradidiſſe. Hunc alij ſecuti Zoſimum Papam Auguſtino contemporaneum, primum Antichriſtum ponunt, quod is contra Africanos Sedis Romanæ primatum in cauſa appellationũ, tueretur. Flaccus Illyricus in Catalogo teſtium veritatis folio 43. ait inclinante in ruinam imperio Romano, (quod accidit ſub Honorio circà annum Domini 400.) Papatũ cœpiſſe.

7. Tandem docuerũt ab ipſis Apoſtolorum temporibus Eccleſiam defeciſſe. Lutherus in lib. de ſeruo arbitrio, ait, *Patres omnes in cauſa liberi arbitrij cæcutiſſe, & tota vita errantes, niſi ante mortem reducti fuerint, neque ſanctos fuiſſe, neque ad Eccleſiam pertinere*. Melanchthon in comment. ad 3. cap. 1. ad Corint. ait, *Statim in initio Eccleſiæ ſcriptores veteres obſcuraſſe doctrinã de iuſtitia fidei, & auxiſſe ceremonias, & finxiſſe peculiares cultus, &c.* Caluinus in tractatu de ſcandalis, dãnat vetuſtiſsimos Patres, *quod frigi-*

frigidam & deformatam Theologiam tradiderint, magis ex Philoſophorum placitis, quàm iuxta ſenſum verbi Dei. Idem eos condemnat in doctrina pœnitentiæ Inſtitut.lib.3.cap.3.num.16.in quæſtione de orat. pro defunctis lib.3. cap. 5.num 10. De ſacrificio Miſſæ lib.4. cap.18, num 11. Magdeburgenſes Cent.2.cap.4,ar. de inclinatione doctrinæ aiunt, *in ætate Apoſtolis admodum vicina mõſtroſas & incommodas opiniones ab Eccleſiæ Doctoribus ſparſas reperiri*. Theodorus Beza in præfatione cõmen. in Eſaiã, ait, *vni Caluino poſt Chriſtum & Apoſtolos deberi veram & germanam de Cæna Domini intelligentiam*. Ioannes VVigandus Lutheranus in lib. de bonis & malis Germaniæ, *Iucundum*, inquit, *beneficium eſt præcipuorum articulorum fidei illuſtratio, qualis ab Apoſtolorum temporibus huc vſque in mundo non eſt cognita*. Lutheri verba ſunt in epiſt.ad Argentinenſes anno 1525. *Chriſtum à nobis primò vulgatum eſſe audemus gloriari*. Caluinus Inſtit.lib.4.cap.3. num. 18. *Propter generalem hoc tempore Antichriſti defectionem nouos Apoſtolos vel ſaltem Euangeliſtas, immediatè miſſos fuiſſe* ſcribit.

Poſtremò in ipſo Petro Apoſtolo non obſcura Antichriſti indicia, ſeſe animaduertiſſe ſcribit Flaccus Illyricus in Cathalogo teſtium veritatis. Beza quoque in explicatione methodica ſuper epiſt. 2. ad Theſſalonicenſes, ait Antichriſtum de quo Paulus ſcribit, ſub ipſo D. Pauli tempore aduenisse. 8.

Hanc ob cauſam Magdeburgenſes Cent. 1. lib.2.cap.10. diligenter recenſent & grauiter exaggerãt omnes B. Petri lapſus & imperfectiones in hiſtoria Euangelica notatas & commemoratas.

De Eccleſiæ notitia.

Ad notitiam Eccleſię quod attinet, illam planè inuiſibilem eſſe docuit Lutherus in
1. lib. de ſeruo arbitrio, vocans eam *margaritã abſconditã*. Confeſsio Auguſtana definit eam eſſe congregationem Sanctorum, qui ſoli Deo cogniti ſunt. Idem habet Apologia Confeſsionis: & Melanchton in locis com. Lu-
2. therani in Repetitione Confeſsionis Auguſtanæ docent *Eccleſiam eſſe cœtum cõſpicuum vocatorum*, & definiunt viſibilem Eccleſiam. Melanchthõ in præfat. operum ſuorum an. 60. perſiſtit in eo. Negat Eccleſiam eſſe ideã Platonicam: docet neceſſe eſſe fateri viſibilem Eccleſiã, & aliter ſentientium opinionem portentoſam vocat. Idem docent Magdeburgenſes loco ſæpe citato.

3. Vnius tamen Melanchthonis doctrina, vt in alijs multis dogmatibus, ſic in hac quęſtione lubrica, inconſtans, planeq; ἀσύςατος eſt. Deus (inquit) vult Eccleſiam exaudiri, vult agnoſci. Sed videndum eſt qui ſint mẽbra huius Eccleſiæ. Rurſum, Eccleſia eſt cœtus viſibilis vocatorũ: ſed in hoc cœtu aliquot ſemper ſunt electi & pij: & horũ vox audienda eſt. Eccleſia innoteſcit per ſanam doctrinam, ſed in membris ſuis incognita

eſt.

eſt, Hæc ille in locis communibus, neſciens neque quæ loquitur, neque de quibus affirmat. Non minus lubrica Caluini ſententia eſt. Nam Inſtit. lib. 4. cap. 1. num. 2. 3. 4. & 5. de viſibili Eccleſia ſe diſputare affirmat; Articulum Symboli (*Credo Eccleſiam, &c.*) ad illam aliquatenus pertinere ait: eius cõmunionem, magiſterium & authoritatem cõmendat. Atqui eodem in loco num. 2. docet 4.
Eccleſiam in Symbolo commendatam eſſe prorſus inuiſibilem, & ſoli Deo permittendam eſſe ſuæ Eccleſiæ cognitioné, qui eam in latebris ſeruat. Num. 3. vt credamus Eccleſiæ, nihil eſſe opus vt oculis cernatur. Num. 7. diſtinguit Eccleſiam quam credere neceſſe eſt, eſſe electorum & ſoli Deo notam. Quam autem obſeruare, cuiuſque communionem tenere oportet eſſe viſibilem multitudinem Chriſtianorum toto orbe diſperſam. Illam ex fide credendã, hanc ex charitate obſeruandam. Denique Catholicam Eccleſiam docet eſſe viſibilem.
5. Caluiniſtæ recentiores docent quidem viſibilem Eccleſiam, ſed negant eam eſſe Catholicam. Vocãt enim viſibilem Eccleſiam externam hanc & militantem ex bonis & malis Chriſtianis conflatam. Vocãt Catholicam Eccleſiam illam electorũ & ſoli Deo cognitam. Atque ita Catholicã & viſibilem diſtinctas res faciunt, quod nec Caluinus loco citato, nec Muſculus in locis communi-

bus fecerunt. Hunc loquendi modum ſeruant Anglocaluiniſtæ in ſuis ſcriptis; ſuo
6. quoque modo inſanire volentes. Communis Caluiniſtarum opinio eſſe videtur, Eccleſiam in Symbolo definitã planè eſſe inuiſibilem, & ſoli Deo cognitam. Sic docet Heluetica Confeſsio cap. 17. nomine omnium Caluiniſtarum, edita anno 1568.

De vnitate Eccleſiæ.

De vnitate quoque Eccleſiæ non minus variè ac diſſonanter garriunt Magdeburgẽ-
1. ſes, duas eſſe Eccleſias cõſtanter affirmant, & vtriuſque notas ac proprietates ſub diſtinctis titulis, copioſe deſcribunt. Centuria 1. libr. 1. & libr. 2. cap. 4. Lutherum ſequuti in notis veræ Eccleſiæ vt ſuprà acce-
2. pimus. Alij etſi vnam agnoſcunt, tamẽ vnitatem fidei (qua maximè ratione eſt vna) lacerant & diuellunt, docentes in vera Eccleſia fœnum & ſtipulas falſæ doctrinę fundamento, verę fidei ſuperædificari. Hoc enim modo veteres Patres veræ Eccleſiæ lumina & partes egregias fuiſſe, multis tamen fœdis erroribus imbutos ac deprauatos. Sic Melanchthon in locis com. Sic Lutherus de ſeruo arbitrio. Sic Caluinus Inſtit. li. 4. ca. 1. & in comment. in 1. Cor. 3. ver. 15. Vbi *Cyprianum, Ambroſium, Auguſtinũ, Gregorium & ſimiles*, in hanc fœdam colluuiẽ homo
3. impius accumulat. Alij rurſum ſic vnam agnoſcunt, vt tamen diſſenſiones circa fidẽ hanc vnitatem nihil impedire, aſſerant. Sic

Confeſ-

Confeſsio Heluetica cap.17. Sic Beza in lib. contra Brentium. Sic Iacobus Sundelinus contra Staphylum. Sic Philippus de Mornay vt ſuprà lib.1. num.4. Hoc quippe illorum fœdiſsimis ſectis fucandis, preclarè ſubſeruiebat.

4. Alij adhuc vnam Eccleſiam eſſe volunt abſque vlla conformitate externi cultûs vtcunq; vniuerſaliter recepti, niſi in Scriptura præcipiatur. Suſtinēt hoc Puritani in Anglia contra Anglocaluiniſtas. Illi enim propter diuerſitatē quos ex preſcripto Principis etiam extrà Scripturam ſuſceperunt Anglocaluiniſtæ, diuiſionem & ſchiſma fecerunt. Iſti clamāt non debere propterea ſchiſma fieri propter libertatem Euangelij.

5. Alij poſtremò vnam eſſe volunt Eccleſiam abſque vllo capite ad ſchiſmatis remedium neceſſariò, non ſolum generali (quod omnes vnaminiter negant) ſed etiam in quacunque Diœceſi particulari, quia omnes paſtores pares eſſe volunt ſine vlla diſtinctione Epiſcoporum à Præſbiteris, aut Superintendentum à reliquis Miniſtris: quam tamen diſtinctionem alij auidiſsimè admittunt ac mordicus retinent, vt mox in ſequenti titulo de politia Eccleſiæ, demonſtrabitur.

Nam ad politiam & Ordinem Eccleſiaſticum quod attinet, Catholicum quidem & hactenus toto orbe receptum vnanimi- De Politia Eccleſiæ.

ter negant, cane peius & angue hodie habent; ſed eius loco nihil planè certum, nihil firmum concorditer adhuc ſtatuere potuerunt.

1. Primorum Lutheranorum ſentētia fuit, totiûs congregationis eſſe de cauſa fidei & de diſciplina conſeruanda ſtatuere, nec Miniſtrum ſine plebe, nec plebem ſine Miniſtro poſſe in hoc genere quicquam facere. Muſculus in locis communibus.

2. Saxonicæ Eccleſiæ, quia hac ratione immutata ad ſolos verbi Miniſtros hanc totam poteſtatem deriuarunt, vocatæ ſunt ab alijs Proteſtantibus *Papatus Saxonicus* moderatore & authore Melanchthone.

3. Docet Brētius, vnumquemque in cauſa fidei iudicare debere (nam poſſe communis eſt omnium ſententia) adeoque mandatum ad hoc à Deo accepiſſe. In Prolegomenis contra Petrum à Soto.

4. Epiſcopi & Preſbyteri, ſeu Superintendentis & Miniſtri, vt Germani loquuntur, ſeu Paſtoris & Senioris vt Caluiniſtæ loquuntur, nullam eſſe differentiam diu docuerunt, & contra Catholicos ſuſtinuerũt, Idem ſuſtinet fortiter Philippus de Mornay in tractatu de Eccleſia cap. 11.

5. Poſtea creſcente multitudine hæreticorum Caluiniſtæ Geneuēſes nō niſi Paſtoribus (excluſis Miniſtris) poteſtatem ordinandi & manus imponendi concedunt, vt acri-

acriter ſuſtinet Caluinus Inſtit. lib.4.cap.3. in fine,& cap.4. in fine.

Caluiniſtarum Geneuenſium & Puritanorum in Anglia,item Scoticæ confuſionis ſententia eſt Superintendentis ſeu Paſtoris nullum eſſe gradum permanentem & fixum à Miniſtri officio diſtinctum, ſed mobilem & temporaneum; de quo tamen nec inter ſe conueniunt. 6.

Geneuenſes volunt huius Paſtoris ſeu Superintendentis (quem *decanum claßis* vocant)officium eſſe annuum, vt patet ex Beza in Confeſſ. fidei cap. 5. ſect. 29. 7.

Puritani in Anglia volunt totum eius officium cum actione deſinere: videlicet, vt electus à Senioribus Miniſter vel ad præſidendum in Synodo, vel ad ordinandum & imponendum manus electo, vel ad componendas controuerſias Eccleſiaſticas, finita actione officiũ cum actione deponat, & perſonam exuat. Sic Cateronitus in priori replica contra Ioannem VVhitgift. 8.

Geneuenſes & Puritani in Anglia volunt vnamquamque parochiam ſeu congregationem, ſic ſuum proprium habere Paſtorem ad verbi & ſacramẽtorum adminiſtrationem,vt omnium parochiarum Paſtores ſint prorſus æquales. Itaque damnant Superintendentes Alemannos, & Anglocaluiniſtarum Epiſcopos.Beza vbi ſupra. 9.

Anglocaluiniſtæ præter Superintenden- 10.
tes

tes ſeu Epiſcopos quos habent Lutherani, etiam Archiepiſcopos, Decanos, Archidiaconos, Officiales & Cancellarios curiæ Epiſcopalis habent, frementibus Puritanis & ab eorum propterea Eccleſijs & Iuriſdictione, abhorrentibus.

11. Caluiniſtæ diſtincta faciunt officia Paſtoris & Doctoris. Paſtores volunt diſciplinæ conſeruādæ, adminiſtrationi Sacramentorum, & exhortationibus ſeu monitionibus præeſſe. Doctores volunt verbum Dei ſimpliciter enarrare & in hoc Paſtorem iuuare. Caluinus Inſtit. lib. 4. cap. 3. num. 26. Beza in confeſſ. fidei cap. 5. ſect. 26. & Puritani in Anglia. Atqui Eccleſiæ Helueticæ in confeſſ. cap. 17. & Muſculus in locis communibus in cap. de Miniſtris verbi, tit. de officijs Miniſtrorum hanc diſtinctionē Caluinicam, fortiter impugnant.

12. Caluiniſtę addūt ſuis Paſtoribus & Doctoribus, *Seniores* (quos ſcriptura Apoſtolica *Præſbyteros* vocat) quibus totam gubernationem Eccleſiæ concedunt, vt præeſſe diſciplinæ ac cenſurę morum, vna cum Paſtoribus, tenere conſiſtoria, & ſimilia. Caluinus Inſtitut. lib. 4. cap. 3. num. 8.

13. Circa iſtos Seniores differunt Caluiniſtę Galli à Puritanis Anglis, quod illi ex ipſa plebe & laicorum numero in vnaquaque parochia iſtos Seniores deſcribi poſſe volunt, vt docet Caluinus loco citato; & Beza in

za in epiſtola præfixa Confeſsioni Helueticæ. Puritani in Anglia ſolos Eccleſiaſticos ſeu potius miniſteriales viros, ad hunc ordinem aſſumendos docent, in Replica priore, pag. 146. ſect. 1.

Heluericæ Eccleſię in Confeſſ. cap. 17. & Anglocaluiniſtæ in ſua defenſione cōtra Puritanos pag. 230. volunt eſſe in Eccleſiæ politia hodie Prophetas, qui nulli certo loco aut curæ affixi, poteſtatem interpretandi verbum habeant & concionandi. Hoc acerrimè negant Puritani ex Caluini & Bezæ ſententia ſupra dicta, qui præter Paſtores & Doctores, quos volunt Paſtoribus certo & affixo loco adeſſe, circa verbi tractationem nullos admittunt. 14.

Differunt tamen Anglocaluiniſtæ ab Helueticis circa iſtos Prophetas, quia Anglocaluiniſtę volunt illos legitimè mitti authoritate Epiſcopali ad prædicandum per totam Diœceſem. At Heluetici permittūt tales Prophetas in Eccleſia loqui ad impulſum ſpiritus priuati. 15.

Helueticæ Eccleſiæ vt Bernenſis, Tigurina, & aliæ, Seniorum conſiſtoria & Senatum quæ tanti faciunt Caluiniſtę, nullo modo ferunt. Mulſculus in locis communibus in cap. de Miniſtris verbi, tit. de officijs Miniſtrorū, & in cap. de Magiſtratibus. Gualterus Tigurinus in cōment. in 1. ad Cor. cap. 5. & Anglocaluiniſtæ in ſua defenſione, hæc 16.

Senio-

Seniorum conſiſtoria acerbè impugnant, & diligenter refutant.

17. Anglocaluiniſtæ proprio errore, quod Senioribus tribuunt cæteri Caluiniſtæ, laico Magiſtratui & Principi tribuẽdũ docẽt: vt, iudicare de doctrina, leges Eccleſiaſticas ferre, Miniſtros verbi ſaltẽ Primates, Epiſcopos & Archiepiſcopos creare, ordinare, inſtituere ſola propria volũtate & authoritate.

De vocatione & electione.

1. Iam ad hanc ſuam perturbatã politiã aliquo modo ſtabiliendã, & ad vocationis ſuæ originẽ aliquã legitimã inueniẽdã, de ordine ac modo vocationis & electionis externę tot ferè habẽt ſententias, quot magiſtros & capita. Aliqui docẽt externã vocationem & electionẽ nõ eſſe ſemper & abſolutè & ſimpliciter neceſſariã propagato ſemel Euãgelio, ſed certis tãtũ tẽporibus & ſub certa cõditione, videlicet, vbi & quãdo Eccleſię ſunt iã cõſtitutę: vbi autẽ oppreſſæ iacẽt, ſufficere immediatã à Deo vocationẽ. Sic Cal. Inſt. li. 4. c. 3. n. 18. Beza in Conf. fidei c. 5. ſect. 28. Brent. in Proleg. & Muſculus in locis cõm.

2. Addit Calu. & hãc à Deo immediatã vocationẽ (quę iſtis nouis ſectarijs valdè neceſſariò quęrẽda & oſtẽtãda fuerat) qualis ſit, nobis quodã in loco aperit. *Quos* (inquit) *Deus inſtruxit neceſſarijs dotibus, quum eius manu formati ſunt, & aptati, eos nõ ſecus ac de manu in manũ ab eo nobis traditos, recipimus.* Hęc ille in Acta Apoſt. c. 13. ad ver. 2. Sic videlicet Calu. ſeipſum ve-

Vide Antidota noſtra ad illum Actorum locũ.

luti

luti neceſſarijs dotibus à Deo inſtructũ, atq; à Deo ipſo formatũ atq; aptatũ, à ſuis Geneuenſ. veluti de manu Dei illis in manũ traditũ, pulſo Epiſcopo loci, recipi perſuaſit.

3. Alij nihilominus docẽt vocationẽ & electionẽ debere ſemper eſſe externã, & poſſe à Magiſtratu fieri eiuſq; ſola authoritate vbi ordinariæ vocationi locus non eſt propter collapſas Eccleſias. Brentius. in Proleg. Muſcul. in locis com. Helueticarum Eccleſ. Conf. c. 18. niſi quòd hoc ponũt alternatiuè, & addunt: vel à deputatis ab Eccleſia.

4. Alij adhuc aſſeruerũt ſufficere vocationẽ & electionẽ quę fit per ſimplices Pręſbyteros; ideoq; Miniſtrorũ hodie vocationẽ hoc nomine eſſe legitimam, quòd à Pręſbyteris & Doctoribus Eccleſię Romanę Catholicę & Apoſtolicę illa ortũ habuit; vt à Luth. Buce. Zwing. & Oecolãp. qui omnes Preſbyteri & Monachi erãt, excepto Zwing. paſtore Tigurino. Hãc viã tuetur Philip. de Mornay in tract. de Eccleſia c. vlt. & Gulielmus Fulco Anglocalu. in libello quodã aduerſum me.

5. Alij porrò ſtatuũt legitimã electionẽ non ſolũ à Magiſtratu, ſed & à tota plebe per omniũ aut certè pluriũ ſuffragia fieri debere. Hãc enim eſſe Apoſtolicę & veteris Eccleſię vſum: quã formã quia Romana Eccleſia nõ ſequitur, clamãt carere illam veris Paſtoribus. Sic Cal. Inſt. li. 4. c. 3. n. 15. & c. 4. n. 11. quẽ ſequuntur Puritani in Anglia. A quibus tamen

Vide Triplicat. cōt VVhitakerum c. 19. men ipſis quia illum morem non ſeruarũt, alia ſecta Barrouiſtarum defecit, ipſoſque Puritanos acerrimè impugnauit.

6. Muſculus in locis com. Heluetica Eccleſiæ in Confeſsione cap. 18. & Anglocaluiniſtæ aduerſus Puritanos aſſerunt & ſuſtinét, hanc popularem electioné non eſſe neceſſariam; ſed formam electionis pro tempore & loco ad arbitrium Eccleſię variari poſſe. Idem docet Beza in Cōfeſsione fidei cap. 5. ſect. 35.

7. Pagi Heluetici tribuunt Magiſtratui poteſtatem non eligendi ac nominandi Miniſtros verbi, ſed ab Eccleſia electos confirmādi; vt docet Muſculus in locis com. cap. de Miniſtris tit. de electione.

8. Anglocaluiniſtæ tribuunt Principi, eique ſoli, omnem & electionem & nominationem & confirmationem omnium Epiſcoporum. Miniſtrorum verò (qui Sacerdotibus noſtris ſucceſſerunt) electionem (niſi vbiuis patronatus penes alios eſt) omnemque confirmationem & inſtitutionem ſolis Epiſcopis aut Capitulis tribuunt more Catholico, frementibus valdè Puritanis, cęteriſque Caluiniſtis extra Angliam.

9. Anglocaluiniſtæ porrò tribuunt Principi poteſtatem prædictam, tanquam illi debitam ratione regalitatis, ſeu poteſtatis regalis.

10. Heluetica Eccleſiæ authore Muſculo, & Brentius

Brentius in Prolegomenis tribuunt prædictam poteſtatem Magiſtratui ſeu Principi, in quantum eſt caput populi, eumq́; repræſentat: & veluti pars Eccleſiæ nobilior.

Caluinus tandem aſtruit neceſſariá eſſe 11. manuum impoſitionem Inſtit. lib. 4. cap. 3. num. 16. eamque à Paſtoribus fieri debere. Decreuerũt hoc poſtea Caluiniſtæ in quodam ſuo conuenticulo (Synodum vocant illi) in ſubnobijs Lutetiæ habito, anno 1559.

Iam verò Eccleſię Catholicę Authoritatem ſine ratione ſubiecti in quo illa eſt (Cõciliorũ videlicet Epiſcopaliũ, aut Patrũ ac Paſtorũ ſeorſim aliquid teſtificantiũ) ſine ratione iudicij quod formaliter exercet, quũ omnes vnanimiter deſpiciant, differenter tamen admodum & magna ſententiarũm diſſonantia, id faciunt. Ad Concilia quod at- Concilia. tinet, in principio huius ſchiſmatis ſolum 1. Concilium Cõſtantienſe repudiarunt, propter Ioannem Hus & VViclefi hæreſes in eo damnatas. Lutherus in colloquio VVormatienſi anno 1523. Poſtea ſola quatuor 2. prima Concilia generalia approbare voluerunt. Caluinus Inſt. li. 4. c. 9. n. 8. & 9. Anglo caluiniſtæ in Comitijs Regni publicis ſub Edoardi 6. & Elizabethæ an. 1. Alij paulò 4. poſt tria tantùm prima Concilia (excluſó Chalcedonenſi) approbarunt. Sic Confeſſio Miniſtrorum Confeſsionis Auguſtanæ Antuerpiæ anno 1567. Tandem etiam ipſa 3.

prima Concilia repudiarunt. Nicenum 1. propter Canonem de militibus, & Chalcedonenſe propter Canonẽ de cælibatu. Melanchton in locis com. an. 1523. Lutherus in Serm. ſuper illud. Attendite vobis à falſis prophetis. Item in lib. de Cõcilijs & Eccleſia. Caluinus quoque in primis illis Concilijs multa deſiderat, & in multis vituperat.
5. Inſtitu. lib. 4. cap. 9. num. 10. Alij recipiunt vetera Concilia quoad dogmata fidei, non aliter, quia *lux verbi Dei ipſis prælucet, ſicuti Patribus illis præluxerat*, id eſt, quia quod illi Patres verum iudicarunt, id ipſi quoque iudicant, ſuoque iudicio comprobant. Ita nullum Concilij iudicium, ſed ſuũ ſequuntur: nec aliquid authoritatis Concilio, ſed ſibi totum tribuunt. Sic docet Cal. loco citato.
6. Tandem apertè profitẽtur, ſe nulla prorſus Cõcilia aut vetera aut noua ſimpliciter admittere: ſed veteribus hoc tantùm concedere, *vt ſint inſtar præiudicij quod examen non impediat*. Sic & eiſdem verbis Calu. loco citato. Sic & Martinus Chemnitius in epiſt. dedicatoria præfixa ſecũdæ parti examinis doctrinę Cõc. Trid. Ita rurſum Conciliorũ omniũ ſeipſos iudices & arbitros conſtituunt.

Patres. Ad Patrum authoritatem quod attinet,
1. variè quoque & diſſonanter admodũ cantillarunt. Primum Lutherus ſolos Scholaſticos, Doctores & ſcriptores reijciebat, vt apparet tum ex propoſitionibus ſuis ad diſ-
putan-

putandum propoſitis anno 1518. tum ex colloquio VVormatienſi ann 1523. Prouocauit enim ibi à Scholaſticis ad Eccleſiaſticos Patres & Decretales Rom. Pontificum.
2. Poſtea omnes etiam Eccleſiaſticos Patres atque Decretales Romanorum Pont. Idem Lutherus apertè repudiauit in præfatione ad Aſſertiones ſuas à Leone 10. damnatas; & in lib. de ſeruo arbitrio contra Eraſmũ.
3. Paulò poſt Decretales & totum ius Canonicum publico incendio in quibuſdam Germaniæ vrbibus abſumpſit, teſte Cochlæo in Actis Lutheri. Sanè VVittembergæ ipſum præſentem illud feciſſe, poſteraque die luculenta oratione factum ſuum defendere conatum eſſe; patet operum ſuorum tomo 2. pagi. 123.
4. Lutherani nihilominus contra Caluiniſtas, nominatim Ioachimus VVeſtphalus in Apologia cõtra Caluinũ maxima diligentia Patrũ teſtimonia colligũt, vrgent ac premunt; de quo in ſua Admonitione vltima aduerſus eundem grauiter conqueritur Caluinus.
5. Sed & Caluiniſtæ ipſi cõtra Antitrinitarios nouoſq; Arianos Patrum teſtimonia tanto ſtudio proferunt; nominatim Beza, vt illi viciſsim Bezæ exprobrant quod Deum quendam Auguſtinianum illis obtundat. Sanè idem Beza contra eoſdem epiſt. Theolg. 81, pro veterum Patrum authoritate acerrimè depugnat. Sed & Caluinus ipſe Vbiquitarijs

Lutheranis reſpondet magni ſtuporis eſſe ſpernere idiomatum κοινωνίαν quæ non fruſtrà olim à Sanctis Patribus inuenta eſt. Inſtit. lib. 4. cap. 17. num. 30. Anglocaluiniſtæ contra Puritanos veterum Patrum teſtimonijs acriter pugnant: nominatim Ioannes VVhitgift in defenſione aduerſus Carterouitum. Idē conatus eſt facere Ioannes Iuellus Sariſburienſis pſeudoepiſcopus in libris contra Thomam Hardingum.

Vide Triplicat. noſtrā con. VVhitakerum cap. 18. & 19.

6. Puritani contra Patrum omnem expoſitionem & teſtimonia *paleas & nanias* vocāt, & id genus diſputādi *nihil eſſe aliud* affirmāt, *quàm ex fœtidis lacunis & foſſis ſordes colligere*, imò hunc arguendi modū, eſſe ex inferis petere argumenta. Sic Carterouitus Puritanus cōtra VVhitgiftū Anglocaluiniſtā li. 1. pag. 114. & li. 2. pag. 513. Sed & Ioānes Reinoldus Anglocaluiniſta adeo hac in parte Puritanū ſe præſtitit, vt in theſibus an. 1571. excuſis, theſi 5. pag. 106. quartam cauſam quare Romana Eccleſia non eſt vera Eccleſia, hanc aſsignet: *quod illa in expoſitione Scripturæ eum ſolum ſenſum approbet, quem Patrum vnanimis tradit conſenſus.* Sed & Caluinus Patrum vnanimem doctrinam circa liberum arbitrium, circa iuſtitiā fidei, circa ſacrificij cultum, circa pœnitentiæ doctrinam, aliaque permulta, audaciſsimè reijcit ac damnat. Inſtitut. lib. 2. cap. 4. nu. 3. lib. 3. cap. 11. nu. 14. lib. 4. cap. 15. nu. 7. & cap. 19. nu. 17. Denique Prote-

Vide plura in Triplicat. n. cōt. VVhitakerum. cap. 19.

Proteſtantes quoſdam Patrum teſtimonijs auidius inſiſtentes, grauiter hoc nomine re prehēdit Iacobus Acontius Caluiniſta Stratagematum Satanæ lib. 6.

Ad Eccleſiæ ipſius iudicium, vocem, authoritatem in ſeipſa conſideratam quod attinet, non eodem modo omnes eā reſpuunt. Eccleſiæ vox & Iudicium. 1.

Aliqui omnē prorſus Eccleſię qui docētis vocē excludunt ſolis enthuſiaſmis & reuelationibus immediatis cōtenti. Tales erant Suenckfeldiani. Tales feruntur eſſe in Anglia Superilluminati. Hos Caluinus refutat Inſtitut. lib. 1. cap. 9.

Alij ſic Eccleſiæ teſtimonium omne reijciunt, vt ſolas Scripturas audire velint; nec extra Scripturas loqui Eccleſiam permittant. Eſt cōmunis veterum Lutheranorum qui rigidi vocantur, Caluiniſtarum & in Anglia Puritanorum. 2.

Alij ne tam craſsè loqui videantur, aiunt ſe vocem Eccleſiæ libenter audire in Concilijs & Patribus, ſed hac appoſita cōditione, quatenus expreſſo Dei verbo nititur & cū illo conſentit. Sic Caluin, Inſt. lib. 4. ca. 8. nu. 13. Sed hæc appoſita cōditio in priorem ſententiam recidit, omnemque authoritatem ab Eccleſia tollit, ac eandem vnicuique hæretico tribuit, quoties dicere velit Concilia & Patres Scripturæ repugnare. 3.

Idem tamen Caluinus à Lutheranis ipſarum Scripturarum teſtimonio preſſus, ad 4.

Eccleſiæ interpretationem neceſſariã confugit. Contra Lutheranos vrgẽtes illa Chriſti verba, Hoc eſt corpus meum. *Excipiunt* (inquit) *ſe Dei verbum habere quo palàm facta eſt Dei voluntas. Nempe ſi illis conceditur donum interpretationis ex Eccleſia profligare quod lucem verbo adferat.* Inſtit. lib. 4. cap. 17. nu. 25. A ſcripto verbo ad Eccleſiæ interpretationem, quæ lucem verbo adferat, confugit. Eodem modo diſputat cõtra Anabaptiſtas ſolis Scripturis inhærentes: in tract. Theol. pag. 571. Item cõtra alios, qui phychopanychiã docebant: in tract. Theol. pag. 539.

5. Molliores tandem Lutherani admittunt vocem & teſtimonium Eccleſiæ, vt confeſſionem quandam qua infirmis conſulatur, Confeſsione enim firmiorũ adiuuantur infirmi, ait Melanchthon, in locis com. Idem docet in commẽt. in 1. Timoth. 3. Nec quicquam amplius Eccleſiæ voci tribuunt alij. Sed alia nunc dogmata breuius & ſuccinctius expendamus.

6. Circa Sacramẽtorum numerũ. Sacramenta ſeptem eſſe negant omnes; ſed de numero nihil illi ſibi certũ ponunt. Alij enim quatuor retinent, vt VVittembergenſes. Eucharistiã, Baptiſmum, Pœnitẽtiam, Ordinem: Alij tria tãtum excluſo Sacro ordine, vt Lipſenſes: alij denique niſi duo, vt magis hodie recepta Proteſtãtũ doctrina habet. Quovno in argumẽto, quo modo & quoties à ſeipſo diuerſa docuerit Melanch-

lanchthon docet egregiè Fred. Staphylus. Apolog. par. 3. Similiter conferre illa gratiā negant omnes; ſed nō vno modo. Alij enim neceſſaria tamen eſſe volunt: alij etiam efficacia ponunt; alij neutrum ſed adiaphora tantum, meraſque eſſe notas & ſigna docēt. Addit vnus Caluinus ad confirmationem vnius fidei omnia deſtinari, nec alium aut vſum aut effectum habere.

7. Circa effectum Sacramētorum.

Elementorum tranſmutationem in Venerab. Euchariſtia negant omnes. Sed in aliqua certa doctrina quæ huic negationi opponatur, non cōueniunt. Alij enim adeſſe nihilominus corpus & ſanguinē realiter & corporaliter volunt cū pane, vt pleriq; Lutherani: alij ſub pane vel in pane, vt alterius generis Lutherani: alij non corporaliter, ſed realiter tamē, vt ſophiſticatur de ſuo canale Caluinus. Alij nec realiter nec corporaliter, ſed purè ſpiritualiter per fidem, vt Zwingliani propriè: alij nihil horum omnium, ſed vel figuratiuè, vt Oecolampadius, vel ſignificatiuè, vt Caroloſtadius, vel denique per modum vbiquitatis, vt Brentius.

8. Circa Tranſſubſtantiationem.

Merita Bonorum operum quoad vitam æternā negant vnanimiter omnes. De Meritis tamen bonorum operum, nō idē cenſent omnes. Lutherani enim, & maximè Chemnitius in Examine agnoſcit & docet mereri bona opera & temporalem & ſpiri-

9. Circa Merita.

tualem mercedem non in hac vita tantùm, ſed etiam in futura: contra Caluinus nullũ prorſus bonorum operum meritũ eſſe vult.

Inſtitut. lib. 3. cap. 15. par. 4.

20. Circa liberum arbitriũ.

Liberum arbitrium negant ſanè ſatis vnanimiter omnes; ſed non eodem ſenſu & modo. Alij enim ponũt illud ſaltem in renatis, vt molliores & meliores Lutherani, alij negant, vt Illyricani & Caluiniſtę, Alij in humanis & adiaphoris concedunt etiam ante gratiam, vt Melãchthonici poſteriores. Alij negant, vt Lutherus ipſe cũ rigidis ſuis ſectatoribus. Alij denique ſaltẽ ad malum in omnibus inueniri. Alij ne ad malum quidẽ, vt idem Lutherus in artic. 36. & lib. de cap. Babylonica.

21. Circa pœnitẽtię Sacramẽtum.

Pœnitentæ Sacramẽtũ negãt ſanè omnes; ſed de ipſa pœnitentia alius docet ipſam ſignificare dolorem & contritionem, vt Mel. alius tantùm nouam vitam, vt Lutherus: alius cum cõtritione fidem, vt Lipſenſes Theologi. Prædicari autem in Euangelio pœnitentiã, alius dicit vnius peccati tantùm, videlicet, Incredulitatis, alius pec. omnium. Alius impropriè & per accidens, alius ex cõſequenti, tertius per antitheſim, quartus quod aliquatenus, quintus quod arguat incredulitatem, ſextus quia paruam reiicit fidẽ, ſeptimus quia minus principaliter prædicat pœnitentiã. Hæc de VVittembergenſibus Illyricus in informat. de quibuſdam doctrinæ Chriſt. articulis. In his et

go omnibus quæ præcipua ſunt fidei noſtrę Capita, aliquid ne certum aut conſtans in doctrina Proteſtantum vides?

Sed pergamus ad alia, Ordinationem quandã Miniſtrorũ verbi, etſi nõ vt Sacramentum, tamen vt vocationẽ neceſſariam retinẽt omnes aut ferè omnes: Hanc tamen alij volunt cum impoſitione manuum fieri, vt docet accuratè Caluinus Inſtit. lib. 4. c. 3. alij ſine ea ſolo vocante magiſtratu vel etiã tota congregatione, vt rigidi Lutherani. 12. Circa Sacramẽtum Ordinis.

Baptiſmi Sacramẽtum Lutherani neceſſarium fatentur, Caluiniſtæ negant: authore Caluino Inſtit. lib. 4. cap. 15. In eodem alij ceremonias admittũt Eccleſiaſticas, vt molliores Lutherani in Germania, & Anglocaluiniſtæ: alij nullas vt Caluiniſtæ cæteri, & Puritani in Anglia. 13. Circa Baptiſmum.

In cœna quam vocant Dominica, alij geniculantes communicant, vt Lutherani molliores, qui etiam adorant, & Anglocaluiniſtæ qui non adorant: alij ſtantes, vt Caluiniſtæ plerique, alij ſedẽtes, alij etiã tranſeũtes. In reliquo cultu externo, quẽ omnes vnanimiter ab Eccleſia præſcriptum repudiant, nihil vnanimiter obſeruãt. Alij enim feſta Sanctorum in ſolis Scripturis expreſſa, vt Caluiniſtæ & noſtri Puritani, alij etiã quorundã Martyrum, vt Anglocaluiniſtæ, alij nulla prorſus, ne diem quidem dominicam, vt Anabaptiſtæ, alijque fanatici. 14. Circa Cœnam Dominicam.

35 Circa feſta & ieiunia.

Alij rurſum ſtata ieiunia quædam, vt Quadrageſimam, in quibuſdam Germaniȩ partibus & in Anglia: alij nulla ſtata, ſed omnia libera eſſe volunt, vt cæteri ferè Caluiniſtæ.

In dogmatibus quæ omnes communiter tenent, non eodē modo tenēt.

Sed iſta minutiora prætermittamus. Ad grauiora redeo. Quædam habere videntur, eadémque maximi momenti dogmata, ipſiſque propria, in quibus præclarè conueniunt. In illis fortaſſe certam aliquã & conſtantem doctrinam retinent. Sunt autem illa dogmata huiuſmodi. Sola fides iuſtificans. Imputatiua Chriſti Iuſtitia. Certitudo gratiæ. Concupiſcentia in renatis eſt pec catum. Communio ſub vtraque ſpecie. Papam eſſe Antichriſtum. In his enim certè & omnes vnanimiter cõuenire vidétur, & magna Chriſtianæ doctrinȩ pars cõſiſtit, & ſunt poſitiua atque affirmatiuą omnia. Sed reſpondeo pauca admodum hæc eſſe præ tanta aliorum articulorum multitudine, in quibus plurima negarunt, nihil adhuc certum & conſtans poſuerunt. Deinde nego etiąm in iſtis paucis illos inter ſeſe conuenire.

36. Circa ſolam fidem iuſtificantem.

Primum enim, ſolam fidem iuſtificare omnes ſanè vnanimiter dicunt. Sed nec fidem, nec ſolam omnes eodem modo intelligunt. Alij enim fidei nomine ſolũ credere promiſsionibus diuinis, alij viuam & neceſſariò operantẽ fidem (quorũ vtrumque docuit

cuit

cuit fraudulenter Lutherus in lib. de capt. Babyl.) alij rurſum fiduciam ipſam, vt plerique Lutherani veteres; alij non fiduciam ſed organum & inſtrumentum apprehendens ipſam iuſtitiam & ſalutem vnde poſtea fiducia conſequatur vt recentiores Lutherani; alij nihil horum ſed certam notitiam & perſuaſionem ſalutis vt Caluinus definit. Inſt. lib. 3. cap. 2. Deinde ſolam fidē alij ſic docent vt bona opera prorſus excludant tanquam nec efficacia ad iuſtitiam, nec omninò neceſſaria, vt Caluinus & Illyricus eorumque ſectatores audaciſsime affirmant: alij etſi non efficacia, tamen neceſſaria agnoſcunt vt Melanch. in locis com. & alij molliores Lutherani. An ergo in hoc tam illuſtri dogmate aliquid tibi certum aut conſtans docere videntur?

Similiter Imputatiuam Chriſti iuſtitiam alij extrinſeca tantùm denominatione intelligunt, vt veteres Lutherani & Caluiniſtæ, alij formaliter noſtram eſſe noſque ea verè donari, vt Chemnitius ac recentiores Lutherani. Alij negant prorſus, vt Oſiandrini. Certitudinem quoque gratiæ alij & quidem plerique tam ex parte noſtra quàm ex parte Dei ſtatuunt; alij ex parte tantùm Chriſti docēt, ex parte autem noſtra dubitationi locum eſſe affirmant, quales ſunt molliores Lutherani, quos hoc nomine ſemipapiſtas vocat Caluinus Inſt. lib. 3. cap. 2

17. Circa Imputatiuam Iuſtitiam.

18. Circa Certitudinem gratiæ.

19. Circa Concupiſcen. in renatis.

Concu-

Concupiſcentiam in renatis peccatum quidem eſſe omnes docent: ſed alij damnans & vaſtans conſcientiam quantum ex ſe eſt, vt plerique; alij ſic peccatum, vt tamen omnis tollatur reatus, quod implicat contradictionem, vt VVittembergenſes: alij denique veniale tantùm, vt Chemnitius Lutheranus in examine decret. Conc. Trid. rem mitigat. Communionem quidem ſub vtraque ſpecie, omnes flagitãt, ſed alij vt neceſſariam omnino propter Chriſti Inſtitutionem, alij vt alioqui mãcam ex parte Sacramenti, alij verò nõ vt neceſſariam aut perfectam, ſed propter libertatem Chriſtianam; quia res eſt adiaphora, vt expreſsè docuit Lutherus in lib. de formula Miſſæ, & de cap. Babyl. & ad Bohemos, itemque Mel. in loc. commun. anno 21.

30. Circa Communionem ſub vtraque ſpecie.

31. Circa Romanæ Sedis apoſtaſiam.

Denique Papam eſſe Antichriſtum clamant vno ore omnes: ſed alij hoc nomine non perſonam aliquã, ſed ſedẽ ipſam & vniuerſum corpus ſuccedentiũ Pontificũ, alij ſingulas perſonas intelligi volunt. Rurſum alij à Bonifacio II. ab annis mille, plus minus; Alij à Zoſimo Papa, alij denique à Victore tempore Irenęi, alij poſtremò ab ipſo Petro (in quo non obſcura Antichriſti ſigna ſeſe deprehendiſſe [1] Beza & [2] Illyricus ſcripſerunt) hanc Antichriſti ſedem ortum cæpiſſe, indéque continuaſſe ſcribũt. Nec ęrgo etiam in iſtis dogmatibus quę vtcunq; pauca,

1 In explica. Methodo in 2. Theſſ. 2.
2 In Catalog. teſtiũ veritatis.

pauca, ſola tamen ſunt ipſis hodie propria & affirmatiua, & in quibus cõuenire videntur, aliquid certum & conſtans docent: ſed *de rebus eiſdem* (more ſanè hæreticorum omnium vt notauit olim Irenæus lib. 5. cap. 20,) *alio atque alio modo loquuntur*: homines videlicet (vt Paulus huiuſmodi deſcribit) *ſemper diſcentes, ſed nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes*. Et rurſum: *Volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Quam enim illi tandem veritatis ſcientiam aut ſuorũ dogmatum intelligentiam nacti fuiſſe videri poſſunt, qui nullo adhuc in dogmate certum aliquem & fixum pedem ponere, nullam certam veritatem ſtatuere ac definire potuerunt? 2. Tim. 3. 1. Tim. 1.

Quid quòd præterea (vt magis ac magis hanc eorum incertitudinem demirere) non ſolùm ſingulæ ſectæ, ſed ſinguli ferè Archihæretici, & magiſtri ſectarũ, propria quædam habẽt dogmata, quæ nec diſcipuli omnes vnanimiter tenere voluerũt. Deum eſſe Authorem mali non ordinatorem tantùm, & effectiuè non permiſsiuè tantùm, peccati cauſam eſſe; docuit inuerecundè Caluinus. Sed non eum omnes Caluiniſtæ in hac blaſphemia ſequuntur. Eiuſdem proprium dogma eſt (Inſt. lib. 1 cap. 13. ſect. 2. & 23.) filiũ Dei eſſe αὐτοούσιον: nec à Patre eſſe, ſed à ſeipſo; quod neſcio an aliqua hodie Caluiniſtarum congregatio teneat. Nam quod

22. Diſcipuli diſſentiunt à magiſtris. Inſt. lib. 2. c 4. par. 2. & 3.

Inſtit. lib. 4. cap. 17. par. 24.

quod omnipotentiam Dei diſertis verbis negat, nec ab ordine rerum iam poſito & conſtituto eum recedere poſſe affirmat, eſt illi cum multis alijs ſuis ſectatoribus commune. Brentio proprium eſt Chriſtum ſecundùm humanitatem vbique eſſe: quod cæteri nō ſolúm in genere Proteſtantes, ſed etiam Lutherani plærique deteſtātur, Neſtorianam illi hæreſim & Eutychianā quoque ſcriptis libris impingentes. Singularis fuit Andreæ Oſiandri de eſſentiali Dei iuſtitia, & Franciſci Stancari illi oppoſita de iuſtificatore Chriſto ſecundū humanam naturam tantum doctrina; quam ex tota turba Proteſtantum nulla ferè cōgregatio diu tenuiſſe videtur. Anabaptiſtarum, Trinitariorum, Swenkfeldianorum, & ſimilium portentoſa dogmata prætermitto, ne ſingula commemorando in nimiam prolixitatem excreſcat oratio. Illud prætermitti nō debet, horum hominum doctrinam nō ſolum ideo incertam eſſe, quia quid ipſimet certò conſtituant, incertum ſemper habent (cuius rei cauſa eſt, quia nullo Authoritatis diuinæ fundamento nituntur, ſed ſuus cuique animus & ſenſus Author eſt, quid docere, quid credere debeat, vt olim de Manicheis notauit Auguſtinus) ſed preterea quia non ex rei veritate ſaltem ipſis apparēte de doctrina fidei iudicant & ſententiam ferūt: ſed planè prout ipſis cōmodum aut incommodum

Contra Fauſtum. li. 23. c. 13.

modum eſt, aiunt & negant. Exempli cauſa quum adhuc noui & pauci eſſent, Eccleſiã fideliũ docuerunt eſſe cœtũ hominum ſoli Deo cognitũ, mundo autẽ incognitũ: Contra quum in numerũ ſatis magnum excreſcere cæperunt, Eccleſiam docent eſſe cœtũ *viſibilem, &c.* Hoc enim ſecreto quodã conſilio ab illis factum fuiſſe prodidit Fredericus Staphylus Apol. prioris par. 3. Similiter quũ nullas adhuc vires haberent, perſecutionem & crucẽ eſſe propriam verę Eccleſiæ notam diligentiſsimè docuerunt, fidémq; liberá eſſe debere, nec vllis vinculis aſtringi, vt docuit Lutherus quum à Comitijs VVormatienſibus rediret. Contra vbi fortiores ſunt, ad ſuã perfidiam Catholicos cogunt & legibus aſtringunt. Exempla nobis triſtiſsima præbuerũt Anglia & Scotia. Huc pertinet quòd aliquot annis conſtantiſsimè docuerunt, propter cauſam fidei nõ eſſe quẽquam morti adiudicandum: ex quo factũ eſt vt hæc etiam controuerſia diligẽter à Catholicis contra huius tẽporis hæreticos tractata & diſputata fuerit. Nũc verò rerum potiti in Anglia nõ ſolùm perpetuis vinculis, rapina bonorũ, & exilio mulctant Catholicos, ſed etiã morte atrociſsima affecerunt non paucos; quorum etiam de ſeminario Põtificio in hac Alma vniuerſitate iá dudum poſito duo extiterunt, nõ ob aliam cauſam morte atrociſsima, affecti quã quia pro

23. Rem eandem modo affirmant, modo negãt; prout ipſis commodum aut incommodum eſt.

Alphonſus de Caſtro & alibi.

Cuthbertus Maine & Ioannes Nelſon præſbyteri.

pro Sacerdotibus deprehenſi, & in fidei Catholicæ profeſsione conſtantes eſſent.

Sed quid externis exemplis opus eſt? Nonne iam in hoc nuper florentiſsimo Belgio, quum adhuc ſuperiores viderentur Catholici, Libertas vtriuſque religionis paſſim deprædicata, promiſſa, & mutuo compromiſſo etiam iuramento interueniente (pudendo exemplo) roborata eſt? Sed vbi illi planè ſuperiores ſunt, vt in Hollandia & Zelandia, itemque Gandaui, nonne iam ſola obtinuit hæreſis, pulſis Catholicis?

Simili fraude & perfidia quum adhuc nudi & miſeri eſſent, clamabant cum Vadianis veteribus hæreticis, bona Eccleſiaſtica luxui tantùm & ſeculari pompæ materiam ſubminiſtrare; debere Miniſtros verbi vel Apoſtolico more nihil poſsidere, vel certè paucis contentos eſſe. Nunc verò in Anglia & alibi rerum ipſi potiti, Epiſcopatus opulentiſsimos, Decanatus, Archidiaconatus, Canonicatus, aliaque opima beneficia nacti etiam maiori pompa procedunt, luxu diffluunt, & faſtu turgeſcunt. Quod in illis acerbiſsimè ſecta Puritanorum reprehendit.

Huius etiam generis eſt, quòd in Germania & Anglia illa religio tenenda eſt, quam Princeps amplectitur, probat, iubet. In Gallia, Scotia, & hoc Belgio, etiam contra Reges arma pro religione ſumere licet, adeoque

que iugum Regis excutere & alium Principem aſciſcere.

Eodē pertinet quòd in pleriſque & Caluiniſtarum & Martiniſtarum cōuenticulis, iuriſdictio Eccleſiaſtica non alia eſt, quàm quę ex verbo Dei ſcripto colligi poteſt; ideoque apud eos nec Archidiaconis, nec Decanis, nec Archiepiſcopis locus eſt. At habet hæc omnia deformata Caluinantium Anglorũ Eccleſia. Rurſum alij illi nõ niſi iudicio totius congregationis excommunicãt; aut alioqui in delinquẽtes aliqua pœna Eccleſiaſtica animaduertũt. At verò tã in Eccleſijs Saxonicis quàm in tota Anglia, excõmunicationis & reliquæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ forma penè eadem eſt qualis apud Catholicos: ex quo factum eſt, vt illarum quidem Eccleſiarum politia cæteris Lutheranis & Caluiniſtis papatus Saxonicus nũcupatus ſit: Anglocaluiniſtis verò Puritanorum ſecta acerbiſsimè ſeſe oppoſuerit.

Sed illuſtre illud eſt quòd quamdiu Lutherani numeroſiores, pauciores Zwingliani eſſent, omnibus modis ſatagebant Zwingliani, vt ſaltem pro fratribus à Lutheranis haberentur: quia non ad fidei quæſtionem aut fundamentum pertinebat illud in quo diſſentiebant: reclamãtibus ſemper Lutheranis & pertinaciſsimè illud negantibus; vt prolixè narrat Io. Lauather. in hiſt. ſacram. & poſt eum Brentius in Recognitione con-

tra Bullingerum. Poſtquam verò ex altera parte Lutheraniſmus frigere, & Caluiniſmus florere cæpit, cõtra factum eſt vt Lutherani (inter quos præcipuus eſt Andreas Smidilinus & Martinus Chemnitius) hanc contentionem non eſſe tanti momenti núc teneant, quin & pro fratribus haberi Caluiniſtę, & Eccleſiæ mẽbra cenſeri debeant.

Nam & ſic apertè Brentius homo Lutheranus etiam ſcribens contra Bullingerum, *Non damno* (inquit) *eccleſias Zvvinglianorum, ſed damno eorum dogma.* Ita iſti homines pro temporum ratione, aliud atque aliud de fidei dogmatibus pronunciant. Quod damnauit accerbiſsimè Lutherus, quia contẽpſit paucos, non damnat Lutheranos videns eſſe multos.

Simile eſt de Auguſtana Cõfeſsione, quá Sacramentarij omnes multis annis ſeſe mordicus tenere affirmabant. Nunc apud puros Caluiniſtas nihil ea deſpicabilius eſt. Hac ergo in parte nõ ſolum incerta & incõſtans, ſed planè ambulatoria eſt horũ hominum religio atque doctrina: vt de his hominibus veriſsimum ſit, quod de ſui temporis Arianis ſcripſit Hilarius, *Poſtquam ſcribendæ & innouandæ fidei vſus inoleuit, & noua potius capit condere quam accepta retinere, nec veterata defendit, nec innouata firmauit, & facta eſt fides tẽporum potius quàm Euangeliorum: dum & ſecundùm annos ſcribitur, & ſecundum confeſsionem Baptiſmi non tenetur.*

Proteſtãtum doctrina ambulatoria.

Hilarius in lib ad Conſtantium.

tenetur. *Periculoſum nobis admodū eſt,atque etiam miſerabile, tot nunc fides extiſtere quot voluntates, tot nobis doctrinas eſſe,quot mores: & tot cauſas blaſphemiarum pullurare, quot vitia ſunt: dum aut ita fides ſcribuntur vt volumus, aut ita vt volumus, intelliguntur.* Hæc ille in libro ad Conſtant. de ſuis Arianis. Sed multò hæc hodie veriora ſunt in noſtris Caluiniſtis, Martiniſtis, alijſque peſtilentibus horum temporum ſectis. Clarum enim eſt ex ijs quæ iam diximus, & luce ipſa meridiana, opinor, clarius; in tota poſitiua doctrina in dogmate affirmatiuo nihil certum, nihil conſtans habere huius temporis hæreticos: ſed vt plurima quidem orthodoxæ fidei capita negarunt ac ſuſtulerunt, ſatis & conſtanter & vnanimiter, ita quod iſtis negatiuis pro certa & ſtabili doctrina ſubſtituerent, tanquam doctrinam verè Euangelicam atque Propheticam, (quam iam olim ſepultā & obrutam ſeſe rediuiuam in orbem attuliſſe iactitant) nihil eos prorſus conſtitutum habere, nihil firmum ac ſtabile docere. Quis igitur dubitabit veros hoſce eſſe Antichriſti miniſtros, Dan. 8. cuius proprium erit, *omnia ſupra quàm dici poteſt vaſtare*, cuius character erit ἀρνεῖσθαι nego; Ioan. 4. veros eſſe *lupos & latrones qui non venerunt niſi vt* 2. Petr. 2. *mactarent ac perderent*, veros denique *mendacij magiſtros & pſeudoprophetas*, qui nihil ipſi afferentes, veritatē tantùm abſtulerunt? & ex puris mendacijs omnem ſuam doctrinā ac

religionem conſtruxerunt. Pro huiuſmodi ergo, Auditores Chriſtiani, hos homines habetote: & tanquam certiſsimas orbis Chriſtiani peſtes fugite, & execramini.

QVÆSTIO III. QVODLIBETICA.

Vtrum in horum temporum hæreticis vlla ſit prorſus Religio.

Oratio Academica 30.

DE tertia mihi à doctiſs. D. Quodlibetario propoſita quæſtione dicturus, Auditores, pactum quodammodo vobiſcum inire vehementer deſidero: huiuſmodi ſanè, vt ſi nullam prorſus in noſtri temporis hæreticis religionem eſſe demonſtrauero, illud mihi ſanctè promittatis omnes, fore vt hoc hominum genus non ſolum omnes auerſemini, caueatis, fugiatis; quod puto nos per ſuperiores iam orationes, à fide & æquitate veſtra obtinuiſſe, ſed etiam vt hos homines tanquam certiſsimas & teterrimas Reip. Chriſtianæ peſtes vnuſquiſque pro virili ſua totis viribus perſequatur, ac longè latèque à finibus ſuis exterminet. Sin illud vobis minus demonſtratum dedero, me mortalium omnium qui viuũt vaniſsimum habeatis. Periculoſa hæc fortaſſe conditio, & parum modeſta poſtulatio cuiquam videri queat

queat. Sed age. Res ipſa loquatur. Videamus, inquiramus, an vlla ſit prorſus in huius temporis hæreticis religio.

Primum non quæro an vlla ſit in illis vera religio, id eſt veræ religionis doctrina, vera & legitima cultus diuini ratio (quo ſenſu de vera religione diſputat Auguſt. in lib. cui illum titulum dedit, itemque Lactantius) ſed vt magis miremini id prorſus quæro, an vlla ſit ſeu vera ſeu falſa, ſeu ſeria ſeu ficta in hodiernis hæreticis religio: id eſt, an vllum habeant diuini numinis cultum cum obſequio & reuerentia coniunctũ. Sic enim religionem non malè definiuit Author ethnicus: ideoque in ſuos libros retulerũt ſcriptores eccleſiaſtici, vt D. Tho. 2. 2. q. 81. art. 1. Iſidorus lib. 10. ca. 17. Aetymolog. Aug. in lib. 83. q. q. 31. *Religio eſt quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam vocant, curam ceremoniamque affert.* An huiuſmodi aliquam diuini numinis curam, id eſt timorem & obſequium quaſi cultum internum, itemque ceremoniam, id eſt, cultum externum hæretici habeant quæro. Deinde (ne etiam illos hoc loco nimium premere videamur,) nõ iniquiremus in Actus religionis imperatos (vt ſcholaſtici loquuntur,) id eſt quos producit, religio mediãtibus alijs virtutibus quas illa ad diuinam reuerentiam ordinat (futuros alioqui indifferentes & vel morales tantum virtutes vel ne virtutes quidem ſi

Status.

Cic. in Rhetor.

Religionis definitio.

 aliquo

aliquo malo fine fierent:) quales enumerat Iacobus dicẽs: *Religionem mundam & immaculatam apud Deum eſſe, viſitare pupillos & viduas, &c. & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.* De huiuſmodi religionis actibus in hæreticis hodie non inquiremus: à quibus quàm longiſsimè abſint, omnes norunt, qui illos norunt. Aut certè ſi qui illorum huiuſmodi pietatis opera interdum exercent, ſi eleemoſynas dant, ſi caſtitatem colunt, ſi veritatem loquuntur cum proximo ſuo, ſi opera miſericordiæ faciunt; nunquam iſta religiſoè aut ex religione faciunt; nunquã illa ad Dei cultum referunt; vtpote qui nõ huiuſmodi operibus vllis (quę ſemper immunda & imperfecta cẽſent) ſed ſola fide Deum coli, placari & promereri pertinaciſsimè docẽt, ſibique ipſis firmiſsimè perſuaſerũt. His ergo Religionis actibus prætermiſsis, hoc nunc tantùm quærimus, an vlla ſit in illis Religio ſecundùm proprios & elicitos Religionis actus. Huiuſmodi autẽ certe ſunt vel interni vel externi. Interni ſunt ipſa mẽtis deuotio, qua quis ſe Deo quaſi deuouet, ad omne eius obſequium & cultum paratiſsimus: itẽque oratio mentalis, qua quum Deo ſupplicatur, profitetur vnuſquiſque ſe Deo vt omnium bonorũ Authore indigere, eique ſe ſubiicit: quod eſt reuerentiam & honorem exhibere, in quo propriè cõſiſtit Religio.

Cap. 1.

De internis iſtis Religionis actibus non admodũ ſollicitè inquiremus, partim, quia non niſi de externis Eccleſia iudicat, & ſolus Deus ſcrutatur corda & renes; partim, quia exteriores actus (de quibus mox dicetur) facilè nobis indicabunt, quæ ſit interna Proteſtantũ Religio. Illud vnũ monebimus, fieri vix poſſe vt apud illos homines vlla ſit interna Religio, qui internã ſanctitatẽ (quæ ſola ratione à religione differt: applicãtur enim Deo quæcunque ſanctificantur: maximè verò mens humana ſuos actus per ſanctitatem Deo applicat quaſique conſecrat) in fidelibus renatis nullam eſſe docent, niſi quæ ſit nõ ſolum imperfecta, ſed etiam immunda, ſordida, Deóque ſemper quantum ex ſe eſt, ingrata & exoſa: quæ omnia ſanctitati (quæ propriè munditiam notat) ex diametro opponuntur. Sic enim illi de reliquiis peccati Originalis; & de corruptione naturæ, quam concupiſcentiam vocamus, philoſophãtur: ideoque nullam eſſe operũ iuſtitiã, imò vt Luthero placuit, iuſtum in omni opere peccare, nec tantũ venialiter, ſed etiam ex natura rei mortaliter dogmatizant. Cuius ſanè doctrinæ Authores & ſectatores, quo tandem modo ad internam ſanctitatem contendere cenſebuntur, qui ad nullam huiuſmodi perueniri in hac vita poſſe profitentur? Deinde quorum tota doctrina eſt fiducia & certitudo gratiæ atque

Interna religio in hæreticis hodiernis eſſe vix poteſt.

ſalutis, quem illi timorem habere, religionis matrem atque alitricem poſſunt? Illam ergo Religionis partem, vt dixi, prætermittemus, vel vt de qua iudicari non poſsit, vel vt de qua inquirere non ſit opus.

De externo cultu & externis religionis actibus inquiramus, an iuxta illos vlla ſit in horum temporum hæreticis religio. Aio ergo nullam prorſus in hodiernis hereticis, quod ad externum Dei cultum attinet, religionem eſſe. Illud autem probo, quia Deum nec in ſe, nec in ſuis, vllo religionis actu colunt, atque ita omnino non colunt. Quod ad prius attinet, colitur ſanè Deus in ſe externo cultu, tribus omnino modis. Primò adoratione ipſa corporali; deinde rerum externarum in cultum quendam exhibitione; poſtremò earum rerum quæ ipſius Dei propria ſunt, in certum cultum aſſumptione. Ad hæc enim tria capita omnis externus cultus reducitur.

Propoſitio.

Externus Dei cultus triplex.

Quod ad primum attinet, externam omnem corporis adorationem, vt genuflexiones exemplo Pauli ad Eph. 3. imò Chriſti ipſius Luc. 22. proſtrationes, exēplo quoq; Chriſti ibidem: pectoris tūſiones exemplo publicani pœnitentię. Luc. 18. idque in locis ſanctis, quæ domus orationis à Chriſto vocantur Mat. 21. adeò non exercent horum temporum hæretici, vt hoc totum diuini cultus genus penitus ſubſannent, exibilent, ſuperſti-

Adoratio corporalis apud hæreticos hodie nulla.

ſuperſtitionis ethnicæ & Phariſaicæ hypocriſeos condemnent. Itaque in horum omninm auditoriis (neque enim templa agnoſcunt) ſedentariam quandã Religionem vbique videas, in quibus videlicet vel legẽti vel concionãti Miniſtro ſedẽtes auſcultãt, vel pariter concinentes ſedent. Nunquam autem genu flectunt, niſi fortè communicaturi, vt quidam Lutherani & noſtri Anglocaluiniſtæ: qui ex Principis Preſcripto, non ex Religione id faciunt.

Alterum cultus genus quod in rerum externarũ exhibitione, (quæ videlicet Deo in cultum quaſi ſiſtuntur & exhibentur) conſiſtit, in ſacrificijs & votis eò pertinẽtibus totum verſatur. Et quidem ad ſacrificiũ ipſum externum (qui proprius, ſummus & perpetuus Dei cultus eſt, in omni ætate ante legem, ſub lege, ſub Euangelio, à pijs peractus & vſitatus,) referuntur ſanè oblationes voluntariæ & decimæ præſcriptæ, propius autem pertinent templa ipſa, altaria, ſacerdotes, totus denique templorum apparatus, diuino cultui, ſed potiſsimum ſacrificio dicatus, conſecratus & mancipatus. Iam verò ab hoc vniuerſo cultu tãtum abſunt noſtri temporis hæretici, vt Sacrificium quidem ipſum Chriſtianorum proprium, auguſtiſsimum, diuiniſsimum, non irreuerenter adeant, nõ irreligioſè tractẽt, non negligenter omittant; ſed execrabiliter

Hæretici hodie externum nihil Deo in cultum exhibent.

damnent: opprobrijs, iniurijs, blaſphemijs, & innumeris & teterrimis lacerẽt, onerent, obruant. Oblationes autẽ voluntarias adeò non faciunt, vt faciẽtes ſceleratè irrideant; iã olim à maioribus noſtris factas & ad pios vſus ac Dei cultũ, in Monaſterijs, Collegijs, Xenodochijs deſtinatas, ſacrilegè aboleãt, diripiant, euertãt. Decimas verò nuſquam illi perſoluunt (niſi Principũ legibus adacti, vt in Anglia) ſed vbicunque poſſunt, & decimas & primitias, & quicquid diuino cultui impenditur, pariter diripiunt. Tẽpla egregiè ſpoliant, altaria ſubuertũt. Reliquũ totũ apparatũ, vaſa, veſtes, ornamenta templorum, homines religioſi & pij, ne quis ſit amplius eorum abuſus, in ſuos ipſorum ſacratos (quis dubitat) conuertunt vſus. Huc pertinet, quod rituũ & ceremoniarũ omniũ quibus hæc pars diuini cultus vel neceſſariò ornatur, vel piè augetur, vel fructuosè perficitur, vſum ac ſanctitatẽ omnem pari qua cætera pietate ac religione proſequentes, deſpiciunt, deridẽt, abolẽt. His accedit, quòd ſublatis iſtis omnibus nullũ illi prorſus externum ſacrificium ſubſtituunt, quo Deum colant: ideóq; in quo religionis propriè dictę caput cõſiſtit, in eo vel quod prętexant nihil habent ac nec habere volunt.

Votorum omnium vincula homines in religione liberrimi diſſoluunt: quod vt efficacius perficiant, virginitatis ſanctitatem

(quàm

(quam *ideo quia Deo dedicatur maximè laudandam* docet Auguſt. in lib. de ſancta virginitate,) vt quiddam ex impoſsibilibus è medio tollunt: paupertatis profeſsionem ſubſannant; obedientiæ voluntariæ humilitatem execrãtur: omnem deinde ex voto ſuſceptam vel carnis mortificationem, vel ſpiritualem meditationem, & exercitationẽ, id eſt, omnem verè Religionis perfectionẽ, damnant. Quam etiam ob cauſám, monaſteria omnia, vbi religionis perfectio iuxta certas regulas exactius obſeruatur, funditus iſti euertunt vbi poſſunt; infinitis maledictis lacerãt, vbi euertere non poſſunt. Nihil ergo rerum externarum in diuinum cultum exhibere, nullo externo obſequio, ſuá erga Deum reuerentiá oſtendere, hæc demum apud horum temporum hæreticos, ſumma Religio eſt.

Cap. 8.

Hæreticorum hodie ſumma religio quæ.

Sed pergamus ad alterũ, ac poſtremum externorũ Religionis actuum genus, quod in earum rerum quæ Deo propriæ ſunt ad cultum, inde Deo exhibendum aſſumptione verſatur. Aſſumuntur ſanè ad diuini numinis cultum, vel ipſa Sacramenta à Deo inſtituta, vel eius Sanctiſsimum nomen. Et quidem per Sacramenta ipſa coli Deũ, tam vetera in lege veteri, quam noua in Euangelio promulgata, nullus vnquam adhuc fidelis populus, aut ignorauit, aut dubitauit. Imò quũ *religionem à religãdo animas noſtras Deo*

pro-

Hæretici hodie per Sacramēta Deum non colunt.

propriè dici, omnes hactenus fideles intellexerint, vt docet Lactantius lib. 4. Auguſtin. in lib. de vera Religione cap. vlt. magiſque cōfirmat Tract. lib. 1. cap. 13. *ſine Sacramentorum autem viſibilium conſortio, nullū populum colligari, aut in vllum religionis nomē, ſiue verū, ſiue falſum, coagulari poſſe didicerint*, vt docet idem Auguſtinus contra Fauſtum: ſoli tamen noſtri hodie hæretici, ſine vllo prorſus qui per Sacramenta fit cultu, & Deum rectè coli, & veram religionem conſiſtere poſſe, exiſtimarunt. Itaque ex Sacramētis, quæ ſeptem nobis Chriſtus Dominus inſtituit, duo illi tantum retinuerunt: eaque ſine vlla cultus aut Religionis ſpecie. Hanc enim ſanè ob cauſam, etſi initio quidem Sacramenta iſta ceremonias dici, quibuſdam eorū non diſplicuit (ſic enim Confeſsio Auguſtana loquuta eſt,) poſtea tamen magis placuit, eas pro notis tantùm, & ſignis admitti, Baptiſmum quidem notam initæ ſocietatis, cum Eccleſia fidelium, Cœnā verò dominicā, vt ſignum ac memoriam mortis dominicæ, nihilque amplius, niſi fortè ad obſignandā & confirmandam fidem ſigilla quędam. Quod totum, vt ſuis magis ac magis perſuaderēt, Baptiſma primum, omnes ritus, ac ceremonias in Eccleſia Dei, à prima Antiquitate obſeruatas ſuſtulerunt; ſola verborum forma retenta quam Chriſtus pręſcripſit: eundemque minimè eſſe ad ſalutem neceſſarium,

Lib. 19. cap. 11.

rium, ſed rem planè adiaphoram (remoto contemptu) docuerunt. Cœnam verò dominicam, non in altari, ſed in menſa cõmuni; non ornamentis, non vaſis, non ritibus, aut ceremonijs vllis, quæ cultum diuinum aliquo modo referant, & repræſentent: ſed habitu vulgari, vaſis prophanis, corporis geſtu familiari peragere, & adminiſtrare ſuos docuerunt. Hanc etiam ob cauſam, omnem & gratiæ efficaciam, & ſanctitatis opinionem, vtrique huic Sacramento ademerunt. Imò puriores Euangelici, vix Sacramenti quidem nuncupatione ea dignantur, ſed illud ablutionem, hác communionem & ſynaxim fidelium, frequentiùs nuncupant. Itaque actiones volunt eſſe, non Religioſas & Sacras, ad cultum Deo exhibendum, ſed Euangelicas, & hiſtoricas, ad rerum pro nobis geſtarum memoriam retinendam, fidéque confirmandam. Sic illi Sacramenta Religionis noſtræ, in quibus ſecundum ſacrificium ipſum, præcipuus Dei cultus verſatur, ab omni cultus ſpecie ac ratione, longiſsimè auellere, omni ſtudio conati ſunt.

Cal. Inſt. lib. 4. cap. 15.

Iam verò quod ad diuini etiam nominis aſſumptionem, ad Dei cultum attinet, in eo ſanè ſolo aliquam religionis ſaltē ſpeciem habere videntur, nullam tamen re vera religionem exercent. Diuinum enim ſanè nomen, vel in iuramento (quod tres ſuos comites habet, Iuſtitiam, Iudicium, & Veritatem,)

tatem,)vel in adiuratione, quæ ad aliorum ædificationem fit: vel denique in inuocatio ne,ad orandum, vel laudandum Deum, in actũ religionis aſſumitur. His enim tribus modis,non legitimè tantùm,& piè,verumetiã religiosè, & certo diuini Numinis cultu, nomen Dei à fidelibus aſſumi poteſt, & interdum debet. Quod ad iuramentum attinet,aliquæ ſanè horum temporum hæreſes,vt Anabaptiſtarum ſectæ,ne vllo modo vel minimam religionis ſpeciem habere vi deantur, prorſus in homine Chriſtiano dãnant, nec vllo loco, vel tempore, vel caſu, admittendum docent. Cæteræ ſectæ,iurant illæ quidem; ſed an per actum religionis id faciant,dubitari fortaſſe poſsit,ſi vel quàm parum ſanctè fidem iuramento datam obſeruent, alicubi incompertum eſſet; vel in cæteris rebus omnibus quàm parum ſint Religioſi, vniuerſa eorum doctrina,ne dicã mores ac vita,nobis abundè planum nõ facerent. Sanè hoc hominnm genus,quàm fidem nullam ſeruet,quàm leuiter & nefariè iuret,periuret etiam in rebus longè grauiſſimis, & ad Reip. Principum, ac Eccleſiæ Dei ſtatum,vel honorem,ſalutem,vel conſeruandam, vel perdendam pertinentibus, vt antiquiora taceam, fex iſta & colluuies Belgica,ſub noſtri temporis Catilina & Ieroboa Gulielmo Auriaco duce,longè teſtatiſsimum orbi Chriſtiano dedit.

Iuramenta quam ſanctè colunt.

Adiu-

Adiurationes verò quæ potiſsimùm per excorciſmos exercentur, contra dæmones, interpoſita diuini nominis Maieſtate, apud hæreticos noſtri temporis tam non ſunt in vſu, quàm ſeſe in hoc genere nihil proficere poſſe, facilè intelligunt. Quod qùum duobus primarijs Archihæreticis, Luthero VVittenbergæ, in ſacrario circa puellã arreptitiam, & Caluino Geneuæ, circa Matthiam è viuo mortuum factum, infauſtè accidiſſet, minimè mirum videri debet, ſi cæteri minorum gentium dij, vel hoc attentare poſtmodum auſi non fuerint, vel attentantes, ridiculum exitum habuerint.

In adiuratione dæmonũ qua[m] nihil valeant.

Frideric. Staphylus in Apol. para. & vita Caluini galli[c]a.

In tertio genere quod inuocationis eſt, vel orando, vel laudando Deũ, ſi nullam hodie hæreticorum Religionem eſſe dixero, iniuriãm illis fortaſſe luculentam feciſſe, etiam multorum hic iudicio, videri potero. Verumenimuerò audacter dico, & euidenter oſtendam, nec in hoc genere vllam hodie prorſus Religionẽ illis eſſe. Primũ ergo in laudibus diuinis, ſeu pſalmodijs quas exercent, quæ obſecro religio, quæ reuerentia, quis cultus diuinus eſſe poteſt, dũ promiſcuè omnes, vtriuſque ſexus, omnis ætatis, omnis ordinis homines, idque ad maiorẽ deſpectũ, & minorẽ reuerentiã, imò aperto ſacrilegio (quia totius Eccleſiæ Dei formæ hoc modo ſe data opera opponũt,) vulgari & prophana vernacula lingua cãtillant

Nulla religione Deum inuocant.

omnes,& cantitant? Non *illæ ſuaue ſonantis Eccleſiæ voces* ſunt, quæ iuſto modulamine; & religioſo concentu,à ſacris viris ad hôc initiatis & inſtitutis pronuntiatæ, Auguſtinũ nondum Baptizatum ad lachrimas Mediolani acriter commouerunt,vt ipſemet narrat; ſed qualem deſcribit hæreticorum ſui temporis conuerſationem Tertullianus, *futilis hæc eſt, terrena, humana, ſine grauitate, ſine diſciplina*, cantillatio: quis initiatus, quis laicus incertum eſt: *pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant*. Hæc ille in præſcriptio. Deinde ſi aliquo certo concentu hoc fiat, mutuaque pſalmorum decantatione, vt in Catholica, damnant hoc puriores euangelici, vt apud nos Puritani: qui hunc in modum pſallere,aiunt eſſe non pſalmos in Dei laudem decantare, ſed verſiculos Propheticos in modum pilarum, hinc inde verſare & iactitare. Porrò vt ab hac pſalmodia, omnẽ prorſus religionem abeſſe ſui intelligant, diligenter & diſertè cauent; primum ne præter publicam pſalmodiam quicquam orent, deinde ne inter pſallendũ genu flectant: & vt tota illa pſalmodia,& oratio quam breuiſsima fiat,iuxta VViclephi veterem inſaniam; euangelicæ verò vel prædicationi, vel lectioni, potiſsimum tempus,totaque attentio tribuatur:denique ne preces publicæ,in omnibus Eccleſijs quoad formam & tempus ſint pares,

Con.lib. 9.cap.6.

Cãtiones contra religioſam pſalmodiam. VVald. de Sacram. tom.3. tit. 3.

pares, ſed vt libertate ſuâ vtatur Eccleſia quælibet. Hoc enim totum docet diſertè Confeſsio Heluetica, à quam plurimis Eccleſijs Caluinicis approbata, cap. 23. & vſus Anglocaluiniſtarum ex parte oſtendit.

Poſtremò, ne vlla ratione hic modus orandi Deum, pro actu religionis habeatur, docet diligẽter Flaccus Illyricus. *Orationem ipſam quatenus eſt ſupplex petitio, nõ eſſe propriè opus bonum, ſed meram mendicationem ſtipis apud diuitem: quam* (inquit) *quomodo pauper aliquis, ſuum eſſe bonum opus erga diuitem dicere auderet?* Hæc ille in Claue Scrip. pa. 2. tra. 6. in tit. de varia operum præd. Cuius ſententia ſi aliquid veri haberet, eodem argumento fides Lutherana, nõ eſſet bonum opus. Illa enim eſt quaſi mendica manus, qua promiſsio gratuita oblata, accipitur vt ipſemet definit Illyricus. Sed vt ad rem redeam quando aut quo tandem modo iſti homines orationem & inuocationem diuini nominis pro actu Religionis exercere, & per eam Deum colere exiſtimari poſſunt, qui ne quidem bonum opus, hoc pietatis genus eſſe, aſſeueranter docent? Imò quorum etiam doctrina eſt, pro remiſsione peccatorum orationes nihil facere, vtpotè quam ante omnem orationem per fidem adepti ſumus; adeoque certitudine fidei illam tenemus? Planum eſt nihil eos ne in ipſa quidem diuini nominis inuocatione religionis ponere. In claue Pag. 1.

Hanc ſanè ob cauſam (vt multa paucis cõplectar) & feſtorũ frequentiã accuſant ac tollunt, & ipſa feſta (in quibus *ipſi Deo beneficiorũ eius dicamus ſacramúſque memoriam*, ait Augu.) nulla ſolennitate, minore deuotione peragunt; & ieiuniorũ rigorẽ quæ ad celebrationem feſtorũ debitã nos diſponunt prorſus condẽnant; & orationũ aſsiduitatẽ quæ propriè in feſtis exercetur, diabolicè ſubſannant. Quibus tamen duobus ieiunijs & orationibus, Anna dicitur *ſeruijſſe Deo in templo* (λατρεύσαι) noctè *ac die*. Nulla ergo prorſus in vniuerſo externo diuini numinis cultu apud horũ temporum hęreticos religio eſt, nulla reuerẽtia, Dei Opt. Max. honor nullus

De ciuit. Dei lib. 10. cap. 4.

Luc. 2.

Et quid mirum eſt, Auditores, nullã apud hos homines prorſus in externo cultu religionem eſſe, quorum hominum certa, conſtans, & manifeſta doctrina eſt, ſola fide Deum coli, honorari, glorificari, ſolã fidem plenam eſſe & conſummatam pietatẽ, ſola denique fide nos Deo placere, iuſtificari, ſaluos eſſe? Sic enim à ſuo Luthero didicerũt, qui in lib. de libertate Chriſtiana hæc ſingula à me commemorata, multaque alia in laudem ſolius fidei confidentiſsimè ſed impudentiſsimè docuit. Hæc enim certè cauſa eſt, quod de reliquo toto cultu nihil penſi habentes, bonorum operum nullam penitus rationem ducentes, Apoſtolicum illud de operibus miſericordię, quod *talibus hoſtijs* *prome-*

Quare apud hæreticos hodie nulla ſit religio.

Heb. 13.

promeretur Deus, itemq́ue illud, *vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrum*, ſurda vel incredula potiùs aure accipientes; ſoli autẽ fidei incumbentes, ac ſola fide promereri, placari & coli Deum ſibi perſuadentes, nullam prorſus, ne ſimulatam quidẽ Religionem retinuerunt. Rom. 12.

Ac de religione quidem ſeu cultu diuinò ex parte Dei ipſius hactenus. Nunc neque Deum in ſuis vllo modo hos homines colere, quam breuiſsimè potero oſtendã. Video enim exhauſtam pene clepſydram, & elapſum dicendi tempus. Hæretici ergo hodierni Deum in ſuis, neque Angelis, neque Sanctis, neq; miniſtris ſuper terrã, ſeu ſpiritualibus, ſeu ſecularibus colunt: ſed in his omnibus Dei maieſtatem inhonorant, violant, blaſphemant. Angelis & Sanctis pariter nec honores deferunt, nec preces offerunt, nec illam quam habent rerum noſtrarum, vel cognitionem, vel curam concedunt: ſed hęc omnia negãdo, irridendo, damnando, omnem quoque in hoc genere cultum, honorem, & venerationem illis debitam prætermittunt. Omnẽ *Religioſam ſolennitatẽ qua populus Chriſtianus memorias Martyrum concelebrat* (vt antè annos 1200. ſcribit Auguſt.) negligunt. Atque vtinam hac ſola negligentiæ culpa tenerentur, vtinam memorias & monimẽta ipſorũ impiè nõ ſubuerterent, vtinã reli-

Hæretici hodie Deum in ſuis non colunt.

Contra Fauſtum lib. 29. cap. 21.

quis eorum ſanctiſsimas, & corpora thaumaturga ſummo ſacrilegio, & Barbarie pluſquam Turcica propolam non cōburerent, vel etiam in cloacas & ſentinas non proiicerēt. Quod in Gallia & Turonis circa S. Martini, & Pictauij circa S. Hilarij, & Lugduni circa S. Irenæi oſſa, & Reliquias, Barbari Hugonotæ fecerunt. Ac S. quidem Irenæi caput in Cloacam publicam proiectum, ac à plebeio quodam Catholico inde clam ſublatum, poſteaque Eccleſiæ reſtitutum, ante triennium Lugduni læti vidimus, ac religioſè venerati ſumus.

Miniſtris Dei in terris ita parum deferunt, vt ordinē Eccleſiaſticum vniuerſum cōculcent, potiùs quam contemnant; Sacerdotes verò Dei altiſsimi ſacrificare & mactare, hoc demum religioſum eſſe, & præclarum Deo obſequium arbitrētur. Supremum autem Patrem Patrum, Chriſti vicarium, & Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſorem, & vnicum nunc in orbe Chriſtiano Sedis ApoſtolicæEpiſcopum reliquum, adeò parum religiosè colunt & obſeruant, vt magnum illum Antichriſtum hanc perſonam eſſe, ore ſacrilego ſed ſtolidiſsime proclamēt. Notiora ſunt hęc omnia, quàm vt vlla probatione aut demonſtratione egeant.

Sanctos Patres & doctores Eccleſiaſticos (nā quòd ſcholaſticos etiā doctores vilipen-

lipendant,inſcitiæ potius & ignorantiæ horum hominum,quàm arrogantiæ & irreuerentiæ imputauerim) ſed Doctores Eccleſiaſticos, nobiliſsima Eccleſiæ Chriſtianæ lumina,quorum ſcripta legerunt,eruditionem agnoſcunt,pietatem non ignorant; ea tamen ſacrilega temeritate, (quùm apertè ſuis dogmatibus eos aduerſari vident) reijciunt prorſus ac reſpuunt,deſpiciunt atque contemnunt, damnant denique, vt eos non ſolum, *vt homines errare potuiſſe atque erraſſe*, non ſolum *ſeculi ſui contagio aliquo aſperſos fuiſſe*, non ſolum *næuos & ſtipulas ſanè doctrinæ admixtas habuiſſe* affirmauerint (quæ priores fuerunt & moderatiores Sanctorum Patrum reprehenſiones à Melanchthone, Muſculo, alijſque mollioribus Lutheranis prolatæ) ſed etiam *Iudaiſmi affectationem*, *ethniciſmi ſuperſtitiones*, *& cæcitatem*, denique *frigidam & deformatam Theologiam*, *ex lacunis Philoſophorum depromptam* poſteris ſuis tradidiſſe, ac poſtremò, omnes ad vnum in quibuſdam primarijs fidei dogmatibus, *planè cæcutiſſe, totáque vita errantes, niſi antè mortem reducti fuerint, neque ſanctos, neque Eccleſiæ membra fuiſſe*, neſcio maiori ne impudētia an impietate ſcripſerūt. Sic enim in Caluini Inſtitutione, in Magdeburgenſium Centurijs, in Lutheri lib. de ſeruo Arbitrio legimus. Nec in genere tantùm ita S. Patres taxare, vilipendere & cōdemnare audent, ſed & ſingulos Patres ſin-

Mel. & Muſ.in loc.com.

Cal. Inſt. lib.4.c.18, par. 11. & in tra. de ſcandalis.

Luther.in lib.de ſeruo arb. Cent 4. cap.6.

Magde. Cen. 3. Heſhuſius in lib.de ſeru arb. Cal. Inſt. lib.4 cap. 15. & in minor. Prophe. gulis iniurijs, opprobrijs & maledictis afficiunt, onerant, lacerãt. Et Cyprianus quidé Mõtaniſat, Chryſoſtomus Origeniſat, Auguſtinus argutulum & ſophiſtã agit, Hieronymus Manichæum ſapit, & nuptiarum hoſtis eſt. His illi præcipuos Patres emblematibus ornant & titulis condecorant. Hac illi veneratione & religione ſanctiſsimos illos viros, Dei miniſtros, Eccleſiarũ magiſtros proſequuntur. An verò nihil hac in re cõtra Religionem ſeſe peccare exiſtimant? Meminerint igitur quod Saluator dixit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit:* & iterũ veteri populo Deus. *Non te ſpreuerunt ſed me.* Nouerint etiã nõ alia de cauſa AEtium atheon vocatum fuiſſe, quàm quod Clementem, Africanum, & Origenem, antiquos Patres prorſus reiiceret, vt refert Socrates in hiſtoria. Quo etiã nomine diſcipulus eius Eunomius ἄθεος quoque à D. Hieronymo nuncupatur in Epiſt. ad Pamachiũ & Oceanum, contra errores Ioã. Hieroſolymitani. Quantò magis athei, ſine Deo ac religione vlla hi homines ſunt, qui tot ſeculorum Patres, qui Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt, impiè & ſacrilegè repudiant?

Luc. 16.

1. Reg. 8.

Lib. 2. cà, 88.

Concilia porro ipſorum Patrũ adeo patũ religioſè & reuerenter audiunt, vt illa planè omnia tã antiquiſsima quàm recẽtiora, nõ niſi ſuo priùs examini ſubiecta, vllo in loco habere velint. Sic enim de hac re tota pronun-

pronunciat Caluinus. *Nulla Conciliorum, Paſtorum, Epiſcoporum nomina nos impedire debent, quo minus omnes omnium ſpiritus ad diuini verbi regulam exigamus, & verbo Domini examinemus, ac probemus, num ex Deo ſint.* Hæc ille: ſatis opinor pro imperio hæretico, ſed longè profectò à ſobrietate, pietate, religione Chriſtiana atque Catholica. Inſtitut. lib 4. cap. 9. par. 12. &c. 9.

Sed quid de Patribus atque Cõciliis horum hominum religionem irreligioſam notamus? Ipſos Apoſtolos aliquid præter Chriſti viua Oracula loquẽtes, garrire ad libitũ, & fines ſui mandati excedere, ſcribere non erubeſcunt. *Nempe* (inquit Caluinus) *ſi Apoſtoli ſunt ne garriant quicquid collibitum fuerit, ſed mandata eius à quo miſsi ſunt, bona fide perferant.* Sanè quàm reuerenter & Religiosè de Apoſtolis loquitur: & ſi Paulo aſtitiſſet dicenti: *Cæteris ego dico, nõ Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam*: mòxque de vidua, *beatior erit ſi ſic permanſerit ſecundũ meum conſilium. Puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam*; bonus (opinor) iſte & religioſus Caluinus, pro religioſo ſuo in Deum zelo, officij ſui hunc Apoſtolũ quam primum monuiſſet, ac dixiſſet: Si Apoſtolus es, ne garrias quicquid collibitũ fuerit, ſed mãdata eius à quo miſſus es, bona fide perferas, memineriſque (hoc enim in Calu. ſequitur loco citato) *clara Chriſti verba quibus legationẽ tuam terminauit.*

Contumeliæ Caluini in Apoſt. Inſtitut. lib. 4. cap. 8. par. 4.

1. Cor. 7.

 quum

Mat. 28. *quum collegis tuis mandaret vt irent ac docerent omnes gentes quæcunque præceperat.* Hac opinor religione Paulum correxiſſet Caluinus, qua ſanè omnes Apoſtolos corrigit, ferulæq́ue ſuę ac virgulæ Cenſoriæ ſubijcit: ſi quid forte docere audeant, quod viua voce Chriſtus eis non mandauerit.

Blaſphemia in Spiritum ſanctum. Inſtit. lib. 4. cap. 8. par. 8.

Sed vt hoc totum minus ægrè feramus, etiam ipſum Spiritum S. homo ſacrilegus in ordinem redigit. Ait enim. *Illa reſtrictio attentè notanda eſt, vbi partes Spiritui ſancto aßignat Chriſtus, ſuggerere quæcunque ante ore docuit.* Hęc ille: docens propterea neque ipſum Spiritum Sanctum aliud poſſe aut debere Apoſtolos & Eccleſiam deinceps docere, quam quod Chriſtus ipſe ore & viua voce in terris exiſtens docuerat. An verò huic irreligioſitati aut ſacrilegio quicquam adhuc reliquum eſſe, aut vel minimam religionis micam horum hominum doctrinæ ſupereſſe exiſtimare poſſumus?

Ne Chriſtum quidem reueretur Caluinus.

Ita ſanè dixerit quiſpiam. Nam Chriſtũ ſaltem reueretur & ad Chriſti Domini Maieſtatem aſſerendam, hæc de Apoſtolis & Spiritu Sancto, etſi parum prudēter ac piè, quadam tamen erga Chriſti verba & doctrinam religione tactus dixiſſe Caluinus videri poteſt. Sed videte nũc Auditores, ne Chriſti etiam verba reuereri quicquã Caluinum, quando contra ſe ſtare manifeſtè & apertè videt. Sic cõtra Lutheranos vrgētes ipſa

ipſa verba Chriſti,*Hoc eſt corpus meum*,ne tropum Caluini admittant, ſcribit Caluinus. *Vtcunque verborum Chriſti reuerentia tangi ſe quiritentur, quo minus figuratè intelligere auſint, quæ apertè ſunt dicta, non eſt tamen hic ſatis iuſtus prætextus, cur omnes quas contra obijcimus rationes ita reſpuant*. Hæc ille. Videre clarè huius hominis religioſam reuerentiam verborũ Chriſti. Vult contra Chriſti verba *vtcunque apertè dicta,ſuas quas contra obijcit rationes audiri*. Non vult *Religionem verborum Chriſti ſatis iuſtum prætextum eſſe, cur rationes ab ipſo prolatæ reſpuantur.* Non vult denique *verborum Chriſti reuerentia tangi* Lutheranos, ſed rationum potius & argumentorum quæ ipſe adfert Authoritate ac pondere moueri. Hæc eſt Caluini, hæc eſt hæreticorũ hodie erga Dei miniſtros in terris ſpirituales, erga Patres, erga Cõcilia, erga Apoſtolos, imò erga S. Sanctum & Chriſtum ipſum, reuerentia, cultus, religio.

Inſtit. lib. 4. cap. 17. par. 20.

Rom. 13.

Minus nunc miremini, Auditores, ſi ſæcularibus Poteſtatibus, ſi Principi, ſi magiſtratui, ſi Regibus & Ducibus ab eo miſſis paſsim horum temporum hæretici reſiſtunt, paſsim rebelles & ſeditioſi exiſtunt, vbi ſuis dogmatibus aduerſos eos habent, vt clades Germanicæ, Pugnæ Helueticæ, Geneuenſis rebellio, bella Gallica, tumultus præſentes Belgici, toti orbi notiſsimum faciunt (qua etiam in re quàm nulla reuerentia *Dei miniſtros qui non*

fruſtra gladium portant, proſequuntur, quàm iterum irreligioſè *Dei ordinationi reſiſtũt*, ſatis oſtendunt) poſtquam ſpiritualem omnem in terris poteſtatem penitus contemnere ac vilipendere, ſanctos Patres repudiare, Concilia ad examen ſuum vocare, ipſos Apoſtolos, ac (proh blaſphemia) Spiritum S. verum Deum in ordinem redigere, denique ipſius Chriſti Domini verba ſuis rationibus ſubiicere, ſcelerati homines & furca digni, non ſunt veriti.

Veteribus hæreticis noſtri hodie audaciores, & quare.

Veteres itaque hæretici magna ſanè ex parte religionẽm Chriſtianã contaminarũt, magna temeritate & impudẽtia circa fidei myſteria verſati ſunt. At noſtri hodie omnẽ & religionem exuiſſe, & pudorem abieciſſe videri poſſunt. Quæ enim cæteri, aliquâ ſaltem Religione tacti violare aut negare non ſunt auſi, ea noſtri hodie perfricta ad omnẽ audaciam fronte, & violare, & negare, & damnare nihil formidarunt. Pelagiani *non audebãt exorciſmos & exufflationes in baptiſmo aperta improbatione reſpuere*, ait Aug. At quis neſcit à noſtris hæreticis iſta duo etiam derideri? Donatiſtæ *nullo modo audebant fateri Eccleſiam Cypriani tẽpore, aut ante Donatum natum periiſſe*, vt idem cõmemorat Auguſtinus. Noſtri hodie multò audaciores, etiã ab Apoſtolorum temporibus eam defeciſſe, multiſq; ſuperſtitionibus & erroribus contaminatã fuiſſe affirmare non verentur. Ijdem Donatiſtæ

Epiſt. 105. & de pec. orig. lib. 2 ca. 40. De vnico bap. cap. 14.

Primò quidem frangebant, poſtea tamen languente furore, vel remouebant, vel radebant altaria quaſi traditorum ſacrificijs polluta: ſed tollere, ſubuertere, nõ audebãt, quòd noſtri hodie paſsim fecerunt hæretici. Nõ audebant ijdem *legitimum Miſſæ*, id eſt, Canonem mutare. Noſtri non illam partem mutare, ſed totam liturgiæ Catholicæ formam ipſumque ſacrificium abolere voluerunt. Arius quantumuis inſanus & proiectus hæreticus, *baptiſmi tamẽ formam propter nimis apertam tranſgreſsionẽ, mutare non eſt auſus;* ait Theodoretus. Noſtri hodie & huius Sacramenti antiquiſsimas ceremonias, & aliorũ Sacramentorum tam formas quàm materias penitus ſuſtulerunt. *Origenes veritus conſuetudinis robur, pias voces emiſit de Spiritu S.* ait S. Baſilius. Conſuetudinem autem intelligit *glorificandi modum*, vbi gloria cantatur Patri, & Filio, & Spiritui S. At Eccleſiæ conſuetudines nihil hodie morati hæretici, omnem ferè glorificandi Deum modum ac formam, omnẽ cultus diuini rationem immutarunt: idque pro ſua religione ſolùm & maximè cauerunt, ne quicquam cũ Eccleſia Dei in cõuentibus illis ſuis ſchiſmaticis & orandi formis cõmune haberẽt. Vnde verò hoc totũ, niſi quia cæteris olim hæreticis aliqua ſaltem religio inerat, noſtris hodie eſt nulla? Niſi quia cæteri nõ omnem penitus pudorem aut Eccleſiæ Dei reuerentiam exuerant, noſtri verò ne pilum quidem

Optatus lib. 6. cõtra Parm.

Hær fab. lib. 4.

Lib. de Spiritu S. cap. 29.

quidem boni Chriſtiani haberi volunt?

Epilogus. Quamobrem vt finem dicendi faciam, veſtraque patiētia (Auditores ornatiſsimi, & humaniſsimi) amplius nō abutar, quum in hæreticis horum temporum nullus ſit diuini numinis cultus, iuxta proprios religionis actus in genere & natura ſua acceptos; quum ab interno cultu eorum quidem doctrina abhorreat, externum verò in corporali adoratione prorſus vt vanum & ſuperſtitioſum irrideant, in ſacrificio autē & voto, omnibuſque eò pertinentibus, (quibus Deo in cultum exhibemus & ſiſtimus quæ ab eius bonitate accepimus,) penitus tanquam idololatricum & ethnicum aboleuerint, proculcauerint, damnauerint: in tertio demum genere quo in diuinum cultum ea aſſumimus quæ Dei ipſius ſunt, vel ab ipſo inſtituta, nec vllis Sacramentis Deum colant, nec eius ſanctiſsimum nomē in vllum religionis actum aſſumant, ſed variè & deteſtandè prophanent; non in laudibus diuinis, non in publicis precibus, nō in feſtorum ſacra ſolennitate, vllam religionis partem ponant, poſtremò quum Deum neque in Angelis vel Sanctis ſuis, neque in miniſtris & vicarijs eius ſuper terram ſeu ſpiritualibus ſeu ſecularibus, reuereantur, venerentur, colant; profectò, quod initio dixi, abſque omni exaggeratione & amplificatione, verè & ſimpliciter affirmandum & conclu-

concludendum eſt, in horum temporũ hæreticis nullam prorſus religionem eſſe, nullum diuini numinis cultum, reuerentiam, honorem nullum.

Quæ quum ita ſint, iterum atque iterum expendite Auditores Chriſtiani, (per Chriſtum Ieſum, & per ſalutẽ omnium veſtram vos oro atque obſecro,) expendite inquam quo demum loco habere, quanto ſtudio, quanto conatu cauere, deteſtari, fugere debeatis, teterrimas haſce & certiſsimas animarum noſtrarum peſtes, ne dicam & corporum & fortunarum & vniuerſi fundi noſtri calamitatem, ſiue Martiniſtæ, ſiue Caluiniſtæ, ſiue Geuſij, ſiue Hugonoti, ſeu quocunque tandem nouo ideoque parum Chriſtiano nomine vocentur, de quibus videlicet, ex his quæ diximus iam clarè conſtat, primum eſſe illos veriſsimos & proximos Antichriſti præcurſores, quoſque ſeducunt, ad Antichriſtum recta ducere, deinde nullam apud eos certam, & conſtantem doctrinam eſſe, quàm certò amplecti poſſet qui ad eos ſe recipere vellet; poſtremò nullam in illis prorſus Religionem eſſe qua Deum colant, qui ſub eorum auſpicijs Deo militare volunt.

Dixi.

ORA-

ORATIO FVNEBRIS IN LAVDEM FRAN. RICHARDOTI

Reuerendiſsimi, Epiſcopi Atrebat. ex mandato Senatus Academici publicè habita apud Dominicanos Duaci, menſe Auguſto. 1574.

Oratio Funebris Academica 31.

QVEM in rebus omnibus quaſi circulum, & periodum natura poſuit, vt à paruis initijs exorta vnaquæque res, ita certis gradibus, atque veſtigijs, incrementum capiat, vt ad iuſtam demum perducta mēſuram, decreſcat poſtea, ac eiſdē gradibus ad interitum tendat, idem & in artium quoque, ac ſcientiarum omnium diſciplinis, idem & in ciuitatum, Rerūpubli. atque Regnorum origine, progreſſu & exitu, accidere quum ſoleat (Magnifice Domine Rector, Ornatiſsimi, & humaniſsimi Auditores.) nō minus profectò hodierni luctus memoria ſollicitos, quàm eius cauſa mæſtos nos omnes atque afflictos tenere debet. Etenim celeberrima hæc Academia Duacena, à paruis initiis ad ingentem ſplendorem euecta, & vix dū adulta maxima ſui incrementa paruo momento nacta, his poſtremis diebus, & quidem vnius anni curriculo, variis detrimentis ſic afflicta; magnis ornamentis

ſic

ſic ſpoliata; ſubſidiis & adiumentis maximis, paulatim, & certis quaſi gradibus ſic orbata fuit; vt non tam hæc præſens iactura, quæ tamen eſt grauiſsima, mœrorem adferre, quàm imminentis adhuc acerbioris cuiuſpiam caſus, metus & ſollicitudo, anxios nos tenere poſſe videatur. Tanta enim certè adoleſcentem,& florētem egregiè Academiam iſtam, de repentè mala cæperunt, & eo quidem ordine veteribus noua continuò penè ſucceſſu acceſſerunt, vt ſi præpotens Deus, piis placatus precibus, perpetuis his malis finem non imponat, & irruentibus in nos fluctibus repagulum non iniiciat, ſed cæptum ea curſum tenere permittat; formidare meritò omnes debeamus, ne qua celeritate feliciter breui momento creuit, eadem infelici exitu ad immaturum interitum citius tendat.

Neque enim adhuc annus eſt, quòd duos præſtantiſsimos viros, & huius Academiæ alterum quidem ornamentum ſingulare, alterum præſidium ampliſsimum Cancellarium Galenum, & Abbatem Lentalleriū Orat. ſeq. nobis ereptos luximus,& oratione funebri, pro Academiæ in eos ſtudio condecorauimus. Acceſsit hodie tertius, vnus ſanè qui Academiam iſtam,& eruditione,ac virtute plurimum ornauit,& authoritate,ac gratia vehementer promouit, Franciſcus Richardotus,

doctus, Reuerendiſsimus nuper Atrebatẽſis Epiſcopus, pariter nobis his diebus ereptus, qui vt graſſantis huius mali, quo Academiæ tot columina, vno ferè momento eripiuntur, cumulum auxit, ita ne grauius adhuc idem malum graſſetur, metum iniicit.

Etenim cùm nullum malum ſolum veniat, & ſemel irritata fortuna, nõ facilè denuò arrideat, ſed inclinantẽ ad ruinã, ac nutantem porrò impellat, ac precipitem crudelis agat, fit ſanè, vt funeſtos interdum, & fatales (vt cum vulgo loquamur) annos diuinæ prouidentiæ iuſta moderatio inferat, nec ab infligendis pœnis (quum ſemel cæperit) prius deſiſtat, quã ad purum excoxerit & ſordium fœces omnes penitus abſterſerit. Quo in genere grauiſsimum eſt illud, ſatiſque frequens & vſitatum, quod per Prophetam facturum ſe Deus ſubinde

Eſaiæ. 3. comminatur, dicens: *Ecce Dominator Dominus exercituum, auferet à Ieruſalẽ & à Iuda,* (ab Eccleſiaſtica & ciuili Repub.) *validum & fortem Iudicem, & Prophetam, Hariolum, & ſenem, honorabilem vultu & conſiliarium, ſapientem de archi-*

Paulus Iouius hiſt. lib. 26. *tectis & prudentẽ eloquij myſtici.* Siue enim præteritos iam dudum annos recolamus, & vel ad annum illum ſupra ſeſquimilleſimum vigeſimum ſeptimum, toti Italiæ ab atroci, terribilique armorum ſtrepitu, ab inuſitata frugum penuria, à peſtilenti cæli atque aëris

aëris inclementia, ſupra omnes, quorum patres noſtri meminiſſent, maximè dirũ & pernicioſiſsimum, oculos coniiciamus; ſiue propiora & domeſtica inſpiciamus; & anno quidem 58. vnâ cũ potentiſsimo Monarcha Imp. Carolo 5. tres præterea Reges, Ioannem Luſitaniæ, Chriſtianum & Chriſternũ Daniæ, quatuor verò Reginas, Eleonoram Franciæ, Bonam Poloniæ, Mariam Pannoniæ, & alteram Mariam Angliȩ, vno ferè momento ſublatas meminerimus, vt taceã quatuor Principes Electores, Moguntinũ, Treuerenſem, & Colonienſem Archiepiſcopos, atque Otto Henricum Comitem Palatinum, Ducem quoque Venetorũ, eodem etiam anno 58. defunctos, anni verò 60. vnum menſem, qui duos Reges Franciſcũ 2. Galliæ, & Guſtanum Suediæ, Erneſtum quoque Bauariȩ Ducem, & Michaelem Archiepiſcopum Saliſburgenſem, magnos Imperij Principes è medio ſuſtulit, ad memoriam reuocemus; profectò diuinȩ indignationis, & proiecti ad vindictam brachij, maximum argumentum eſſe debet, & adhuc extenſæ manus eius, iuſtam formidinem iniicere meritò poſſunt, quòd nec vnius adhuc anni elapſus curriculus, in hac mediocri Academica Repub. tres maximas columnas Matthæum Galenum, Cancellarium doctiſsimum atque grauiſsimum, Ioannem Lentalerium, Abbatem optimum &

Magni Principes breui tempore defuncti.

munificentiſsimum, Franciſcum Richardotum, vt Epiſcopum celebratiſsimum, ita huius Academiæ parentem, Mecœnatem amantiſsimum, & ſtudioſiſsimum, è viuis eripuerit. Vt ſanè non ſolùm ſtudiosè pro officio, ſed etiam prudenter, & grauiter pro rei ipſius dignitate, Academia fecerit, hoc publico indicto conuentu.

In quo quidem nō minus pro Academiæ ſalute, apud diuinam clementiam ſupplicari, vt qui funeſtus fuit hactenus, & multis nominibus calamitoſus nobis annus, placato piis precibus cæleſti numine, felicior exeat, & inferendis malis finem imponat, quàm pro ipſius Richardoti meritiſsimo honore ex hoc loco dici voluit. Atque illud quidem alterum, quia omnibus, commune eſt, ego ſanè & Academiæ nomine, & meo quàm poſſum maximè, & enixiſsimè vobis omnibus commendo. In omnibus enim his non eſt auerſus furor Domini, ſed adhuc
Eſaiæ 9. manus eius extēſa. Alterum verò quod mei muneris proprium eſſe, Senatus Academicus voluit, fauente Deo & veſtra omniū humanitate fretus, aggrediar. Quanquam ſanè ne multas ob cauſas, & mihi non parū difficilis, & vobis minus iucunda hæc futura ſit oratio, eſt quod meritò formidē. Etſi enim nihil facilius quàm de Franciſco Richardoto dicere, in quo vno homine ornando, ars & natura certamen iniiſſe videri poſſunt,

(ſic

(ſic & artium omnium adiumentis, & naturæ dotibus ſingulis pleniſsimè inſtructus fuit,) vt tantarum virtutum iucunda eſſe debeat, & grata recordatio, tamẽ tùm maximarũ rerũ tãtam varietatẽ breui oratione cõplecti, quaſiq́ue Homeri Iliada nucleo incluſam tenere, tũ de rebus paſsim notiſsimis agere, & in noſtra ipſorum calamitate deſcribẽda verſari, (quantò enim magis Richardotum laudamus, tantò nobis excellẽtius bonum ereptum oſtendimus,) non immeritò pertimeſco, ne & illud mihi futurũ ſit difficillimum, & hoc veſtris auribus parũ gratum. Verùm enimuerò hanc geminã difficultatem, veſtra & æquitas, & prudẽtia facilè ſuperabit: ſi & me leuiora prætermittentem, grauiora quædam ſuccinctius percurrentem, paucis verò rebus grauiſsimis, & maximis, paulò diutius immorantem, ęquanimiter audieritis: & erepta nobis, vel potius ab authore ſuo, repetita in vno homine tot pariter bona, prudenter tuleritis. Eo autẽ ordine hæc noſtra feretur oratio, vt primo quidem loco quis vir ante & extra Epiſcopatum fuerit; deìndè qualem ſe in Epiſcopatu geſſerit; tertiò, ac poſtremò, huic Academiæ qualem ſe exhibuerit, quãtumq́ue hæc illi debeat, oſtendatur. Quæ ſingula dum pertracto, vos quæſo diligẽter, quod facitis, attendite.

Itaque vt infantiam omnẽ, & primã illã ætatem *Narratio.*

ætatem prætermittam, cuius quidem res geſtæ inditia magis virtutum ſunt, eaque ſæpenumerò fallacia, quàm iuſta laudis argumenta; virum iam, & adultum factum Richardotum noſtrum inſpiciamus, & quibus ille gradibus ad ſupremum hunc diſciplinarum, virtutum, atque honorum apicem cõſcenderit, conſideremus. Sanè vt ex ephebis iam exceſsit, & ſui iuris factus, virtutis ſuæ argumenta prębere cæpit, tanto literarum exarſit amore, tanto diſcendi flagrauit deſiderio, vt ſæpenumerò ne prandens quidem, à libris potuerit adoleſcens reuelli. Quum autem & deſiderio reſponderet ingenium præſtantiſsimum, nõ deeſſent ſubſidia literaria, adeſſent magiſtri optimi, potiſsimum ſtudiorum penſum ſacræ Theologiæ piè conſecraret, breui quidèm tempore (quid enim improbus labor non vincit?) ſacræ paginæ Myſteria, infatigabili ſtudio, & perpetua lectione perquiſiuit, didicit, tenuit: Patrũ vetuſtiſsimorũ, tam Grçcorum, quàm Lationorum volumina, ſedulò euoluit, in ſcholaſtica arena plurimum ſudauit, Philoſophorum veterum & exoticæ ſapientiæ adita penetrauit, linguarum cognitionem, Hebraicæ mediocrem, Grçcę & Latinæ accuratiſsimam adiecit, in eloquentiæ paleſtra feliciſsimè ſe exercuit, hiſtoriarum tam veterum, quàm recẽtium monimenta percurrit. His ille diſciplinarũ

omnium

omnium præſidijs, iam inſtructiſsimus, naturæ præterea dotibus preclarè ornatus, acumine ingenij ſingulari, facundia quadam admirabili, memoria tenaciſsima, peneque incredibili, vultus grauitate, & conſtantia, morum comitate ſuauiſsima, à natura imbutus, quia diu deliteſcere tanta lux aut otio torpeſcere tāta virtus non potuit: Anno ætatis viceſimo publicè Pariſijs Paulinas epiſtolas profeſſus eſt, frequentiſsimo auditorio maximaque omnium admiratione. Inde adhuc iuuenis in Italiam ſtudiorū cauſa profectus, Principibus viris ſic innotuit, vt eius conſortio, in quo tam multiplex eruditio reluceret, mirificè omnes delectarentur. De rebus enim omnibus ſic diſſeruit, vt inter Medicos rei medicinæ expertiſsimus, inter Iureconſultos, in iure ipſe conſultiſsimus, inter Philoſophos totus Philoſophus, (tametſi profeſsione ſemper Theologus eſſet) omnibus videretur. In Burgundiam natale ſolum ex Italia viſendæ matris iam decrepitæ cauſa piè reuerſus, eo tamen animo vt in Italiam ad ſtudia rediret, Bezuntij ab ampliſsimo viro D. Franciſco Bonnalotio, Abbate Luxouij honeſtiſsimis conditionibus retentus eſt. Moxque in amicitiam Nicolai Perenotti, Granuellani celeberrimi & prudentiſsimi viri aſcitus, illo authore, & eius auſpiciis, multis annis Bezuntij publicè docuit,

Docet Lutetiæ

Profitetur Bezuntij.

cuit, & reſtauratã à dicto Granuellano Academiã Bezuntinã, ſua ſedulitate plurimum promouit ſuo ſplẽdore mirabiliter illuſtrauit, ſuis denique humeris nutantẽ, ac labãtem penè ſolus ſuſtinuit. Ab illo munere ad maiora vocatus, vir planè ad maxima natus, ab illuſtriſsimo Cardinali Antonio Perenotto Granuellano, quẽ honoris cauſa nomino, tũ ad grauiora in cõcilio Religio obeũda munera euocato, ad Suffraganeatũ Atrebat. aſſumptus eſt. Quo munere præclarè functus, paulò poſt beneuolẽtia, & cõmendatione eiuſdem Illuſtriſsimi Cardinalis, à Rege Catholico in Epiſcopum Atrebat. cooptatus eſt: vt viro prudentiſsimo, multiſque nominibus longè celeberrimo, ſuffectus fuerit, vir ipſe & prudentiæ, & eruditionis, & veræ pietatis nomine commẽdatiſsimus, ac illo Epiſcopatus loco digniſſimus.

Epiſcopus Atrebat. factus.

Quo quidem in loco & munere, quã iſte Richardotus ſe geſſerit, quam temporibus planè difficillimis; hinc in ouile graſſantibus lupis, rapacibus hæreticorũ turbis, inde in ſuas ſuorũque ceruices, imminẽte externo hoſte, domi quoque rebus omnibus perturbatis: fame, bello, peſte, cęteriſque toti Belgio cõmunibus malis, & ipſam quoque Arteſiam, licet magis cæteris immunẽ, tamen in calamitatũ partem pariter inuoluẽtibus, quàm in iſtis omnibus malis prudenter

denter ſe geſſerit, quàm ſedulam ouilis curam habuerit, quàm conſtanter & intrepidè orthodoxam fidem, docendo, ſcribendo, concionando ſemper aſſeruerit, quàm nihil priſtinæ fortitudinis, vertutis, & animi remiſerit, &(vt vno verbo dicam,) quàm verè ſe Epiſcopum geſſerit, meminiſtis fortaſſe plerique omnes, ſed & eadam mecum hîc breuiter recognoſcere erit operæpretium. Summa enim hæc eſt & propria noſtri Richerdoti laus. Quòd enim vir eloquẽtiſsimus, & ad diſſerendum quauis de re, ex tẽpore paratiſsimus fuerit, quod ſummus & excellens Theologus extiterit, quod in omni diſciplinarũ genere, linguarũ & hiſtoriarum cognitione, nemini hac ætate noſtra (præclariſsimorum tamen ingeniorũ fæcũdiſsima,) inferior fuerit, plurimòs ſuperauerit, cõmune hoc fortaſsis illi eſt cum aliis doctiſsimis viris, inferioris tamen notę & ordinis hominibus. At verò Epiſcopi munus, hoc etiam rerũ articulo, præclarè geſſiſſe illud & ſumma laude dignũ, & aut ſoli Richardoto noſtro proprium, aut ei certè cum quàm pauciſsimis commune eſt. Probat enim magiſtratus virũ, & *vt corporis vulnera ſi atteras, prodit ſe dolor, & difficilius curantur: ita animi morbi ſi honoribus irritentur, & affluentibus rebus quaſi ſubminiſtrata materia accendantur, facilè ſe produnt & augentur magis:* vt planè argumentum ſit, qui in Magi- Chriſoſt. lib. 6. de Sacerd.

 ſtratu

ſtratu modum tenet & præclarè officium facit, aut à vitioſis affectibus vacuum animum ad Magiſtratum attuliſſe, aut animi vitia in ipſo magiſtratu, ſtudio & diligentia correxiſſe. Iſtud autem ſi in alijs functionibus verum eſt, tùm verò in Epiſcopali munere maximè locum habet. Eſt enim reuera (vt notauit in Apologetico Nazianzenus, & poſt eum in cura paſtorali Gregorius Magnus) *ars artium & ſcientia ſcientiarum, regimen animarum*. Nempe hominem regere omnium animantium verſutiſsimum, & vita & moribus diuerſiſsimum; in ijs porrò quæ ad Deum pertinēt, vt à natura ægrum, ita in curanda ægritudine difficillimum. Neque verò minor eſt in Epiſcopi perſona habenda ratio, quam in ipſo opere adeundus labor. Debet enim Epiſcopus non tantùm irreprehenſibilis eſſe, nulli ſceleri, nulli crimini affinis, ſed & multis præterea virtutibus ornari, quas diligenter Paulus ad Timotheum deſcribit, vt ſit videlicet, *ſobrius, prudens, ornatus, pudicus, hoſpitalis, Doctor*. Neque his etiam virtutibus mediocriter ornari Epiſcopum conuenit, ſed planè excellēter & ſupra cæteros quoſcunque. Sūt enim *lux mundi* vt præluceāt cæteris, ait Saluator: *exempla fidelium ſunt* (ait Apoſtolus) *in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate*. Denique *forma gregis ex animo*, vt monuit Petrus. Ex his autem omnibus & ſingulis, ſi quicquam

[Margin: Epiſcopale munus quàm difficilè. — Part. 1. cap. 1. — 1. Tim. 3. — Math. 5. — 1. Tim. 4. — 1. Petr. 5.]

quam prætermiſerit Franciſcus Richardotus, Atrebatum ſemel Epiſcopus factus, minimè eum à nobis laudatum hodiè exiſtimate. Sin verò illa vniuerſa cumulatè præſtiterit, quid huius viri laudi addi porrò queat, non opinor expectabitis.

Ac virtutes primùm quas flagitat Apoſtolus, ita in hoc præſtantiſsimo viro emicuerunt, vt planè hoc nomine lux fuerit mundi, exemplum fidelium, & forma gregis. Nam vt de ſobrietate nihil hoc loco dicam, quam perpetua victus moderatio, & mixta ſemper tum lectioni ſacræ, tum ſermonibus alijs grauiſsimis, menſa in qua ſemper aliquid doctum, ſubtile, accuratum dicere, vel audire voluit, ſatis ſuperque demonſtrat, vt de ornata vitæ honeſtate, quã admirabilis morum comitas ſatis declarauit: de pudicitia quam tota vita loquitur, nihil hic copioſius agam, cùm pleriſque extra functionem tam communes hæ virtutes ſint, de prudẽtia, hoſpitalitate, doctrina, virtutibus magis Epiſcopo proprijs, plenius dicendum arbitror. Enimuero quod in Epiſcopo vt difficillimum eſt, ita maximè deſideratur, ſic prudentia in rebus gerẽdis, & adminiſtrando hoc tanto munere valuit, vt quæ maxima prudentiæ Epiſcopalis pars eſt, nemo hoc viro felicius, atque facilius, ſingulis ſeſe hominibus commodum præſtiterit, nemini tamẽ aut turpiter adulatus,

Virtutes eius in Epiſcopatu.

aut cùm res ita poſtularet, correptionẽ debitam ſubtrahẽs: planè alter Paulus factus, omnia omnibus vt omnes lucrifaceret, varius quoque ac multiplex, non vtique diſſimulatione mutabilis, ſed accommodatione facilis, nec prætermittendo grauitatẽ, ſed exhibendo pietatem: omnino qualẽ deſcribit Chryſoſtomus, *Pontifex grauis & cordatus, ſed minimè factioſus; venerabilis, ſed humanus; conſpicienda quadam maieſtate Princeps omnibus tamen appellandis, comis & integer; officioſus denique ac humilis, ſed minimè ſeruilis; poſtremò acer & vehemens, manſuetus nihilominus & iucundus*. Talem Richardotum fuiſſe, omnes qui Richardotum norunt, probè meminerunt. Quòd quidem totum quantò difficilius fuit & ſtudij maioris tantò & pulchrius & laudabilius fuiſſe quis dubitat? Iam verò in monendo, arguendo, & corripiendo (quę altera prudentiæ Epiſcopalis pars eſt) ſic modum tenuit, & moderatum ſe præbuit, vt habita horum temporum planè infelicisſimorum ratione, *& canes in Eccleſia propter pacem Eccleſiæ interdum toleraret, & canibus ſanctum, vbi pax Eccleſiæ tuta erat, non daret.* Vt qui ab Auguſtino ſuo didicerat, *ſeueritatem exercendam in peccata paucorum, monendum verò, docendum, & ex ſcripturis comminandum, in multitudine peccantium.*

Lib. 6 de Sacerdotio.

Auguſt. de fide & operibus. cap. 5. Epiſt. 64.

Quod quidem ille quàm abundè, & ſedulò præſtiterit, mox dicemus. Hoſpitalem quoque

quoque ac benignum, non cupidum, non auarum eſſe vult Epiſcopum Paulus. Huius in Richardoto virtutis argumenta, ſunt frequentes Eleemoſynæ, non quidem vulgò & temerè factæ, ſed pijs, ac ſtudioſis, liberaliter impartitæ, menſa quoque non ſordida, nec magis quàm par erat, magnifica, nec cuiuis obuia, nec bonis vnquam negata. Solus certè, abſque Cleri teſtimonio, domi nunquam cibum capere ſolitus fertur. Sed tenuiora ſunt iſta, & quæ priuatos parietes rarius egreſſa, commendationem iſtam publicam minus deſiderent.

Ad illud venio, quod vltimo loco Apoſtolus poſuit, & quod tanquam maximè in Epiſcopo neceſſarium flagitat. Vult eũ eſſe doctorem, & (quod in Epiſtola ad Titũ addit) *amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Paratus quoque ſemper* (vt monet Petrus) *ad ſatisfactionem, omni poſcenti rationem de ea quæ in ipſo eſt ſpe, & fide.* Quo quidem in genere quam illuſtris & celebris hic noſter Richardotus extiterit, quantum & ſudauerit & effecerit, me ſanè tacẽte, omnes intelligitis, & vniuerſum Belgiũ cõpertũ habet. Etenim in diuini verbi prędicatione, & populũ pro cõcione docẽdo nemo Frãciſco Richard. magis aſſiduus, & laborioſus fuit, nemo maiore cũ fructu, & populi vtilitatę docuit. Quis enim hoc admi-

Tit. 1.

1. Pet. 3.

Quantus doctor & concionator fuerit.

admirabilem huius viri, & propè diuinam dicendi vim, in differendo vbertatem, in perſuadendo acrimoniam, in exhortando ſuauitatem, in deterrendo verborum fulmen, in tota oratione accuratam, & exquiſitam eruditionem, pro auditorum tamen captu & loci, & perſonarum ratione, non dico ſatis pro rei dignitate exornare & illuſtrare, ſed vel commemorando percenſere & enarrare queat? Sanè quemadmodum in dicendi vi, aureū illud Ioannis os facilè æquauit, vt in omnem partem, auditorum animos mirabili facilitate flecteret; ſic in doctrina ſana, ſiue hæreſim profligaret, ſiue orthodoxiam ſtabiliret, argumētorum ſoliditate fortiſsimum Auguſtinum: ſententiarum pondere & grauitate, ſuauiſsimum Ambroſium; verborum delectu & ſplendore, elegantiſsimum Hieronymum, pulcherrimè referebat; & ad viuum planè repreſentabat. Hoc ſanè orationis flumine, hac ſingulari facundia, ſeu latinè peroraret, ſeu in vernaculo pro ſuggeſtu ageret, (in vtroque enim ſic excelluit, vt ſi Gallicè declamantem audiſſes, literatas illas linguas, & exoticas neglexiſſe eum exiſtimares, ſi in Romanum ſonum lingua ſe verteret, Latinum totum diceres, ita nihil peregrini ſermo redolebat,) ſic in vtroque hominum affectus mouit, delectauit, docuit, vt non Atrebates tantū, ſed tota Arteſia, nec Arte-

Facundia eius incomparabilis.

ſia

ſia ſolùm, ſed vniuerſum Belgium, nec modò Belgium, ſed & Gallia, & Burgundia: quid partes dico? ſed totius Orbis clariſsima lununa Richardotum, hoc nomine in ſumma admiratione, & pretio haberent, mirificè eius dicendi ſuauitate delectarentur, maximam denique ex eius orationibus vtilitatem caperent. Quot ille & quam aſsiduas ſingulis penè Dominicis, aut Feſtis, domi cùm eſſet, elaboratas, & expolitas, planeque diuinas, apud ſuos Atrebates conciones habuit? Quis neſcit, in more hoc illi his iam poſtremis annis fuiſſe, vt in celebrioribus illis Quadrageſimæ, & Aduentus Dominici ferijs, in ſua paſsim Diœceſi, aut hîc (vt frequentius) Duaci, aut Bethuniæ, aut Armenteriæ, aliiſve in locis perpetuò concionaretur? Quanta ille cum laude, quo etiam fructu, quam ſæpiſsimè in Aula Bruxellenſi, in plenis Comitiis, & coram ſummis Principibus, ad hoc ſeriò & multũ expetitus, Diuini verbi ſemina ſparſit, & huius ſuæ incõparabilis eloquentiæ, Principũ animis aculeos infixit, veſtigia impreſsit, deſiderium reliquit? Nec minori cum eloquentiæ & eruditionis fama, & opinione iam à triginta annis, Lutetiæ Pariſiorum, è ſuperiori loco populum docuit. Quin & Louanij interdum, hortante Granuellano, ſic olim concionatus eſt, vt etiam doctiſsimorum ibi Theologorum animos, ad maximam

Aſsiduitas eius in dicendo.

ximam ſui admirationem, peneque ſtuporem concitaret. Bezuntij, verò in Burgundia, potenti hac ſua facundia, dura ſæpeque reluctãtia eius populi corda, ad literarum amorem incendit, & ſaxea penè atque ſilueſtria quum eſſent, ad diſciplinarum cultũ, tanquam alter Orpheus, inflexit. Denique in his locis omnibus, vbicunque ſerpẽtes & aſpides, hæreticos, & ſceleratos, inuenerat, non ſic obturare aures potuerunt, quin huius Vliſsis facundia, & voce, incantantis ſapienter ad ſaniorem mentem, & meliorem frugem, ſubinde plurimi reuocarentur.

In Concilio Tridentino quàm clarus extitit

Penè prætermiſeram, quòd in Sacro, & oëcumenico Cõcilio Tridentino, coram totius Chriſtiani Orbis luminibus, in doctiſſimorum, pariter & ſanctiſsimorum Pontificum, celeberrima corona, de collapſæ diſciplinæ reſtauratione, de orthodoxa veritate, verbo, & ſanguine tuenda, de Catholicæ Eccleſiæ maieſtate reparanda, de aliis multis rebus grauiſsimis, grauiſsimè, copioſeque diſſeruit: & omnium illorũ Patrum, in ſe ora, vultúſque conuertit, admirationẽ excitauit, beneuolentiam conciliauit. Quis verò maior, aut vberior, huius eloquentiæ ſuæ fructus expectari potuit, quã quòd hac aſsiduitate, & induſtria docendi in Catholica, & orthodoxa fide, ouile ſuũ (vndique lupis graſſantibus, & circumlatrantibus hæreticis) felicíſsime continuerit? Neq; verò

in publicis tantùm concionibus, (in quibus regnabat hic noſter Richardotus.) Doctoris munere præclarè functus eſt egregius hic Epiſcopus, ſed & præterea frequētibus Synodis Atrebati habitis, in Paſtorū, ac Sacerdotū ſuæ Diœceſis mores, ac doctrinam inquiſiuit, de officio paſtorali monuit, docuit, præceptis & legibus datis, inſtruxit. Editis etiā variis ſcriptis de Parochorū munere, de rebus hodie controuerſis, & Paſtores, & populū, & oues, & agnos, quia ſingulis adeſſe nō potuit, abſens docuit. Quotannis præterea, vt minimū ſemel gregē ſuū, paſsim per oppida & vicos, præſens viſitauit; quin & priuatim diſſerendo, ac perſuadendo, nonnullos ab hæreſi, ad Catholicæ matris gremiū, reuocauit: & errātes per deuia oues, in caulas reduxit. Verè bonus Paſtor, doctus Scriba, ſapiēs Architectus, fidelis paterfamiliâs, honorabilis vultu, & cōſiliarius, & prudēs eloquij myſtici, deniq; veneficus incantās ſapienter, verè Doctor in populo, potens exhortari in doctrina ſana, ſal terræ, lux mūdi, exemplū fideliū, forma gregis. Talis ac tantus Epiſcopus Richardotus fuit) Tales autē deinceps, vt optare debemus, ita ſperare vix poſſumus. Vix enim cū tanta eloquētia, tam ſolida & multiplex eruditio, aut cum vtráque tāta morum comitas, & laudatiſsima humanitas, in vno homine, infeliciſsimo hoc ſeculo reperiātur.

Ferè

Ferè enim aut loquutores egregij, eruditionem ſolidam, ſummis tantùm labris attingunt, multiplicem prorſus negligunt; aut ſolidè, & variè eruditi, eloquentiam vel cõtemnunt, vel ad eam nati non ſunt: plerumque verò, quibus hæc inſunt, vel vtraq; vel alterutrum, præpoſtero & ſtultiſsimo faſtu ſupercilium obducunt, tetrici & agreſtes fiunt. Denique vt hæc omnia vni homini cõcedantur, rariſsimè huiuſmodi ad Epiſcopatus locum euehitur. Poſtremò, vt vir tantus ac talis Epiſcopus fiat, otio plerumque ac inertiæ, beneficium nacti plerique ſe dedunt: concionandi, docendi, paſcendi munus pauciſsimi ſtrenuè per ſeipſos, adminiſtrant. Quanta ergo, quàm ſingularis, & planè diuina Atrebatenſis Diœceſeos, totius Arteſiæ, Belgij & Eccleſiæ Dei hactenus felicitas fuit, Richardotum Epiſcopum habuiſſe, virum vndequaque doctiſsimum, dicendi ac docendi vi incomparabilem, moribus ac tota vita longè humaniſsimum, atque ſuauiſsimum, laboris preterea ac ſtudij patientiſsimum, tantò hodierni luctus, atque obſequij huius publici grauior cauſa nobis omnibus, quotquot hic adſumus huius ouilis grex, data eſt.

Incredibile ſtudium in Academiam Duacenſem.

Venio nunc ad extremam orationis meę partem, in qua de rebus Duacenſibus agendum mihi video. Etenim vt vniuerſum quidem ouile ſuum, hic bonus Paſtor, & literatos

tos omnes, hic vir doctiſsimus mirè dilexit ſic Academiam Duacenam, in ſua hac Diœceſi feliciter collocatam, vnicè complexus eſt, & arctiori quodã amoris vinculo, & neceſsitudinis fœdere, ſibi copulandam duxit. Hanc ergo omnibus quibus potuit modis commendauit, ornauit, iuuit. Quid enim ille non tentauit, quibus vnquam laboribus pepercit, quam aliquãdo occaſionem prætermiſit, vt Vniuerſitatem Duacenſem, aut verbis ampliſsimis apud Principes viros ſedulò commendaret, aut docendo ac dicẽdo ornaret, aut ſubſidiis & eleemoſynis partim ipſe, pro ſatis mediocri fortuna ſua iuuaret, partim alios ad iuuandum ſubinde excitaret? Hanc nempè celeberrimam Academiam, vt hoc loco ſtatueretur, plurimum contendit, laborauit, perfecit Epiſcopus Richardotus. Hanc iam inſtitutam, in ipſa inauguratione, primiſq; Academiæ auſpiciis, ſplendidiſsima habita oratione, primus illuſtrauit, & cõſecrauit EpiſcopusRichardotus. In hac ſacrã Theologiã, & diuinæ paginæ interpretationem primus docuit, primus auſpicatus eſt EpiſcopusRichardotus. Quod quidẽ eius auſpicantẽ tũc Academiã, ornandam & fouendã, ſingulare ſtudiũ ita nobile, & illuſtre fuit, vt hoc illi nomine Rex Catholicus Philippus, ſcriptis ad eum literis, magnas gratias impẽsè ageret. Neq; verò quo cœpit ſtudio, & amoris impetu,

hanc Academiam proſequi, ab eo poſtea tota vita quicquam remiſit, quin imò ad vltimùm vſque ſpiritum, ea conſtantia, hanc ſemper in delicijs habuit, coluit, obſeruauit, vt (quod quidem ſempiterna memoria & recordatione dignum eſt, æreiſque tabulis inſcribendũ) iam triduo ante mortẽ, vocato ad ſe Canonicorũ Eccleſiæ ſuæ collegio toto, illis præſentibus amorẽ erga hanc Academiã ſuam, publicè teſtaretur; & quia ſibi iam ex hac luce migrandũ eſſe proſpiceret, nec iam amplius ei adeſſe aut prodeſſe ſe poſſe cerneret, eos omnes vehementer rogaret, & plurimis verbis flentes iam, & præ mœrore vix iis quę dicerentur attẽdentes, iterum atque iterũ obſecraret, vt à futuro ſibi in Epiſcopatu ſucceſſore, ſuo nomine enixè peterent, hanc vt Academiam Duacenam, pro cõmendatiſsima habere, & non minùs in Duacenſis Academiæ patrociniũ, quã in Atrebatẽſis Epiſcopatus dignitatẽ ſuccedere vellet. Planè magis de Academiæ ſalutè, quàm de ſua vita ſollicitus, & ita erga eam affectus, vt non ob aliud viuere, aut imminens fatum declinare velle videretur, quàm vt nobis & huic Academiæ Duacenæ prodeſſet. Cui quidem eius flagrantiſsimo in nos amori quid addi porrò poſsit non video.

Et ſic quidem vniuerſam ille Academiã, incredibili quodã amore, ac fauore proſequutus

quutus eſt. Scholã autem & ſtudium Theologicum præ ceteris adamauit, coluit, ornauit, magnus hic Theologus, & Epiſcopus Richardotus. In Schola enim Theologica primũ magiſterium, & ſupremam Doctoratus lauream, celebris ac piæ memoriȩ Mattheo Galeno cõferens, ipſum Galenũ ſacrȩ Theologiæ tum profeſſorẽ primariũ miris laudibus extulit, prȩclara oratione ornauit. In ſchola Theologica frequẽter ille, pro ſingulari ſua in hoc ſacrum ſtudiũ propenſione, totis mẽſibus docuit, legit, profeſſus eſt, & Paulinas Epiſtolas admirabili facundia, maiori eruditione, maximo ſtudio & labore, in Cathedra Theologica interpretatus eſt. Quam etiam frequenter, & libenter diſputationibus ipſis Theologicis interfuit, & omnium ac ſupremus Doctor, audire cum cæteris non docere voluit? Comitia autem Theologica, tum alia multa, tũ illud in quo Doctores his poſtremis annis crearentur, nõ ſolùm præſentia ſua, à principio ad finẽ vſque, multarum horarũ ſpatio honorauit, ſed & illuſtri atque accurata habita Oratione, maximũ illi decus atq; ſplendorem attulit. Cuius quidẽ Orationis, incredibili facundia habitȩ, maxima eruditione inſtructȩ, meminiſtis etiam adhuc (opinor) quotquot adfuiſſe poteſtis, obliuiſci certè nunquam poterit ſchola Theologica. Taceo hîc quòd inopes, afflictos, & extorres

Quo amore Scholã Theologicam cõplexus fuerit.

Theologos, frequentibus eleemoſynis iuuerit. Omitto quod in collocãdo hîc Theologorum, atque Paſtorum ſeminario, ſummo ſtudio incubuerit. Nihil dico, qua ſedulitate, alacritate, prudẽtia, Vniuerſitatis cauſas vel hîc, vel alibi rogatus egerit, patrociniũ ſuſceperit, honorem, priuilegia, ornamẽta, omnibus quibus potuit modis defenderit, conſeruauerit, auxerit. Pretereo etiã, quæ plurima, & maxima, in huius præſtantiſsimi viri laudẽ dici poſſunt, de incredibili eius circa publicã pacẽ, incolumitatẽ, ſalutem conſeruandam, ad extremum vſque ſpiritũ zelo, cura, labore: tanto ſanè vt (qua authoritate, & gratia, apud Principes viros meritò valebat,) vniuerſa hæc Reſp. eius patrocinia in rebus arduis nõ ſemel experta, plurimi in magnis periculis ab eo conſeruati fuerint, nonnulli etiam ciues, vitam ei ac ſalutem debeant: vt verè pater patriæ, verè amator fratrum, cum lamentante Ieremia; verè vir deſideriorum cum orante Daniele; verè zelator domus Dei cum ſanctiſsimo Elia; verè currus & auriga Iſrael cũ fortiſsimo Elizeo, dici poſsit, ac debeat. Pretermitto denique prudens & ſciens, quæ de huius optimi Epiſcopi, maxima in Deũ Religione ac pietate, penè infinita, dici poſſunt: hãc enim virtutẽ in Epiſcopo, cũ Apoſtolo Paulo ſupponimus, non oſtendimus. Si cui tamen ea de re quippiam audire libet, ei illud

Reip. Belgicæ ſtudium.

lud vnum inſtar omnium ſit, quòd ſanctiſsi mum virum, Abbatem Aquicinctenſem nuper defunctum, totius (vt omnes norũt) ſanctitatis, pietatis, ac Religionis ideam, nõ ſolũ intimè dilexerit, vt fratrem, viciſsimque ei vnicè charus fuerit, verùm etiam Epiſcopus cùm eſſet, eum coluerit vt Patrẽ, veritus ſit vt magiſtrum: nihil abſque eius cõſilio & authoritate in rebus grauiſsimis ſtatuere, ipſius autẽ arbitrium, voluntatẽ, ſententiã, pro oraculo ſemper amplecti, ſedulò & diligenter exequi ſolitus. Sed hæc vt dixi omnia prętermitto. Sunt enim hęc notiſsima, neque commemorari à me omnia poſſunt, & tempus iam elapſum video.

Arcta amicitia cum Io. Lentallerio Abb. Aquicinctenſi.

Quare orationis vela contrahemus, & id vnũ addemus, obſequium quidem iſtud, & qualecunq; grati animi teſtimonium, Vniuerſitatem Duacenſem. Franciſci Richardoti virtutibus, & meritis, quàm libentiſsimè hodie prętitiſſe. Richardoti autẽ memoriam, & tam optimi parentis ac prętãtiſsimi Epiſcopi recordationẽ, ex Duacenę Academia animis, & monumentis, nunquã excidere poſſe. Si enim vir eloquentiſsimus, doctiſsimus, humaniſsimus, ſi Epiſcopus eruditiſsimus, optimus, vigilantiſsimus, ſi Academiæ huius, imo totius Belgij parens quidã, patronus & Mecœnas amantiſsimus, diligẽtiſsimus & conſtantiſsimus Franciſcus Richardotus fuit: profectò nec

 virum

virum doctiſsimũ celebrare, nec optimum Epiſcopum venerari, nec Academiæ Duacenæ columen ſingulare, colere, & prædicare ipſa Academia Duacena vnquam deſinet.

Dixi.

ORATIO FVNEBRIS IN LAVDEM R. D. IOAN. LENTALLERIJ

lerij Abbatis Aquicinct. Duaci, ex mandato Senatus Academici, publicè habita, apud Dominicanos. Feb. 19. An. 1574.

Oratio Funebris Academica 32.

SI quo primùm die, diuinis planè auſpicijs, & fauente numine, celeberrima hæc Academia Duacena aperiri, & celebrari eſt cæpta, eodem die, vt id populo Duaceno, toti Belgio, atque vniuerſæ Eccleſiæ Dei fauſtè, feliciter, proſpereque eueniret, à Deo Opt. Max. more inſtitutoque Maiorum, precati ſumus, (Mag. D. Rector, clariſ. D. Doct. Doctiſſ. & humaniſſ. Auditores) profectò hoc die, vt veſtræ omnium mentes, atque ſententiæ, cum auſpiciis illis Academicis, votiſque conſentiant, eáque res vobis, totique Academię, pacem, incolumitatem, honorẽ, & optata incremẽta afferat, ab eodem Deo Opt. Max. idem precandum

cenſeo,

cenſeo. Etenim ſi illa ſolennis initiorũ precatio, Academicis auſpiciis, votiſque conſecrata, tantam habet in ſe vim & religionẽ, quantam Academiæ dignitas poſtulat, iis ſane hominibus, per quos hæc Academia, aut feliciter hactenus ſtetit, aut mirabiliter creuit, maximáque cepit incrementa, vt idem tota Academia ſolemnibus votis comprecetur, & ſumma ratio, & ipſius Academiæ dignitas poſtulat. Nam optare quidẽ Reip. omnia fauſtiſsima atque lætiſsima, ſolenne & omnium eſt: Viros quoque fortiſsimos, quorũ opera & labore, conſilio & auxilio, aut florere cæpit, aut creuit Reſp. præſentes ac viuos venerari, colere, obſeruare, penè omniũ eſt, & qui ſecus fecerunt perpetua grauiſsimáque ignominiæ nota, apud totã poſteritatem laborarunt, vt Athenięſes, qui Ariſtidẽ iuſtum ciuitate expulerunt; Themiſtoclis pręclara facta, exilio damnarunt: Socratis ſapientiam morte mulctarunt: Vt Romanos taceam, qui Scipionibus ſuis ſepulchra Romana negarũt. At verò qui Reipu. ſuæ columina viua colerent, mortua atque defuncta, nullo ſtudio atque honore proſequerentur; aut nunquã hactenus extitiſſe, aut ſi vſpiam extiterũt, pro mõſtris, & portentis hominũ, habitos fuiſſe exiſtimarim. Nã viuos ſanè Reipu. parẽtes, & Patres patriæ, nõ colere, deſpicere, ingrati animi eſt; mortuos ſine honore pręterire, etiã aſtu

pergat; eodemque fauore incrementa iſta ad culmen euehat, quo ipſa initia ad præclara hæc incrementa perduxit. Alterum & tota iſta ſacri muneris operatio, religioſè præſtat, & hac prætereа oratione publica, cumulatius præſtari placuit.

Quam quidem publicè perorandi, & ſapientiſsimum hunc Archimandritam, dignis laudibus exornandi prouinciam humeris meis, licet ad hoc onus imparibus, & parum ſuffultis, à Magnificentia ſua clariſsima, totoque ornatiſsimo Senatu Academico impoſitam, vt pro tanti viri dignitate, pro ipſius Academiæ deſiderio, pro meo quoque in vtrumque officio & obſeruantia, quantum quidem in me eſt, obeám atque perficiam; ſic rem ipſam aggrediar, vt id ante omnia præmoneam, ne quiſquam vel de ſapientiſsimo hoc Abbate, tam tenuiter cogitet, vel de noſtris viribus tanta ſibi promittat, vt eius viri admirabiles virtutes ac dotes omnes, hac noſtra qualicunque oratione comprehendi tantùm & enarrari, nō dico illuſtrari, & exornari poſſe exiſtimet. Neque enim vel tam exigua ſcapha tanti Maris altitudinem emetiri, vel tam obtuſa oculorum acie ita rutilantem Solem cominus intueri valeam. Planè longiſsimè ſuperat & noſtras dicendi vires, & cogitationis meæ aciem, ſanctiſsimi huius Abbatis ingens quidam rerum bene geſtarum Oceanus,

nus, & cæleſtium virtutum ſplendidiſsimũ iubar. Neque verò in hac cauſa me vinci quicquam pudebit, niſi fortè preſtantiſsimi viri gloriæ inuidere velim, cuius tanta eſt virtus, vt omnem illa orationis copiam, vehementer exuperet. Id tantùm metuo, ne pro veſtro erga illum ſtudio, qui virum laude digniſsimum tenuiter laudatum, ægrius fortaſſe feretis, vt parentum non ſatis iuſta encomia, dolẽter audiunt germani filij, expectationi omnium veſtrę minus ſatisfecero. Sed huic ſanè ſeu timori meo, ſeu deſiderio veſtro, illud remedij facilè adhiberi poteſt, ſi quia de rebus pariter compertiſsimis dicturus ſum, quæ ego fortaſſe pretermiſero, iis quę à me dicentur adiiciat vnuſquiſque de ſuo, atque ita ex ſimul cõiunctis veſtris & meis, quaſi ex diuerſis floribus, contextam laudum coronam, huic Sacro Capiti imponamus; vt etſi à me parum laudatus, tamen à nobis ſimul omnibus laudatiſsimus hodie celebretur.

Narratio. Idcirco vt ad rem ipſam accedam, cogitanti mihi attentius, vnde potiſsimũ huius viri laudes exordiar, aut quo primùm nomine eum prędicẽ, idẽ planè accidit, quòd in amæniſsimo horto cõſtitutis euenire ſolet, vbi maxima florum varietas & aſpectu iucũdiſsima, & odore ſuauiſsima, huc illucque ſpectantium oculos attrahit, vt quem primũ carpere aut cui inſiſtere libeat, dubius

bius

bius planè animus pēdeat, ambigat, fluctu-
et, hæreat. Eſt enim verè paradiſus quidam
omnium virtutum, & pratum amœniſsimū
huius viri vita, qui verè dum viueret, bonus
odor erat Chriſto, odor vitæ ad vitam, qui
lux erat ſplendidiſsima, ſic lucens corā ho-
minibus, vt viderent eius opera bona, Deū-
q; glorificarent, quotquot aut eum de fa-
cie norunt, aut de eo per famam acceperūt.
Sol inquam erat, & luminare quoddā mag-
num in hoc mundo. Quid Solem dico? ipſo
vniuerſo cælo hoc aſpectabili, multò ſplen-
didior atque illuſtrior, erat huius viri vita.
Neque verò per hyperbolē hoc à me quiſ-
quam dictum putet. Quin vt mecum idem
omnes ſentiatis, facilè effecero. Quot enim
impij quum cælum hoc intuentur, Aſtra &
Sydera omnia conſpiciunt, blaſphemant
nihilominus, non erubeſcunt, nō cōfundun
tur? At quis tam perfrictæ frontis vnquam
fuit, qui Ioannis Lentallerij conſpecto vul-
tu, ipſa totius virtutis & ſanctitatis idea,
qui hunc, inquam, Abbatem ſapiētiſsimum
coram intuens, religionis cultorem maxi-
mum, honeſtatis & pietatis exēplar vnicū,
grauitatis & prudentiæ ſpecimen ſingulare,
multiplicis eruditionis arcā, & theſaurum
quendam locupletiſsimum, patiētiæ, caſti-
tatis, humilitatis, totiuſque ſanctitatis ex-
preſſam effigiē, omniū denique virtutū at-
que chariſmatū (ſingulari & rariſsimo Dei
munere)

munere) Pandoram quandam, nec coram intuens tantùm, ſed & eius ſuauiſsima eloquia dulciora ſuper mel & fauum, auribus accipiens, penitus atque è veſtigio de ſeipſo non erubeſceret, non confunderetur, non ſibi ipſi vehementer diſpliceret? Sed ſingula fortaſſe magis audire libet, ne dum generalia loquimur, minus huic viro propria dicere videamur.

Agamus ergo, & vt omnibus virtutum, ac chariſmatum numeris abſolutiſsimum hunc virũ fuiſſe oſtẽdamus, optemus tantiſper illa quæ huiuſmodi aliquem conſtituere poſsint atque efficere. Sanè & omnia huic præclariſsimo Abbati affuiſſe reperiemus, & nihil in eo mediocre, ſed omnia ſumma extitiſſe animaduertemus. Ego verò nullo modo ea bona hîc conſectabor, quæ ſolida & vera bona non ſunt.

Non ex generis aliqua nobilitate, non ex diuitijs & opulentiſsimi illius Monaſterij Præfectura, non ex gloria quæ illas potiùs, quàm veras virtutes hodie comitari ſolet, eum prædicabo. Ne ſi nobilem, diuitem, & honoratum dixero, vos ita hinc diſcedatis, vt hæc inter bona me authore habeatis, & fluxa hæc atque caduca, ne dicam noxia, plerumque atque lætifera admirari, & in pretio habere ex hac oratione noſtra diſcatis. Verùm inde laudis in eo materiã capiam, vnde & ipſe iuſtiſsimè laudari debeat,

beat,& vnuſquiſque noſtrûm quod imitari poſſit,meritò & tutò deſumat.

Quid ergo, aut quæ potius tandem illa ſunt,quæ hominem Chriſtianũ, id eſt,veræ Religionis cultorẽ, omnibus virtutum numeris abſolutiſsimum reddunt? Optãdum ſanè erat, huiuſmodi virum, primùm ſumma in Deũ charitate flagrare,deinde ne ſibi ſoli vtilis eſſet,non minori erga proximum dilectione affici. In his enim duobus(ait ipſa Veritas) tota lex pendet, & omnis iuſtitia adimpleretur. Charitatis in Deum, quod maius aut argumẽtum, vt adeſſe probetur, aut exercitium vt quum adſit conſeruetur, aut deniq; adiumentũ vt magis ac magis augeatur,eſſe poteſt,quàm vt (quod Saluator monuit) relictis omnibus in ſeculo,eum ſolum ſequamur? Hoc verò ab ineũte ętate ita fecit,vt iuuenis adhuc portaturus iugũ Domini,ab adoleſcẽtia ſua,Monachũ ſe profeſſus fuerit Ordinis S.Benedicti,idq; in Cœnobio Aquicinctenſi,huic noſtro Duaco felicibus ſanè auſpiciis viciniſsimo. In hac profeſsione quã ſe turpi otio minimè dederit, aut corruptos tunc aliorũ mores ſectatus haud fuerit: & tota reliqua vita clarè loquuta eſt,& illius adhuc ætatis ſtudia,luculenter demonſtrant. Ingenij enim acumine ſingulari præditus, Lutetiam Pariſiorum mittitur litterarũ cauſa,quas ille(vt mox dicemus,)non oſcitanter audiuit,ſed ſummo ſtudio

Fit Monachus.

ſtudio perdidicit. Inde ad Monaſteriũ reuocatus, tãta & Religione & prudentia ſe geſſit, vt per omnes inferiores officiorũ gradus conſcendens, ad ſupremã tandem eius pręfecturam, omnium cõſenſu, incredibili ſtudio, & maxima bonorum omniũ expectatione, eueheretur. Quo quidem loco conſtitutus, vt ſolum purumque Dei amorem, ſibi perpetuò in tota hac monaſtica ſua profeſsione, ante oculos propoſitum fuiſſe, omnes intelligerent, omneſq; eius conatus, cogitationes, ſtudia, in hunc vnum ſcopũ dirigi, & hac vna regula vt nauclerum inſpecta ſua Cynoſura, duci & flecti illum, exploratum omnes haberent; nec de ditandis parentibus, nec de ornando ſpecioſis ædificiis Monaſterio, non de dilatãdis fimbriis cogitat, meditatur, molitur, ſed (quod ardentiſſimis votis diu multumque, quum adhuc Prior eſſet, expetiuerat,) ſtatim ac primo quoque tẽpore, aſſumpto ſibi in hũc finem Priore, viro ſanctiſſ. pariter ac doctiſsimo, Fratre Dionyſio D'oſtrelio, in ſui Monaſterij reformationẽ, in colapſæ diſciplinæ reſtaurationẽ in Regulæ D. Benedicti veram atque legitimam obſeruationẽ, omnes cogitationum & ſtudiorum ſuorum vires, cõuertit. Quam quidem rem arduam licet, aliiſq; permultis impoſsibilem viſam, qua pietate & conſtantia aggreſſus eſt, eadẽ felicitate atque virtute confecit. Adeo ſanè vt à com-

Fit Abbas

Reformator Monaſterij.

compluribus iam annis, Aquicinctẽſe illud Monaſterium ita pietate, humanitate, eruditione, omniq́ue vera Religione, ipſorum Cœnobitarum fulgeat atque reſplẽdeat, vt ſit ſanè inter cætera ſui ordinis Cœnobia, quaſi inter Planetas Phœbus, aut ſtellas inter Cynoſura minores. Cuius quidẽ vnius rei hiſtoria, ſi ante oculos hîc veſtros poneretur, huius ſanè viri & zelũ Religionis flagrantiſsimũ, & in laboribus ſuſtinendis indefeſſum animum, & in re tam ardua perficienda (vbi conſuetudo rẽ penè in naturam verterat) prudentiam admirabilem, non ſine ſtupore inſpiceretis. Verùm iſtud pertractare, huius loci non eſt, ac multò minus huius tẽporis. Itaq; , Charitatis eius in Deũ argumenta ſunt iſta pleniſsima, vt nihil de priuata eius, & quotidiana deuotione, nihil de admirabili eius & planè diuina rerũ diuinarum aſsiduaq́; (quum per negotia liceret) contemplatione, nihil de vitę Eremiticę frequenti deſiderio hoc loco dicam. Monaſterij Aquicinctenſis vera laus.

Nam quæ de altera nunc eius erga proximum charitate dicemus, illius quoque in Deum amoris, certiſsimi & locupletiſsimi teſtes eſſe poſſunt. Etenim Abbas factus, nihil prius neque antiquius habuit, quàm vt ingens illa ſumptuũ inaniſsimorum (vt molliſsimè dicam) parſimonia, quæ ex facta illa reformatione Monaſterio acceſsit, in pios atque pauperũ vſus tota cõuerteretur. Itaq́; Maximæ eius eleemoſynæ.

præter

præter quotidianas & priuatas eleemoſynas, quæ quotannis ad aliquot florenorum millia excreſcere ſolebant, ad publicas etiã iuuandas neceſsitates, & non ad Monaſterij tantùm ſui, ſed ad totius Belgij reformationem, (quãtum in ipſo erat,) ſic animum applicuit, vt primum quidem in villa ſua Pechencurtenſi Gymnaſium celebre erigeret, magiſtros & præceptores aleret, qui eius municipij ac vicinorum pagorum pueros ac iuuenes, honeſtiſsimè in bonis literis, ac maximè in pietate ac catecheſi Chriſtiana erudirent, inſtituerent, formarent. Deinde verò, huius celeberrimæ Academię hoc in loco à Maieſt. Catholica inſtituẽdæ, non ſolum magna ex parte author fuit, ſed cum illa creſcere nonnihil cæpiſſet, imò certè in ipſis ſuis cunabulis tanquam fœtus abortiuus, ad interitũ ſpectare videretur, eiuſdem denuò reſtaurandę, fouendæ, atque exornandę, ſic ſecundus author fuit, vt profectò quæ poſtea acceſſerunt, hodieque conſpiciuntur incrementa, illi viro magna ex parte libenter & ingenuè accepta referamus. Ipſius enim incredibili quadam liberalitate, ſeu magnificentia potius, nobiliſsimum hîc quod videmus Gymnaſium, Seminarium ſiue Collegium à fundamẽtis extructum eſt: nec extructum tantùm, ſed ita prętere a bona ex parte donatum, atq; dotatum, vt Præceptores ac Magiſtros illud

Gymnaſium in villa ſua extructum.

Collegiũ Duaci à fundamẽtis extructum & dotatum.

nunc

nunc habeat, omni & eruditione & pietate præſtantiſsimos, habiturum quoque in poſterum ſemper ſit, quantum humana coniectura & ſpe aſſequi liceat, poſito illic videlicet atque fundato Patrum Societatis nominis Ieſu perpetuo Conuentu. Cuius quidem Societatis vt nunc vberrimos & ampliſsimos fructus cernimus, ita eoſdem quàm diutiſsimè duraturos nō niſi piè ſperare poſſumus. Hîc ego verò excurrere liberius, & exſpatiari orationem ſinerem, niſi non tam hunc Abbatem ſapientiſsimum, quàm ipſam Societatem loco & tempore non ſuo, laudibus proſequi viderer. Quamquā ſanè quicquid populo Duaceno ex eius Societatis opera fructus accedit, accedit autem quantus dici poteſt maximus; id totum in huius Lētallerij noſtri laudes vertitur: cuius vnius & ſtudio ſingulari, & liberalitate maxima, illa Societas ſtabilē hîc pedem Duaci fixit. Sed vt de illa taceam, Collegium ipſum numeroſa iam iuuentute plēnum, huius profectò ſapientiſſ. Abbatis in Academiam Duacenſem ſtudij, in Remp. Belgicam animi, in Eccleſiam Dei pientiſſimi zeli, documentum erit, & monumentum ſempiternum. Quod quidem ſingulare & ſummum beneficium, vt Eccleſia Dei magno cū fructu ſuo ſemper meminerit, vt Reſpub. Belgica perpetuò profitebitur, ita Academia Duacena, ſummo ſemper

 ſtudio,

ſtudio, atque animi gratitudine recognoſcet. Eiuſdem præterea conatus, atque profectus omnes, quantum in ſe erit, & per fidé & Religionem licebit, perpetuo fauore ſe proſequuturam, omni conſilio & auxilio ei affuturam, eadem Academia publicè profitetur, pollicetur, & ſpondet. Hæc fuit ergo ſanctiſsimi viri in próximos charitas, in publicum bonum iuuandum, augēdum, & conſeruandū pietas. Qua certè maiorē noſtris his temporibus repertam fuiſſe, aut reperiri poſſe tunc dicemus, quum eius Ordinis quiſpiam, propter publicum Academiæ & Reipub. bonum, pares ſumptus fecerit, ſimile monimentum erexerit, eadem denique pietate, conſtantia, prudentia, rem totam adminiſtrarit.

Sed venio ad alia, licet inuitiſsimus hūc locum abrumpo. Summa quidem virtus charitas eſt; ſed ea niſi ordinata ſit, & fructu caret, & interdum perniciē adfert: ſicut in illis qui zelum Dei habent, ſed non ſecūdum diſcretionem. Itaque abſolutus hic meus Lentallerius non erit, niſi huic dupli- ci charitati ſingularem prudentiā, quę omnium virtutum mater & moderatrix eſt, adiunxerit. Illa verò quāta in hoc viro fuerit, quàm perſpicaci & ſagaciſsimo ingenio cūcta adminiſtrarit, me ſanē tacēte, & omnes intelligitis, & ipſa opera loquuntur. Hac enim diuina quadam prudentia, omnia domi ſa-

Singularis eius Prudētia.

mi ſapientiſsimè moderabatur, vt eo Abbate, ſumma pax, nulla vel minima animorũ diſſenſio in cœnobitis appareret; plurima foris etiam à maximis viris conſultus, ingenio & induſtria feliciſsimè tractauit, diſpoſuit, confecit. Magnũ verò & illud in eo prudentię argumentum erat, quòd in tantis & tam varijs eius cõſilijs, operibus, rerumque adminiſtrationibus, nunquam eum rei geſtæ pœnituerit, nunquam conſilium ſemel cæptum mutauerit, & (vnde adeo hæc cõſtantia profecta eſt,) nihil vnquam temerè cõceſſerit, ne quidem in re honeſtiſsima, & etiã ab amiciſsimo interpellatus: hoc perpetuò pro more habens, vt rogatus quippiam diutiſsimè audiret, tardè concederet, conſtanter & hilariter ſemel conceſſa præſtaret. Quantæ verò iſtud, & quàm admirabilis prudentię, in tanta negotiorum varietate domi foriſque; domi, Religionis cura, ſuorũ ſollicitudine, diuini cultus aſsiduitate; foris autem, cogitationum, conſiliorum, operum mole, potius quàm magnitudine, eundẽ ſe tamen ſemper virũ ſic in omnibus præſtitiſſe, & vtrique muneri ita ſatisfeciſſe, vt nec domeſtica pietas & priuata deuotio, externarũ rerum curã excluderent, nec externarum cura priuatã obrueret. Vir ſanè vt eum qui pręeſſe debet deſcribit Nazianzenus, & Apoſtolum Paulũ perſectè fuiſſe, oſtẽdit Chryſoſtomus, & ſimplex & varius: In Apologet. Hom. 5. de laudib. Pauli.

 rectitu-

rectitudine & integritate animi, idẽ ſemper ac ſimplex; varius tamẽ ac multiplex, iuxta cuiuſque rei & perſonæ proprietatem, omnibus commodus, aptus, idoneus. Sic enim inter perpetuas ſollicitudines, quas præter domeſticas & neceſſarias, vt quam plurimis prodeſſet, ipſe ſibi innumeras aſciuit, pacato ſemper animo cõſtitit, vt quod de S. Antonio Archiepiſcopo Florentino legimus, ſic vir iſte reconditum quendam, & occultum mentis angulum, intactum ſemper haberet, ſoliq̃ue Deo dicatum, ad quem negotiorum ſtrepitus, & curarum anxietas, irrepere & penetrare nõ poſſet: ſed vbi à negotiis diſtitiſſet, ſine vlla ſui perturbatione aut immutatione, eò tanquã ad aſylum patatiſsimum ſe reciperet, & ad interiorem hominem veluti qui profectus eſſet, quaſi domum rediret. Nempe quum duæ ſint partes totius humanę in hac vita perfectionis; Contemplatio & Actio, Deum purè colere, & proximis plurimum prodeſſe, ſic vtramque hic noſter adeóque perfectiſſimè compleuit, vt nemo illo ſanctior, religioſior ac magis in Deum pius, nemo publicæ vtilitatis ſtudioſior, nemo in iuuandis quàmplurimis liberalior extiterit. Sic tamen in vtroque verſatus, vt alterum alteri (quod ſæpè per imprudentiam fit) nõ obeſſet, ſed contra (qua erat prudentia ſingulari, penéque incomparabili) alterum ex altero

In vita eius apud Suriũ mẽſe Maio.

tero

tero mirificè iuuaretur, ſtudium proximi pietatem inDeum acueret,& exerceret,hęc rurſum pietas ad illud ſtudium perpetuò ſtimularet,vt hæc illi calcar eſſet,huic illud cotis officium prę̨ſtaret.

Sed tempus præterlabi video, quod ſingulis immorari non patitur. Idcirco breuiter quæ ſuperſunt expediam. Quid aliud in viro præſtantiſsimo, & Abbate digniſsimo exoptari potuit? Virum optimum iam fuiſſe & prudentiſsimum, demonſtrauimus. Sed indoctum fortaſſe & illiteratum putabis. Imò verò non tantus erat literarũ amator, licet amator maximus, quàm erat literarum cultor ſtudioſus, & in omni doctrinarum genere egregiè verſatus. Quod certè à me hoc loco, in tanta doctiſsimorum virorum corona, ſilentio prætereundum non eſt. Nempe præter Latinæ linguæ cognitionem, vſumque eius expeditum & elegantem, quo eum plurimum valuiſſe omnes ſcimus, etiã in Hebræa lingua nonnihil, in Græca pluſquam mediocriter illum verſatũ fuiſſe priuatim cognoui, quum in eius olim Monaſterio agente me, his de rebus mecum ſæpè diſſereret. Sacræ verò literaturæ ita ſciens erat, vt non ſolùm in Sanctis Scripturis, & Sanctis Patribus præclarè verſatus, ſed & Scholaſticorum Doctorum ſubtilitates, diligenter ſcrutatus fuerit, eorumque ſententias accuratè ob-

Præclara eius eruditio.

ſeruarit: Id quod in frequẽtibus ſubinde in menſa ſua diſputatiunculis, quum hoſpites interdum abeſſent, ita declarauit, vt de ſententiis ſcholaſticis, non ſolùm acriter diſſereret, ſed allatis ex tẽpore libris, & deſignatis locis, ſuam ſententiam confirmaret. Id quod pręſens ſæpè ipſemet vidi, & ab alijs ſæpius factum eſſe intellexi. Habuit pręterea vir doctiſsimus, priuatam & inſtructiſsimam Bibliothecam, in qua ſe quum per negotia liceret, libentiſsimè exercebat: vt taceam quod ſemper in menſa aliquid doctum, ex antiquioribus plerumque Patribus legi voluit. Denique ita cum doctis viris doctè agebat, & de rebus litterarijs eruditè ac promptè diſſerebat, vt eũ virum, qui illum non noſſent, ſolis ſuis libris affixum eſſe crederent. Illud profectò admiratione dignũ mihi ſemper viſum eſt, vt vir iſte ſapientiſsimus, in eadem ſæpiſsimè menſa, in maxima hoſpitum (vt fit) varietate, cum viris doctis doctiſsimè, cũ nobilibus viris prudentiſsimè, cum piis & religioſis ſanctiſsimè, cum rudioribus humillimè & manſuetiſsimè, eodem ferè temporis puncto diſſereret, ſermoneſque conferret, vt verè alter Paulus omnibus omnia factus eſſet, Iudæis Iudæus, Gręcis Gręcus, Barbaris Barbarus, non prętermittẽdo decorum, non deſerendo grauitatem, ſed omnibus impartiens pietatem.

Aç

Ac illuſtria quidem ſunt iſta, & in ſapientiſsimo Abbate præclara virtutum ornamenta. Sed quia Chriſtianum virum, id eſt, veræ Religionis cultorem perfectiſsimum, & omnibus ſuis numeris abſolutiſsimũ deſcribimus, his quæ dicta ſunt minimè contentos eſſe oportet. Neque enim præclara tantũ egiſſe, ſed & fortiter pro Chriſto aduerſa pertuliſſe debet, qui viã illam arduam & anguſtam, planéque perfectiſsimam, ambulaſſe probabitur, *Omnes enim qui piè volunt in Christo viuere, pati in hoc ſeculo perſecutiones oportet, & tunc demum conglorificabimur, ſi cum Chriſto compatimur*. Nec aliunde Apoſtolus Paulus *miniſtrum ſe Chriſti eſſe plus alijs* confirmauit, quàm ex varijs & innumeris calamitatibus quas perpeſſus fuerat, *in laboribus pluribus, in plagis ſupra modum, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate, in labore & ærumna: de his*, (inquit,) *gloriabor. Virtus enim in infirmitate perficitur.* Hanc verò perfectionem, in Abbate iſto ſanctiſsimo defuiſſe, arbitramur? Imò verò ita pleniſsimè adfuit, vt non eum inferiora, quàm plurimis glorioſis Christi Martyribus, tormenta ſubiiſſe, ac animo fortiſsimo toleraſſe, crediderim. Nempe ab annis iam ferè viginti, ab ipſa hac inita Monaſterij ſui Præfectura, ita perpetuis cum morbis conflictatus eſt, morbo autem articulari, acutiſsimo atque grauiſsimo, vt ſanitatẽ ſuam quia raram & breuem, *Inducias* vocare lepidè

2. Tim. 3.

Rom. 8.

2. Cor. 6.

Incredibilis eius tolerantia.

lepidè & apto vocabulo ſolitus fuerit. Húc enim illi morbum quaſi aſsiduum, & inteſtinũ hoſtem Deus dedit, qui eum preclarè exerceret, qui vt Paulum angelus Satanæ colaphizaret, qui eum taquã aurum in fornace exploraret, Deoque ſuo animam puriſsimam, & ab omni labe pleniſsimè defæcatam ſiſteret, & exhiberet. Sanè vir iſte

Tob.12. pientiſsimus, vt de Tobia legimus, *quia acceptus erat Deo, neceſſe fuit vt hæc eum tentatio probaret.* Et probauit ita quidem, tantuſque factus eſt, cum tentatione prouentus, vt in

Nota inſignem pietatem. medijs ac ſummis doloribus, vix ab eo gemitus, niſi quem vis morbi expreſsiſſet, audiretur: imò ſapientiſsimè in extremis morbi aculeis philoſopharetur; quòd ſi vel verbulum aſperum, fortè excidiſſet, ſemetipſum vehemẽter ſtatim increpabat. Sanè poſita ad lectuli pedes Chriſti Saluatoris torcular, calcantis imagine, ita in eam mentem oculoſque inter medios cruciatus defixit, vt dolore proprio poſtpoſito, denſas lachrymas effundere, Chriſto compaſſus aliquando viſus fuerit. Vt nihil profectò vel huius viri tormentis grauius, vel eius incredibili patientia illuſtrius videatur. Acceſsit ad has omnes virtutes, tanquam ad ingentẽ cumulum noua perfectio, ſingularis & perpetua animi humilitas laudũ fuga, gloriæ

Diuina eius humilitas. præſentis cõtemptus maximus. Cuius quidem rei argumenta infinita, ſi per tempus liceret,

liceret, commemorare hîc poſſem. Sed hoc ſanè totum, & admirabilis eius morum comitas, & Collegij ſui rariſsima eaq́ue clancularia viſitatio, nulla ſui vnquã oſtẽtatio, quòd nihil denique vel in Collegio ſuo, vel alibi ad pompam, ſed omnia ad quàm maximam aliorum vtilitatem extruxerit, ſatis ſuperque demonſtrauit.

Quòd ſi ergo, is demũ cumulatiſsimè perfectus, & omnibus numeris abſolutiſsimè pius meritò cenſebitur, qui charitate in Deum flagrantiſsimus, amoris in proximũ ſtudioſiſsimus, zelator domus Dei, & morũ reformator maximus, pauperũ, piorũ, ac boni publici fautor liberaliſsimus extiterit, qui prudentia ſingulari omnia adminiſtrarit, eruditione multiplici illuſtris fuerit, nec minori fortitudine aduerſa perpeſſus, quã ſtabili moderatione ſecunda diſponẽs, humilitate poſtremò perfecta præditus: erit profectò is ipſe ſapientiſsimus hic noſter Abbas, Ioãnes Lẽtallerius. Qui pietate quidẽ & religionis cultu ſinceriſsimo, nõ alter tantũ noſtræ ætatis Bloſius extiterit, ſed & ipſos Antonios, Hilariones, Macarios, Pachomios, Sabas, propemodũ æquarit: certè boni publici ſtudio, liberalitate, munificentia, eruditione, prudẽtia, Benedictos, Mauros, Gregorios nobis referat, & ſua præſtãtia vitæque ſanctitate antiquorũ tẽporum deſiderium lenierit, præſentiũ temporum Epilogus.

 corrup-

corruptiſsimos mores plurimum correxerit, & denſiſsimam eorum caliginé, ſua claritate, & vniuerſa quadam virtute mirificè illuſtrarit. Cui quidem viro, vt hodie gratitudinis ergò, vniuerſa Academia conuentu hoc celeberrimo, hæc iuſta perſoluit: ita vt alterum huic ſimilẽ Deus Optimus Maximus Academiæ reſuſcitet, communibus votis precatur & exoptat.

Dixi.

ORATIO FVNEBRIS IN LAVDEM R. P. ARNOLDI DE

Ganthois, Abbatis Marchennenſis, ex mandato Senatus Academici, habita in Collegio Marchennenſi. 7. Iunij. Anno. 1582.

Oratio Funebris Academica 33.

SI vel quanta eſt de qua me hodie perorare oportet materiæ vbertas, præſtantia, amplitudo, vel qualis facilè conſpicitur (Mag. D. Rector, clariſsimi DD. Doctores, cæterique Auditores omnes humaniſſimi) in oculis & animis omnium veſtrum attentio, expectatio, beneuolentia (quę duo certè de re quapiam dicturo præclara ſunt adiumenta & præſidia maxima) tanta viciſsim eſſet, vel in me dicendi copia, facul-

tas,

tas, actio; vel in vobis audiendi neceſsitas (quam eorum quæ dicentur aut ignoratio aut obliuio pareret;) ſperarem profectò & in explicanda atque exornanda tam vberi & præſtanti materia, deſiderio expectationique omnium veſtrum cumulatè ſatisfacere, & præterea ea me poſſe dicere quæ tũ propter nouitatem iucũdiſsima, tum propter magnitudinem admirabilia meritò videri poſſent. Sic enim nec cauſa optima male dicendo labaſceret, quaſi ſi prætioſa veſtis ſartoris imperitia vel laxa diffflueret, vel nimis arcta conſtringeret, vel rudius contexta ornatum & decorem omnẽ amitteret; nec maximarum rerum commemoratio ſua iucunditate & admiratione careret. Nunc autem quia mihi ad dicendũ nec ingenij vis (quod ſcio quàm ſit exiguum) nec artis copia (quam nec profiteor nec exerceo) nec denique corporis vires (ſatis vt videtis afflictæ) ſuppetunt; multoque minus pro rei dignitate ſufficiunt; vobis autem quæcunque dixero & ſingulis veſtrũ notiſima dicturus ſum & pauciora quàm dici debent; vereor certè ne tum ineptus Orator prodeam, illudq; meritò audiam, ſi tacuiſſes ſapiens eſſes, & (quod maximum eſt) præſtantiſsimo viro cuius laudes celebro, imò toti huic florentiſsimæ Academię cuius mandatum exequor, grauem aut iniuriam aut labem inferam; tum à ſingulis

aut

aut pleriſque veſtrũ meritò accuſer quod illa quidem prætermiſerim, hæc autem leuiter perſtrinxerim, alia parcius collaudauerim, nõnulla ſtudio diſsimulauerim, denique omnia ieiunè, frigidè, tenuiter tractauerim, nihil vt oportebat exactè, ſplendidè, grauiter, copioſè explicauerim. Ita enim quæ dicturus ſum, omnia aut penè omnia toti huic celeberrimo cõuentui ſunt comperta & explorata, vt nihil ſine manifeſta negligentiæ nota prætermittere; ea eſt eorum quæ dici debent dignitas & excellentia, vt nihil ſine graui iniuria leuiter attingere; ita denique erga cauſam ipſam affecti eſtis, vt nihil ſine offenſione veſtra niſi amplisſimis verbis exornatum dicere queam. Hæc itaque huiuſmodi ſunt, vt meritò me & à dicendo in hac cauſa deterrere debuerint, & dicere tamen audentem non leui terrore percellant. Ceterum quia non voluntate mea, ſed mandato & authoritate amplisſimi Senatus dicturus hunc locum conſcendi, ſi quid aut qua in parte peccauero, dicam cum Apoſtolo. *Inſipiens fui, vos me coëgiſtis.*

Iſtud vnum metuo, ne ſerus laudator qui importunè tot diebus tacui, nũc importunius loquar, & attrectans communis doloris vulnus, quod tempore & ratione curatum eſt, commemoratione exulcerem. Sic enim ſanato vulneri & in cicatricem ſuperductæ

ductę cuti ſi medicina colorem reddere voluerit, dum pulchritudinem corporis quærit, plagam doloris inſtaurat. Quę enim aures tam duræ, quę de ſilice exciſa præcordia, & Hircanarum tygrium lacte nutrita, poſſunt ſine lachrymis Abbatis Marchenēſis his diebus nobis erepti, vel verius ſurrepti nomen audire? Quis parturiētem roſam & papillatum corymbum antequam in calathum fundatur orbis, & tota rubētium foliorum pandatur ambitione, immaturè demeſſum æquis oculis marceſcere videat? Etſi enim tanquam vitis frugifera, & tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, ampliſsimos iam fructus dedit; maiora tamen adhuc hæc Roſa in Iericho parturiebat, ampliora meditabatur, & ad nouos ſemper pietatis partus turgebat. Nondum omnia ſua explicuerat folia, nondum incluſi denſi ſeminis vim totam expāderat. Habebant adhuc illa charitatis viſcera quæ vberius in bonum publicum (ſi diutius ſuperuixiſſet) effudiſſent: Sed fracta eſt lecythus olei quę non deficiebat: ſucciſa eſt platanus ſub cuius vmbra tot afflicti & inopes requieſcebant: obturatus eſt ille puteus aquarum, vnde tot ſitientes hauriebāt. Denique diſruptum eſt pretioſum Margaritū huius Academię dulcè decus, & virens ſmaragdi gemma contrita eſt. Quæ ſanè omnia ſi latius explicauero, & abſque ſermonis figura

gura ſingula commemorauero, ſi quæ in hoc vno ſapientiſsimo Abbate animi virtutes, ingenij dotes, ſanctitatis lumina effloruerint, ſi quanta in ſuos ſollicitudo verè paterna, in Rempub. beneficia, in hanc Academiam celeberrimam incredibilis animi propenſio, quàm ardens dilectio, quàm effuſa largitio, ſigillatim percenſere voluero, vereor ne maiorem dolorem incutiam recordantibus quãto bono, vel potiùs quot & quantis bonis hoc triſti caſu caruerint. Sin iſta aut breuiter percurrero, aut rectius ſignificauero, tãti viri virtutes & bene merita abſcondere potius & occultare quàm celebrare & illuſtrare videri potero; ſicuti aulæis varicoloribus accidit, quæ extenſa quidem & expãſa varias formas, figuras & ſpecies egregias intuentium oculis exhibent, contracta verò & complicata nihil à ſimplici & rudi panno differunt. Dicenda ſunt igitur & commemoranda ſingula, vel propter præſtantiſsimi viri præclariſsima merita, vel propter expectationem & deſiderium omnium veſtrum, quanta ſanè vel memoria conſequi poſſum, vel orationis huius anguſtia complecti.

Non eſt autem quod hoc loco quiſpiam à me expectet, vt aut exponam illuſtrem familiam, alti ſanguinis decus, & ſtemmata longa per maiorum faſtos decurrentia, aut ab ipſis cunabulis & vt ita dicã, crepundijs huius

huius viri laudes exquiram. Nos nihil in eo laudabimus, niſi quod proprium eſt & de puriſsimo ſanctæ mentis fonte profectum: Dicam igitur primò de illis eius virtutibus quæ eum vt priuatum exornabant; & quas vt priuata perſona exercebat. Secundo loco qualis & quantus Abbas fuerit, ſeu qualē ſe in præfectura ampliſsima illi commiſſa oſtenderit. Tertiò ac poſtremò quantus in hanc Academiam Mecœnas, quantus hic bonarum literarum fautor, egenorum opitulator, incrementi & honoris Academici quàm ſollicitus procurator, defenſor, Author extiterit. Quæ ſingula dum facio, diligenter quæſo, quod facitis, attendite. Partitio.

R. in Chriſto Pater Arnoldus de Ganthois Landæ prope Inſulas natus, parentibus nobilibus & familia honeſtiſsima, ac à tenera ætate Monaſterio Marchennēſi traditus, adultus iam & ad annos pubertatis perueniens, habitum & profeſsionem Monaſticam auidiſsimè arripuit, ſanctè coluit, grauiter & induſtriè exercuit. Louanium deinde (vbi in cœnobio Canonicorum Regularium S. Martini feliciter inſtitutus eſt) ac poſtea Lutetiam Pariſiorum miſſus, ita bonas literas excoluit, eum guſtū accepit, & affectum induit, vt non ſolùm egregiè literatus & bene doctus, ſed etiam maximus literarum amator & diſciplinarum admirator euaſerit. Redijt enim ad monaſteriū, non

non tantùm Latinæ linguæ & rei Theologicę plusquam mediocriter peritus, verumetiam vtriuſque incredibili amore & ſtudio accenſus. Quare inter ſuos ſic egit, ita verſatus eſt, ea luce & ſplendore refulſit, vt ſeu vitę innocentiam & ſanctimoniam, ſeu animi virtutes varias, ſeu ingenij vires præſtantes, ſeu morum comitatem ſingularē, ſeu etiam in rebus agendis dexteritatē excellentem conſideres, planè ſicut margaritum inter gemmas, inter aſtra Lucifer, Ver inter anni partes, roſa inter flores cæteris omnibus facilè, pręcelleret & pręluceret. Quo in genere hoc ſingulare eſt, & rara laus, quod prorſus irreprehēſibilis vixerit, vtpotè qui in Capitulo nunquā reprehendi ſit viſus. Hinc porrò factum eſt vt vacante, non ita multò poſt monaſterij præfectura, ad eam religioſus, literatus, prudens, & pius Monachus tam ſuorum deſiderio, quā authoritate Regia ſingulari etiam Dei prouidentia eueheretur. Huc euectus & eo dignitatis in loco conſtitutus, ſi quos antea priuatus prudentię, pietatis, φιλομαθείας, veræque religionis igniculos oſtenderat, eos nunc Abbas factus, in flammam ingentem excreuiſſe, tanta videlicet benefaciēdi materia ſubminiſtrata, demonſtrauit. In ea tēpora præfecturæ huius monaſticę initia inciderunt, quæ & calamitatis huius Belgicæ qua ſurſum, deorſum verti, ferriq; videmus

omnia,

omnia, & celeberrimæ Academiæ huius ad imminentem tunc illam calamitatem vel ſiſtendam vel mitigandam erectæ, initia fuerunt. Calamitas Belgica monaſterij ſui vaſtationem præter antegreſſum templi incendium attulit. Noua Academia, noui Abbatis patrociniũ tacita poſtulabat. In vtroque qualem ſe & quantũ præſtiterit, quàm feliciter ruinas omnes monaſterij ſui reſtaurauerit & detrimenta reparauerit; quanta liberalitate vel magnificentia potius exorientem Academiam peneque in ipſo ortu animam agenté pius Pater & ſtudioſus Mecœnas fouerit, exornauerit, auxerit; ſi neſcire hic aliquem arbitrarer, iuberem vos expectare quantumcunque maxima, dicerémque quòd expectationem omnium veſtrum vincerem. Nunc autem notiſsima quidem referam. Referanda ſunt tamen & tum ob tanti viri perpetuam memoriam, tum etiam gratitudinis ergo ſæpius à nobis repetenda, nullóque vnquam tempore obliuioni tradenda.

Abbas itaque Marchênenſis in florenti quidem ætate, ſed temporibus difficillimis conſtitutus, nihil prius neque antiquius habuit; quàm vt rem monaſticam paterna ſollicitudine vel collapſam reſtauraret, vel conſeruatam foueret, ornaret, augeret. In hanc curam quum omnes ſuas cogitationes conuerteret, totuſque incumberet, & pluri- 2. Pars.

 mos

mos abuſus magna authoritate & abſque vlla ſuorum contradictione remoueret ac tolleret, ecce tibi præter dirutam & cōflagratam necdum reparatam maximā templi partem, noua familiam ſuam tempeſtas diuexauit, noua calamitas & repentina, niſi maxima prudētia & maturè occurſum fuiſſet, vniuerſum monaſterium funditus vaſtauerat. Erumpētes enim ſubitò ex agro

Anno. 1565. Tornacenſi Geuſiorum turmæ & paſsim omnia ſicut locuſtæ atque erucæ vel deuaſtantes vel abſumētes (hæc enim erant cęptæ tunc in Belgio præclaræ reformationis initia, & futuræ tragediæ, cuius exitum nec adhuc videmus, primus Actus) in monaſterium Marchennenſe magno numero, maiori odio, rabie & furore maximo inuolarunt. Sed vigilantiſsimus & prudens Abbas non ſolum monachos ſuos tēmpeſtiuè ablegauerat, & pretioſiſsima quæque aſportari curauerat, ſed & quicquid ferè mobilium aut ſuppellectilis erat maxima diligētia amoueri & in tuto reponi fecerat. zeloſi igitur reformatores quum nec monachos inuenirent, quos ſanctè reformarēt (ad hoc enim ſcilicet venerant) nec ad quas inhiabant offas (vaſa & ornamenta Eccleſiæ pretioſa) ſupereſſe viderēt (viſitaturi enim ſingula aduolarant) in ſaxa & ligna, in parietes & tabulata ſæuierunt, maximè verò Diuorum imagines & depictas variè feneſtras

Monaſterij Marchēnenſis per Geuſios direptio.

ſtras

ſtras religionis ergo diligenter ſpeculati, telis & armis ſingula ſunt demoliti, nihil enim non in templo tantum & clauſtro, ſed nec in triclinijs, cubiculis, hoſpitijs, maximè pennarijs, intactum vel infractum dimiſere. Nudos parietes etiam inuitiſsimi abeuntes reliquerunt. Sed hanc tantam & tam grauem calamitatem partim ſingulari cura & prouidentia præoccupando prudẽs paterfamilias deuitauit, partim mirabili induſtria & labore breui poſt tempore ſollicitus & pius pater reſarciuit. Mox enim & quæ incendio abſumpta fuerant egregia & ornatiſsima ſtructura perfecit; & quia dilexit decorem domus Dei, ſplendidè ornauit, & præterea ab hæreticis diruta atque vaſtata in priſtinum protinus adeoque maiorem nitorem ſingula reſtaurauit. Adiecit quoque poſtea nouum pro fratribus dormiendi locum à fundamentis erectum, ſuorum valetudini & pijs exercitijs commodiſsimum.

Nec tamen qui ita in reſtaurãdo & exornando ſuo monaſterio ſplendidus atque magnificus videri poteſt, vel bona monaſterij propterea dilapidauit, vel cæteris aut ſuorum neceſsitatibus quicquam detraxit, aut ijs qui foris erant adiuuandis vnquam defuit. Sed tanta prudentia, ſollicitudine tanta rem domeſticam adminiſtrauit, nihil vt cuiquam à maximo ad minimum ali- Qualis paterfamilias.

 quando

quando deeſſet, nihil etiam ſupereſſet. Sic enim ad ſingula oculatus, attentus & vigilans erat, vt nihil prorſus ne bolum panis interire ſineret aut ipſo inſcio dilabi; ſic rurſum de ſingulis ſollicitus & ſuorum amans, ſic ad benefaciendum facilis, prõptus, effuſus, vt quum ſuos liberaliter in omnibus tractaret, tum verò honeſtæ cuiuſquam petitioni aut deſiderio nihil vnquam denegaret.

Qualis Pater ſpiritualis.

Eſt & illa maxima huius ſapientiſsimi Abbatis laus, quòd Monachos ſibi ſubditos atque commiſſos in vera pietate ſanctáque religione tam diligenter addiſcenda quàm etiam ſtudioſè excolenda, admirabili ſemper labore, opera, induſtria, vel inſtituit ipſe, concionando, adhortando, mónendo; & tardiores quidem increpando, promptiores autem ad talia ſingulari amore amplectendo, vel ab aliis inſtitui & edoceri fecit. Sed quia huius rei explicatio cũ futura narratione permixtum aliquid atque coniunctum habet, eam mox ſuo loco repetemus. Illud vnũ hoc loco addam, nullos erga ſuos liberos parentes naturales quos arctiſsimi amoris vinculo natura inter ſe deuinxit, nullum erga ſuos catulos & pullos ferorum animantium genus (de quorum tamen pro ſuorũm ſalute certaminibus & laboribus multa & mirabilia ſcribuntur) maiori dilectione, acrioribus ſtimulis, intentiori ſtudio

dio

dio & labore ſuorum commodis & ſaluti próſpexiſſe, quàm pius hic & verè ſpiritualis Pater filiorum ſuorum æternæ ſaluti próſpexerit, & vero monachiſmo in ſuâ familia reſtaurando atque conſeruando ſtuduerit & incubuerit. De Delphino piſcium rege prodidere quidam, eum ſi quando cętum quendam teneræ atque imbecillę proli ſuæ adnatantē perſpexerit, confeſtim eum expanſis genis in os accipere cibiq́ue cuiuſdam inſtar, ne hoſti prædæ ſit, in fauces admittere; nec mirabilem illam ac penè incredibilem ſarcinā prius egerere, quàm valentiſsimi cæti minas effugerit: tum autem leui illo enixu defungi ac prolem euomere. Non abſimili certè modo ſollicitus hic & ſuorum amantiſsimus pater facile videns propter temporum impietatem & deploratiſsimam veræ religionis faciem, circumlatrantibus vndique, graſſantibus & ſacra omnia demolientibus hæreticis, ſed maximè monachorum ſaluti & ordini inſidiantibus, perire poſſe, & à ſtatu ſancto dimoueri prolem aliquam ſuam, atque à cęte qui diabolus eſt, operans in filiis diffidētiæ deuorari; eos in ſinu pectoris ſui in viſceribus ſuis perpetuo portauit, parturiens eos ſemper in Domino; & perpetuam eorū curam agens; nec prius illam ſarcinam deponens, aut curam abijciēs, donec in hoc tutiſsimo loco, ſanctę eruditionis & omnis religionis

Greg. Nazian. in carm. ad Nicobulū.

Delphini in prolem amor.

peregregio ſeminario, ſua ſingulari opera exędificato collocaſſet. De quo mihi mox grandis ſermo & amplior diſſerendi locus.

Pro fide & Rege zelus ac ſtudium.

Penè prætermiſeram quòd prudens hic & magnanimus Abbas in generalibus omnium Ordinum comitiis maximæque Inſulenſibus illis ita ſtrenuè ac fortiter pro fide Catholica, pro obedientia erga Regem ſemper dimicauerit, vt huius ſolius nomen ac vultum hęretici quidem Inſuléſes quàm maximè reformidarent, & de rebus ſuis eo præſente, nihil boni ſperare auderent, Catholici autem eius authoritate, conſilio, for titudine plurimũ adiuti, & ad rem bene gerẽdam animati fuerint. Ac talis quidem ille domi foriſque Abbas fuit.

3. pars.

Venio nunc itaque ad tertiam & præcipuam orationis noſtræ partem, in qua dicendum mihi & explicatius commemorandum eſt, qualis & quantus extra monaſterij ſui fines erga afflictos omnes & egenos, erga literatos magis, erga hanc Academiam maxime Mecœnas extiterit. Hoc verò in loco, non quidem illud Poëtæ repetam, *Non mihi ſi linguæ centum ſint oraq; centum*, nec illud Hieron. vſurpabo, *Si omnia corporis mei mẽbra verterentur in linguas*, ſed illud certé dicã, ſi & Demoſthenis acrimonia, & Iſocratis elegãtia, & M. Antonij latera, & Hortenſij facundia, & qui alios omnes ſuperaſſe videtur, Marci Tullij incredibilis eloquentia, perſpicuitas,

ſpicuitas, copia, mihi adeſſent; vt his omnibus dicendi præſidiis inſtructus, quæ dicere vellem acriter vrgere, eleganter exornare, fortiter perorare, diſertè explicare, ac denique grauiter, perſpicuè, copioſe pertractare, oſtendere & amplificare poſſem, nihil tamen tanti viri meritis, tanti Mecœnatis liberalitate, vel magnificentia potius dignum dicere me poſſe ſperare auſim. Magna quidē eſt apud D. Hieronymum Paulæ nobiliſsimæ matronæ laus, *quòd ſi pauperem videbat, ſuſtentabat; ſi diuitem, ad benefaciendū hortabatur. Et quòd aurum magis in ventribus egenorū, quàm in mā ſupijs recondebat. Denique quod dicere ſolita eſſet, ego ſi petiero multos, inueniam qui mihi tribuāt, iſte mēdicus ſi à me nō acceperit, à quo accipiet?* Maior in Scripturis ſanctis S. Iob pietas laudatur, quòd *oculus fuerit cæco, pes claudo, & pater pauperum, & quòd ab infantia eius creuit cum eo miſeratio, & de vtero matris eius egreſſa eſt ſecum.* Quæ omnia etiā in S. Gregorio eius nominis primo Rom. Pont. locū habuiſſe ad maximam tanti viri laudem cōmemorat Venerabilis Beda in hiſtoria gentis noſtræ. Maxima deniq; cōmendatione Ioannes ille Eleemoſynarius, & Alexāder item Epiſcopus Alexandrinus propter hoc pietatis genus inter res geſtas SS. Patrum celebrātur. Sed vnus ni fallor hic noſter R. Pater & Abbas Marchennenſis in hoc genere pietatis, & laudis hos omnes ſuperauit, & lōgè poſt

Quantus ſtudioſorum ac piorum Mecœnas.

In epitaphio Paulæ.

Iob. 29.

Lib. 2. cap. 1.

In vita vtriuſque apud Surium.

Eleemoſynarius quantus. ſe interuallo reliquit. Taceo enim quas in villa ſua Marchennenſi & frequentas imò
1. otdinarias ac ſtatas eleemoſynas fecit. Ni-
2. hil dico quod extorres & afflictos, vel ſui, vel alterius ordinis Monachos, aut domi ſuæ, aut in hoc ſuo ampliſsimo collegio his poſtremis annis aluit, fouit, conſeruauit.
3. Prætereo quot pauperes ſtudioſos hoc etiã in loco in bonis literis erudiendos, vel omnino pauit, vel ſubſidijs pecuniarijs liberaliter iuuit. Certè vno in anno pluſquam tria millia florenorum hoc ſolo in genere eum expendiſſe certiſsimè intelligo: quin & paulò ante mortem affirmauit ſe potius vaſa ſua argentea & vſq; ad vnicam veſtem cætera diſtracturum, quàm vt pauperibus

Vox magnæ charitatis.

4. ſtudioſis neceſſaria deeſſent. Referre nequeo quas hoc etiam in loco alendis Theologis burſas, vel ipſe fundauit, vel ſua prudentia exhortatione, authoritate fundari
5. procurauit. Omitto denique quanta munificentia eos qui in hoc ſuo collegio nõ tam ſibi quam honori & vtilitati Academicæ ſeruierant, quauis data occaſione, & maximè in laurea Theologica promouẽdos proſecutus fuerit, iuuerit, ornauerit. In quorum numero quia & me olim fuiſſe recordor, maximè quũ huius collegij præfecturam biennio & amplius gererem, hanc partem libentiſsime commemoro, & tanto Mecœnati tam meo quàm aliorum nomine

mine ampliſsimas gratias ago.

Illud certè nec ſine ſcelere præterire nec leuiter perſtringere, nec denique ſatis magnificè prædicare poſſum, quòd hoc collegium, hoc inquam ampliſsimum Muſarum domicilium, nobiliſsimum omnium bonarum artium theatrum, addo etiam ſplendidiſsimum veræ pietatis ſacrarium, non vt Zenonis Stoam, aut Platonis Academiam, aut Ariſtotelis Spatia, ſed vt omnium inferiorum diſciplinarum ſcholam celeberrimam, atque rerum diuinarum perpetuam εἰσαγωγὴν, ſuo non conſilio, ſed auxilio; ſua non voluntate tantum & authoritate, ſed opera, labore, induſtria, ſuis denique non ſubſidijs ex parte, ſed opibus in vniuerſum ſumptuque propemodum infinito, à fundamentis erexit, ſplendidè exornauit, feliciter ante obitum conſummauit, ac poſtremò huic Academiæ in ſempiternum conſecrauit. Hoc hoc Collegium Marchennenſe, hæc ſchola, hic locus, hæc ſacra ædes, R. Patris Arnoldi de Ganthois ſempiternũ erunt pietatis, prudentiæ ac magnificentiæ monimentum. Huius ampliſsimi beneficij, atque operis nobiliſsimi memoria, recordatio, fama, nunquam intercidet. Hanc ſtudioſa iuuentus perpetuò colet; nec iuuentus tantum, ſed tota Academia Duacena; nec Academia ſolum, ſed totum Belgium; nec Belgium modo, ſed Eccleſia ac Reſp. Chri-

Collegij Marchennenſis pulcherrimi fundator.

 ſtiana

ſtiana vniuerſa in tanti viri ſempiternã laudem ſtudioſè collaudabit, accuratè prædicabit, magnificè celebrbabit. Academia verò Duacena non collaudabit tantum, aut grata recordatione ſemper proſequetur, ſed quod hodie ſemel honoris cauſa & gratitudinis ergo perlibēter fecit, id perpetuò ſe facturam & omnibus quibus poteſt modis huius collegij conſeruationi, incrementis, honori, conſulturam, ſeſe & proſpecturam pollicetur & ſpondet.

Collegij extructi varius fructus.

Quod enim certè aut in Remp. Chriſtianam vtilius, aut in perturbatæ rei Belgicæ reſtaurationem oportunius, aut in ipſam Academiam vberius; imò ſibi ac domeſticis ſuis honorificentius poſt ſe opus relinquere hic Abbas potuit? Ad Rempub. Chri-
1. ſtianam multis modis exornandam ex hoc collegio tanquam ex equo Troiano multi perpetuò viri vndequaque doctiſsimi pro-
2. dibunt. Ad res Belgicas componendas hinc Theologi & futuri Paſtores, hinc vtriuſque iuris periti, hinc oratores, hinc optimè & ſalubriter inſtituti ciues emittentur. Aca-
3. demiæ ipſi luculentum eſt & optimum ſeminarium quaſique fons perennis, vnde ad ſuperiores facultates ac diſciplinas præclara ingenia emanent atque ſcaturiant. Do-
4. meſticis monaſterij ſui perpetua hæc ſchola & optima magiſtra erit, vt hic in bonis literis ac ſancta pietate, egregiè inſtituti, ſic demum

demum vitam verè monaſticam, id eſt, ſan-ctitati ac pijs ſtudijs deditam, poſtmodum agant. Nomini autem & celebritati tanti vi- 5.
ri quid ſplendidius eſſe poteſt, quàm tot ac tantorum quaſi filiorum corona fulgere?

Lydios olim ramentis aureis abundaſſe, oppéſq; illis fluminis cuiuſdã beneficio affluxiſſe Poëtę fabulantur. Auriferas etiã formicas Indis è caua arena diuitias haurire ſolitas tradunt. Nilus fertilibus cãpis tempeſtiuè illabens opulentiſsimã Ægyptum reddit. Vtque rem in pauca contraham, alius auibus, alius ſtirpibus, alius pretioſis & rutilãtibus gemmis maiorem in modum delectatur, & beatum ſe exiſtimat. At verò 6.
præſtantiſsimum hunc virum Chriſtus do- Merces apud Deũ.
minus excellentiſsimo omnium honore cumulauit; vtpote cuius munere hoc illi conceſſum eſt, vt multorum hominum pietatis & eruditionis laude florentium corona gloriari queat. Quod ſi in ſacris literis dicitur: Dan. 12.
Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates; quo ille fulgore & ſplendore apud Deum & homines prælucebit, qui ad erudiendos in perpetuum quàm plurimos, tam nobile Gymnaſium extruxit? tantam iuuentutem viuus aluit? tot in variis diſciplinis magiſtros mortuus reliquit?

Si Lacedemonij paternam lanceam Pelopidæ humerum eburneum, Reges pater-

num

num ſceptrum, antiqui Athenienſes pater-
Benefic:j memoria perpetua. nam cicadam, magna in veneratione habue
runt, vt hac ratione paternæ virtutis, forti-
tudinis, nobilitatis, ac denique eruditionis
hæredes ſe eſſe profiterētur, quantò magis
munificentiſsimi huius Abbatis & bona-
rum literarum Patris amantiſsimi perpe-
tuam memoriam, laudem & honorem om
nes huius Gymnaſij alumni ſemper profi-
tebuntur, & tanti Patris nomen non ingra-
ti filij perpetuò celebrabunt? Si Centurio-
Luc. 7. nem in Euangelio ſerui ſui ſalutem à Chri-
ſto petentem ſeniores Iudæorum plurimis
verbis hoc nomine commendabant, *quòd di-
ligeret gentem ipſorum, & ædificaſſet illis Synagogā*,
adijcientes; *dignus eſt vt hoc illi præſtes*, quàm
etiam ob cauſam *iam ibat cum illis Chriſtus, vt
ſeruum ſanaret*; ſi viduæ Chriſtianæ in Actis
Actor. 9. Apoſtolicis *circunſtantes Petrū & flentes oſtende-
bant illi tunicas & veſtes quas faciebat illis Dorcas*,
vt propter huiuſmodi charitatem illā mor
tuam reſuſcitaret, quod & fecit; quis dubi-
tabit quin illam beatam animam Deo ſuo
nunc fruentem, & Academiā Duacena per-
petuis laudibus, & ipſi in cęlo ſancti Patres
olim hic in terris eruditione præſtantes,
admirandis encomijs coram cęleſtibus cho
ris celebrabunt, quia iſte dilexit gentem no
ſtram, dilexit literatos ac pios omnes, & ip-
ſe ædificauit illis non Synagogam tantùm,
ſeu ædem hanc ſacrā ad diuina officia pera-
genda,

genda, ſed amplum præterea collegiũ omnibus ſuis numeris abſolutum: ipſe deniq; non tunicas & veſtes pauperibus viduis faciebat, ſed tum pauperes viduas, tum maximè pauperes ſtudioſos permultos veſtiebat, fouebat, alebat. Scribitur à Simeone Metaphraſte in vita S. Ioãnis Eleëmoſynarij, Epiſcopo cuidam Zoilo dicto, qui hortante primum dicto Ioanne alendis in quodam ptochotropho pauperibus 30. libras auri dono dederat, poſteáque pœnitentia rectè facti ductus (erat enim auarus) eaſdẽ pecunias ab Epiſcopo Ioanne receperat, in ſomnis per Angelum proxima nocte oſtenſam fuiſſe domum quãdam pulcherrimam & ſplendidiſsimam, cui elegantia & magnitudine nulla poterat conferri, in cuius veſtibulo titulus ſuperpoſitus erat. *Manſio & requies æterna Ioannis Archiepiſcopi Alexandrini empta 30. libris auri.* Atque hoc illi quidem reuelatum fuerat tum ad turpem eius auaritiam redarguendam, tum ad Ioannis Eleemoſynarij merita & gloriam ſignificãdam. Quanto magis exiſtimabimus & nullo modo dubitabimus, eam iam beatam ſedẽ huius noſtri animam tenere, quæ ſit *manſio & requies æterna Arnoldi Abbatis Marchẽnenſis empta extructo ad bonas literas & Dei cultum collegio?* Videor fortaſſe vna in re explicanda nimium immorari. Sed hæc profectò res vna eſt quæ nullis meis verbis ſatis explicari, nulla

oratione pro ipſius dignitate exornari queat

Vnum adhuc igitur addam quod antedicta omnia ſiue in hanc Academiam ſiue in alios priuatim literatos huius viri beneficia, donaria, merita, longiſsimè ſuperat: quod quum quale ſit explicauero, finem dicendi faciam. Dico hunc R. Abbatem Marchennēſem non iſtud modo collegium, ſed & vicinum illud ac huic proximū huic Academiæ donaſſe. Dico huius beneficio & tertium illud Regium dictum, imò vniuerſam Academiam conſeruatam nobis eſſe. Quod ne incredibile cuipiam videatur, ſic accipite. Tempus erat ante annos circiter quindecim, quum recens nunc & tenera hæc Academia in ipſis iam ſuis cunabulis poſita propter maximā ſtudioſorum paucitatem, & ipſo collegio regio quod vnicum tunc erat propemodum vacuo exiſtente, animā agere & extrema fata ſubitura videbatur; inſultantibus etiam vicinis Tornacenſibus fore vt exigua ſcapha vniuerſam Academiam de nocte ſuffurati aliò abactam ducerent. Non tulit hanc triſtem & deplorandam florentiſsimæ paulò ante Academiæ faciem pius hic & magnanimus vereque ad literas propagandas natus Marchennenſis Abbas. Moxque pro ſuo in Deum in Remp. in Academiam ſtudio conſilium inijt vt ſapientiſsimum ita & feliciſsimum atque fauſtiſsimum. Abbatem Aquicinctenſem celebris

Collegij Aquicinctenſis extruendi inſtigator & Author.

bris memorię D. Lentallerium adijt, rogat, hortatur, monet, nihil tunc tale cogitantem, vt de retinenda & conſeruanda hoc loco Academia cogitare vellet. Suadet vt communibus ſumptibus & iunctis copijs fundum emerent, ſcholas iuuentuti erigerent, magiſtros collocarent. Cæptum eſt igitur communi opera hanc in rem incumbi & vtriuſque Abbatis liberalitate inchoata ſunt illa quæ iam retro hoc collegiũ mediocria conſpiciuntur ædificia. Sed prudẽs & pius hic Pater quum alterum Abbatem eò vſque protraxiſſet, totam iam ſuam intentionem & admirabilem pietatem aperiens, tanquam alter Abraham fatri ſuo Loth, *anguſtus*, inquit, *eſt locus iſte, nec capere nos duos debent tam exigui fines*, tu ad Orientem perge & e regione collegium & ſcholas vt videbitur erige: Ego hunc locum ſolus tenebo, & ad ampliorem formam nouis iactis fundamentis collegium extruam. Intellexit ſtatim piam fraudem Lentallerius, & ſubridens ac gaudẽs loco ceſsit; maiora quoque & ipſa meditaturus atque facturus, poſtquam à iuniore fratre, & cuius fortunæ non ita eſſent amplæ, nec reditus tam opimi, ita ſeſe prouocari & in arenam atque certamẽ hoc ſacrum produci videret. Ita factum eſt vt alterum quoque Aquicinctẽſe collegium noſter hic Abbas Marchennenſis huic Academiæ procurauerit, quaſique eius Author

Collegiorum Duacenſium prima fundamenta & conſilia.

exti-

extiterit. Et ne quis hic me aliquid aut fingere aut incertum narrare exiſtimet, interfui ego & his auribus accepi quum omnia à me iam dicta ipſe Lentallerius præſente etiam Marchennenſi multis quoque alijs audientibus in menſa aliquando referret & ſuauiter cōmemoraret; vniuerſam horum collegiorum laudem & commendationem huic ſoli tribuendum eſſe palàm pronuncians. Sic ſanè Academia Duacena iam iam collapſura, in pedes erecta & conſtabilita eſt: ſic hoc vtroque collegio donata; ſic etiā tertio collegio in priſtinam formam cito redacto, de nouo ornata quaſique renata eſt: huius R. Abbatis Marchennenſis, beneficio, ſtudio, conſilio, authoritate, prudentia ac denique munificentia ſingulari, & ſempiterna memoria digna.

Epilogus. Quæ quum ita ſint, quid aliud nobis reſtat quàm vt ſi nihil aliud ſaltem mutuum faciamus? Dilexit ille Academiam hanc, & amore pluſquam paterno ſi quis maior eſſe poteſt, cōplexus eſt. Viuus illis quibus diximus modis fouit, promouit, ornauit. Mortuus non niſi in hac Academia, & in hoc tantę dilectionis ſuæ nobiliſsimo monimēto ſepeliri voluit. Viciſsim & nos memoriam tāti Mecœnatis certatim celebremus, relictū apud nos tanti amoris pignus omni ſtudio colamus, eiuſque honorem & ornamentum omni quo licet fauore & amore

proſe-

proſequamur; denique vt perpetuũ & immortale ſit quod fauſtè, feliciterqueab eo cæptum eſt, ſimilẽ ei ſucceſſorẽ votis omnibus comprecemur: qui videlicet nõ ſecus in Academiæ Duacenæ dilectionem quàm in monaſterij illius præfecturam tanto & tam celebri Abbati ſuccedat. D. Ambroſius (vt ſcribit in eius vita Paulinus) quoties ei de ſancti cuiuſpiam ſacerdotis obitu nunciatum eſſet, amariſsimè flebat: Cauſam rogatus reſpondit, *quia difficile eſſet ſimilem ei inuenire*. Magnos enim certè ſanctos & præclaros viros immatura morte eripi quotidianum penè eſt; ſed ſimilem ſimili ſanctitate, prudentia, ac reliqua virtute virũ ſuccedere rarum eſt & ſingulare Dei beneficium, quod optari magis quã ſperari queat. Noſtri ergo officij vtrumque hoc eſſe cenſeo, defuncti tanti Patris memoriam (quod hodie hoc publico conuentu ſtudioſè facimus) ea qua par eſt animi gratitudine celebrare; & præterea pijs poſtea precibus alterum Abbatem ac Mecœnatem Marchennenſem à Deo Opt. Max. expetere.

Dixi.

ORATIO FVNEBRIS ET PANEGYRICA IN LAVDEM Matthæi Galeni Acadamiæ Duacenæ Cancellarij, Præpoſiti D. Amati & S. Theol. Profeſſoris Primarij, in Scholis Theologicis habita, die Sancti Matthæi. 1573.

Oratio Funebris Academica 34.

SCRIBIT Plutarchus Cheronęus, Themiſtoclem Athenienſium Ducem, & Imperatorem celeberrimum, quum in Olympiæ celebritate omnes omnium oculi cõtemptis certaminibus in illum vnum præſentem eſſent conuerſi, in eoque ſpectãdo, diem totum conſumpſiſſent, & eum cum plauſu & admiratione, peregrinis & aduenis oſtendiſſent, digitoque demonſtraſſent lætum ad amicos dixiſſe: eo die ſuorum omnium laborum, quos pro Græcia ſuſcepiſſet, fructum ſe amplisſimum reportare. Fuit enim id grati animi, tã celebre & publicum teſtimonium, nobilisſimo Duci meritò longè gratisſimum. Tantundem hodie (Magnifice Domine Rector, Clarisſimi Domini Doctores, Amplisſimi & ornatisſimi viri, doctisſimi & humanisſimi Auditores,) in hoc frequẽtisſimo cõſeſſu veſtro, in

in hac attentione & expectatione omnium veſtrum, in his oculis, his animis veſtris celeberrimus Duacenſis Academiæ Profeſſor & Cancellarius, Matthæus Galenus & animo ad amicos præſens, & voce per amicũ abſens, lætiſsimus dicit, ſe hodie laborum ſuorum omniũ, quos pro celeberrima Duacenſi Academia ſuſcepit, fructum ampliſsimũ reportare. Hodie enim videt, in ſe vnũ veſtra omnium ora, vultuſque cõuerſos: ad ſe vnum contuendum, admirandum, laudibus celebrandum, quicquid doctum & nobile Duacum habet, confluxiſſe: de ſe vno quia dicẽdum erat, relictis curis omnibus, omnes huc excurriſſe. Neque enim mihi vnquam perſuaſerim, vt dicentem quem cernitis audiretis, ſed vt abſentem quem deſideratis ſpectaretis, eo ſanè quo ſolùm iam licet modo, præclara rerũ geſtarum recordatione, in hũc locũ frequentes vos cõueniſſe. Nempe facilè cogitaſtis, de Matthęo Galeno dicturũ nihil niſi præclarũ, illuſtre, & auribus veſtris vt propter rerũ magnitudinem digniſsimum, ita propter beneuolentiam in eum veſtram, iucundiſsimũ dicere potuiſſe. Quemadmodum enim qui gẽmas aut aurum diſtribuit, nihil (quantumuis det exiguum,) niſi pretioſum, & porrigentis manu dignũ, dare poteſt, ita rectiſsimè iudicaſtis, de pręſtãtiſsimo Theologo, & optimo viro Matthęo Galeno dicere volẽtem,

nihil tenue, exile nihil, aut hac attentione veſtra indignum afferre in mediũ potuiſſe. Sic & in pretioſis vnguentis, non tantùm ſi quis totam effundat hydriam, verùm etiam ſi quis vel ſummis digitis ſuperficiẽ attingat, & aërem nouo calore aſperſit, & quotquot adſunt, ſuauitate fragrantiæ repleuit. In rebus enim præſtantibus etiã modicum delectat, iuuat, illuſtrat.

Itaque præclarè ſe res habet. Veſtra expectatio Galenus eſt: mea Oratio Galenus eſt. Dolemus omnes, quòd vix etiã intimis ſalutatis amicis deceſſerit, quod abripuerit eum vis morbi prius lætiferi, quàm vulgò cogniti, quod denique mortuum iam nobis cernimus, quem & nobis, & Eccleſiæ diutiſsimè victurũ ſperabamus. Sed reſarciet aliqua ex parte grauiſsimã hanc iacturam, præſens oratio. Nã & eo in mediũ hîc producto, quaſi abeunti valedicemus, & eius ſanctiſsimè acta vita á nobis vtcunque declarata, ſpeculum & exemplar erit nobiliſſimum, quo nobis & Eccleſiæ quàm diutiſſimè viuat. Si enim ea virtutis vis eſt, vt etiã quos nunquam vidimus, admirari, diligere, colere, & imitari nos faciat: notiſsimus nobis omnibus Matthæus Galenus, quomodo non perpetuum erit Academiæ Duacenſi, omnium virtutum exemplar, induſtriæ & laboris ſpeculum, eruditionis incomparabilis monumẽtum? Et nunc quidẽ (vt arbitror,)

bitror,) harum rerum iucundiſsima erit recordatio, & memoria ſuauiſsima, cùm remiſit ſe, & deferbuit nonnihil acerrimus ille mœſtitię impetus, & doloris aculeus, quo tanquam repentino, eoq́ue grauiori inflicto nobis ex huius viri morte vulnere, obſtupuimus magis attoniti, quàm iuſtũ animo dolorem concipere, aut conceptũ concoquere poteramus. Leniuit iam dolorem dies, & diſcuſſa paulatim ingentis triſtitiæ nube, quæ primo momẽto habita, vulnus adhuc recens & calẽs exacerbaſſet oratio, hac iam temporis interpoſita mora, (quæ vt veritatis eſt filia, ita doloris eſt medicina,) quaſi reddita animis ſerenitate, reſplendens iubar, recreabit atq; reficiet. Fecit hoc enim, ne in ipſis exequiarum ſolemnibus hæc noſtro Galeno iuſta perſolueremus. Ac neſcio quo modo ſic Deo rem ipſam & animũ noſtrum moderante, in eum hodie diem incidimus, qui doctiſsimo Galeno celebris ſemper & illuſtris fuit. Hic enim Diuo Mattheo Apoſtolo ſacer, Mattheo Galeno ſacratiſsimus ſemper eſt habitus. Hoc ille D. Matthæi die olim ex hoc loco (ô quanta facundia, pietate, eruditione quanta!) cognomini ſuo Diuo Apoſtolo panegyricam orationẽ habuit, quæ hodie typis excuſa, cũ omnium Doctorum admiratione legitur. Hoc ille D. Matthæi die, Delingã Academiã celebrẽ ingreſſus eſt, ſubiturus ibi (vt mox dicemus,)

incredibiles pro Eccleſia Dei labores. Circiter hunc D. Matthęi dié, hanc ille noſtrã celeberrimã Duacenſem Academiam ingreſſus primùm eſt, futurus hic talis & tantus, qualé omnes nouiſtis, & nõ ſine magnis ſuſpiriis, iá deſideratis. Et quid ni hoc ille D. Matthæi die, oratione funebri & panegyrica, ipſo iá penè octauo migrationis ſuæ die, ex omnium deſideriis & votis, in hoc ampliſsimo cœtu & conceſſu celebrandus eſt?

Ego verò, nõ quòd vnus præ cæteris omnibus hoc commodiſsime pręſtare poſſem, ſed quòd vnus inter cæteros libentiſsimè vellem, de Geleno dicturus, hunc locuũ cõſcendi. Siue enim celeberrimos Patres imitari libet, Nazianzenum & Ambroſium, quorum ille patrem defunctum, fratré Cæſarium, ſororem Gorgoniam, & amicum Baſilium, hic fratrem Satyrum, pios Imperatores Theodoſium, & Valentinianũ, oratione Funebri celebrauit, à me certè & beneficiis amantiſsimus pater, & officio collega ac frater, & omni humanitatę, ac beneuolentia, amicus integerrimus, non ſolùm commodè prædicatur, ſed hoc quicquid eſt officij, ſuo optimo iure vendicat: ſiue ad id, quod par & æquũ erat, attendere velimus, profectò nec facultatis ſuæ Profeſſori Primario, eiuſdem facultatis Profeſſor, nec venerabilis Collegij Amatenſis Præpoſito digniſsimo eiuſdem collegio Canonicus, nec

totius

totius Academiæ Duacenſis primo & ampliſsimo Cancellario, eiuſdem Academici Senatus membrum, hanc qualemcunque tandem operam negare debuit. Itaque quæ ſingula dicturo, pęſsidia ſolent eſſe maxima, hîc ita adſunt vniuerſa, vt nihil ferè deſiderari poſſe videatur. Nam & dicēdi campus patet ampliſsimus, & eius de quo dicetur recordatio, vobis eſt iucūdiſsima, & dicturus ipſe non tam ad hoc munus officio eſt obſtrictus (licet obſtrictiſsimus) quàm ſpōte & voluntate affectus. Quæ tamen omnia cùm hic conueniant, neſcio qui fiat, vt in ipſo dicēdi limine, atque veſtibulo vacillet animus, caliget intentio, fluctuet, ambigat, hęreat oratio. Hinc enim magnitudo rei terret, inde copia & varietas diſtrahit: conantem alacriter mœror deiicit: inde eluctantem metus excipit, ne animo res, & rebus verba non reſpondeant, néue optima cauſa malè dicendo pereat.

Sed his omnibus malis, quibuſcum, dum hæc meditor, grauiter his diebus conflictatus ſum, veſtra mihi, vt naufrago tabula, occurrit humanitas: quæ quidem à me in tam inopinata amiciſsimi viri morte, mœſtitia planè & mœrore deiecto, valetudine parū firma afflicto, alia heſterno die ex hoc loco perorandi prouincia impedito, non eā dicendi vim acrimoniam, & impetum expectabit, quem Galeni vera laus meretur, ſed

quem præſens mea infirmitas præſtare valet. Qua quidem veſtra omnium humanitate fretus, ad rem ipſam me accingo. Id tamē ante omnia edico, nemo vt hic mœſtus, nemo deiectus aſsideat. Vt attētis auribus, ita animis erectis, quæ dico accipite. Neque cum Galenum laudo, ereptum tibi Galenū doleas, quiſquis Galeni admirabiles virtutes auide expectas. Primū enim lætandum magis quòd Galenum habueris, quàm dolēdum quod Galenum amiſeris. Illud enim gratuitum Dei donum erat, hoc naturæ debitum eſt. Si præſenti bono vt Dei ſingulari beneficio vſus es, id non tibi ereptum, ſed ab auctore repetitum iudicabis. Et fortaſſe idcircò à nobis hoc tantum bonum immaturiùs repetitum eſt, vt quale ac quantum illud eſſet, clarius intelligamus. Quemadmodum enim oculi, quod iſto propiùs admotum eſt non vident, ſed opus habent moderata quadam interualli diſtantia; ita animos minus gratos, videmus bona pręſentia ſæpè aut faſtidire, aut non aduertere: iis autem ereptis, eorū ſenſu demùm attingi, & deſiderio affici. Deinde nec Galenum amiſiſti, qui habes perpetuò quod in Galeno imiteris. Imò magis Lacedæmonijs ſuis *Lycurgus* mortuus, quàm viuus præſtitit, & Africanum illum Scipionem, Fabium Maximum, Camillum, quos viuos & præſentes inuidia expulit, mortuos & abſentes pro nobiliſsimis

Mortui magis mouent quā vivi.

bilisſimis Ducibus Roma venerata eſt. Sic mortui Miltiadis trophæa dormire Themiſtoclem nõ ſunt paſſa: Herculis res geſtæ Theſeo ſomnum, Alexandri mortua imago Iulio Cæſari lachrymas excuſsit: pluſque mortui viuos ad virtutẽ ſtimulabant, quam viui ſuos incitare potuerunt. Itaque Galenũ non amiſimus, quotquot Galenũ imitari volumus. Agite ergo, ſic de Galeno dicamus, vt & eius virtutes meritò admiremur; & ipſas (quò minus eum deſideremus) imitemur. Hic enim erit (Auditores) duplex totius orationis meæ finis: vt Matthæi Galeni memoriã, dignis & veris laudibus celebremus: ad eius autẽ imitationẽ, nos ipſos (maximè quotquot hîc ſacræ Theologiæ cãdidati ſumus) ſedulò excitemus. Sic enim & aliquid Catecheticum hæc habebit oratio, ne fruſtrà huic orationi hodierna ceſſerit Catecheſis. Vos ergo (Auditores) nõ dicam attendite, ſed ſedulò quæſo quod facitis, facite.

MATTHAEVS GALENVS in VValachria Zelãdiæ natus, honeſta familia municipio VVeſtcappellij antiquiſsimo, quod à Maioribus decus & ſplendorem nõ accepit, ſuis ipſe virtutibus acquiſiuit: eo profectò nomine commendatior, quòd non aliena, ſed ſua virtute niſus, ad hoc honoris & amplitudinis faſtigiũ coſcendit. Niſi fortè torrentem magis admirere, quàm fontem: Narratio.

cùm hic ex propriis venis ſcaturiat, ille alie nis aquis ſuperbus decurrat. Itaque nihil in Galeno deprecabimur, quòd non longo Ma iorũ ſtemmate illuſtretur, nec auitis & paternis luminibus fulgeat. Ille ſui ſplendoris fax eſt, qui vera virtute, & pertinaci ſtudio ab imis ad ſumma peruenit, vt verè de illo
Prou. 30. dixeris, quod Salomon ſcripſit: *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.* Nactus itaque in prima ætate optimos & prædiuites Mecænates, Antoniũ Henrici, & Antonium Simonis, eiuſdem municipij cõciues, qui perſpecto excellenti eius ingenio, ad la bores & literas nato, pietatis quoq; & virtutis ſtudioſo, liberaliter quæ neceſſaria erãt ſuppeditarunt primis illis Rhethorices & Poëſeos diſciplinis, vſque ad ſummũ citius perductis, eos in grauioribus ſtudijs progreſſus fecit, vt prima iam Theologica laurea donatus, quæ penè ſummi Theologi eſſent, Louanij exerceret. Illic enim cũ adhuc Baccalaureus eſſet, collecto aliquot ſociorũ numero, artem illam oratorie & facundè res ſacras tractandi, vt pro concione & ad populum (vbi mouendus auditor eſt nõ do cendus tantũ) aptè & accommodatè pro cuiuſque rei natura ageretur, priuatim docuit: magno ſanè labore ſuo, maximo aliorum cũ fructu. Hinc enim prodiere poſtea Paſtores in Eccleſia Dei inſignes, qui in quo ſolo valere Hæretici putabantur, longè

gè eos præcellerent: Hanc illis artem traditam in editis poſtea *Paralipomenis* expreſsit. Quibus etiam eodẽ tempore adiunxit *Areopagitica Hildivvini*, *originem Monaſtices*, *libros* quoque de *Sacerdotio*, & item de *Sacrificio*, varia & recondita eruditione pleniſsimos. Talis hic noſter Galenus adhuc Baccalaureus vt hîc iam facilè (quod aiunt) ex vnguibus leonem. Scripta eius adhuc Baccalaurei.

Factus poſtea Licentiatus, vocato tunc temporis ex Dilingana Academia in Angliam à Rege Catholico, celeberrimæ memoriæ viro Petro à Soto, qui vnà cum Martino Rithouio, cum honore à nobis nominando, Reuerendiſs. nũc Iprenſi Epiſcopo, tum Dilingæ in Sueuia ſacras literas profitebatur, eiuſque in locum ſuffecto nobiliſſimo Lutheranorum Antagoniſta, Gulielmo Lindano, nunc Ruremundenſi Epiſcopo, ac eo quoque breui ad maiora reuocato, cùm ex Academia Louanienſi peteretur qui tantis viris ſuccederet, & ſua etiam celebritate illorum deſiderium extingueret, (quod quàm ſit difficilè & arduum, facilè omnes perſpicitis.) Vnus inuentus eſt Matthæus Galenus, & auctoritate Ruardi Tapperi viri celeberrimi, & dicti iã Rithouij extruſus, qui hanc tã difficilem & celebrẽ Prouinciam obiret. Dilingã ergo ipſo die Sancti Matthæi hic noſter Matthæus ingreſſus, quaſi in palæſtram athleta deſcendens,

quos non labores pertulit? Quæ non certamina ſubiit? Quis illi dies, non dico ſine linea, ſed ſine iuſto opere præteriit? Vix ibi toto triennio egerat. Sed in hoc vix triennij ſpatio, cogitate quàm vultis immenſos exantlatos labores; expectate quàm vultis ampliſsimos laborũ fructus: Vincam omnem & cogitationem & expectationem veſtram. Non minus ſibi hominem liberum, laborum, ſtudiorũ, vigiliarum imperaſſe videbitis, quàm qui ſub quouis S. Religionis inſtituta certos iuxta pẽſum & obedientiæ regulam labores ſubeunt. Poſtquam paucis primis mẽſibus cum collega docuiſſet, toto reliquo tempore ſolus, idq́ue bis in die docuit. Et vt pertinaciſsimam hominis in docendo aſsiduitatem compertã habeatis, videte quos illic S. Scripturę libros expoſuerit, quæ præterea dogmaticè, illo exiguo tempore tradiderit. Euangeliũ Lucæ, Euãgelium Ioãnis, Epiſtolam priorẽ ad Corinthios, Epiſtolam ad Titũ expoſuit, & dictauit. In dogmatibus, primum & ſecundũ Magiſtri Sententiarum explicuit, Damaſceni quatuor libros de Orthodoxa fide, (quos etiam eodem tempore è Græco ſermone accuratè vertit, ſicuti & eiuſdem libellum de dormientibus in Chriſto) docuit: & ita docuit, vt (quod & ſingularis eruditionis, & magni laboris erat,) Latinos Theologos cum Græcis perpetuò concordaret,

Docet Dilingæ.

claret, & vtriuſque Eccleſiæ (nequicquam reclamantibus & mentientibus Hæreticis) vnam eſſe,& eandem fidem oſtenderet. Addidit etiam huic labori, inſignem Tractatum de hæreſi, & Schiſmate, cum explicatione etiam compendiaria 103. hæreſum, quarum maximam partem prolixè Epiphanius refutauit. Atque hæc quidem illi quotidiana docendi munera. Quid verò? Dominicis ac alijs feſtis diebus eum vacaſſe putatis? Minimè verò. Sed quibus alij diebus feriantur, & fractas nonnihil corporis vires, plurium dierum ſtudio reparant, atque reficiunt, in his ferreus iſte & adamantinus Galenus, in perpetuis curis pertinax perdurauit. In huius enim triennij primo quidem anno, ſingulis Dominicis ac feſtis diebus, omnia totius anni Euangelia, pro cōcione ad Clerum & ſtudioſos explicuit. Secundo anno, pari modo totius anni Epiſtolas. Tertio anno, Pſalmos ſacrificales & cæteras omnes Miſſæ partes eiſdem diebus expoſuit. Et vt nihil in hoc indefeſsi laboris homine deſideres, inter hæc omnia grauiſsima rerum ſacrarum ſtudia, etiã iuuentuti formandæ & inſtituendæ operã dedit. Quam ita prę́clare inſtituit, vt ſingulis item Dominicis & feſtis, præter conciones quas ipſemet primo mane habuit, aliquis iuuenũ finitis Veſperis, ab eo conſcriptam orationẽ publicè declamaret: idq́ue de virtutibus

tibus & vitiis, de fide & hæreſi, atq; eò pertinentibus. Vt harum tandem Declamationum panegyricarum, & concionum à iuuentute Sueuica pronũtiatarum, centurias aliquot conficeret, quarum omnium Catalogum cum adoleſcentum nobilium nominibus, illuſtri Abbati Campidonenſi, Principi Imperij, dicauit: & propter debellatas hæreſes & vicia, Sueuicum Trophæũ nuncupauit. Et talis quidem publicè Galenus, Louanij ac Dilingæ fuit: vt meritò iam nec Petrum à Soto, nec Martinum Rithouium, nec Gulielmum Lindanum, etſi omnes pręſtantiſsimos viros, & huius ætatis lumina, Academia Dilingana deſideraret

Priuatim autem quis illic fuerit, vt hæc publicè, labore penè incredibili præſtare poſſet, nec attinet multis dicere, nec ita cõmodè ſciri poteſt. Latet enim bonorum virorum domeſtica virtus, quantò magis boni ſunt, ſuáque innoteſcere nõ ſinunt. Duo tamen erant (de quibus nobis conſtat,) quæ ego exiſtimo ad hunc tantum perferẽdum laborem, vim omnem, aut certè maximam cõtuliſſe: ieiunium, & oratio ferè perpetua. Nam & à cænis ſemper abſtinebat, raptim quoque ac modicè pranſus: & quotidie (ô ſanctum virum) diuinis Myſteriis operabatur. Atque ita quidem quotidianum cæleſtis vitæ pabulum, vires animo ſubminiſtrauit: moderatus cibi vſus, ne corpus grauaretur,

effecit.

effecit. Venio nũc ad Duacẽſia. Media enim prætereo, vt exitum tandẽ inueniat oratio.

Mattheus Galenus vir tãtus ac talis, euocatus tãdem Dilinga melioribus auſpiciis, circiter hunc ipſum D. Matthęi diem Duacum ingreditur. Euocatus autem eodem tempore, & à Senatu Duacenſi, & à Reuerendiſſ. ac ſapientiſsimo Abbate Aquicinctenſi, Academiæ potius operam ſuam dedit, vt magis Eccleſiæ (quod ſemper vnicè ſpectauit,) prodeſſet. Quid hic verò Duaci præſtiterit, toto hoc iã quo docuit decennio, qualis hic & quantus vir fuerit, quorſum attinet dicere? Sunt enim iſta nõ præſentibus tantũ, & toti Duaco, ſed & vniuerſo (vt opinor) Belgio, cognita & cõpertiſsima. Oportet tamẽ ad huius viri celebritatẽ, breuiter (vt hactenus,) quę pręcipua ſunt attingere, & prima rerum faſtigia carpere. Nam vniuerſa dicere, & ſingulis inſiſtere, nec noſtrarũ eſt iam virium, nec huius orationis fines patiuntur. Vnde ergo exordiar? Aut quibus potiſsimum inſiſtam? An hîc opimam nactus conditionẽ, otio ſe ac luxui dedit, aut quicquã de priſtina ſua ſedulitate ac ſtudio remiſit? Imò verò adeò eundẽ ſe ſemper virum, ad extremum vſque vitæ diẽ pręſtitit, vt ne in ipſa hac poſtrema infirmitate, ab euoluendis libris & ſtudiis ſibi tẽperarit. Quo loco tamen lugere magis, quã laudare libet, quòd ſtudiorũ improbitate,

impor-

importunè ſe nobis vir tantus eripuerit.

Geſta eius Duacenſis.

Sed vt ordine de Duacenſibus eius rebus geſtis agamus, hic vnus cum altero ſolùm collega, pluribus hic annis æſtum ac pōdus diei perferēs, ea feliciſsima facultatis Theologicæ fundamenta poſuit, vt ita nunc illa floreat, magis vt facilè florere non poſsit, abſque neceſſariis illis, quibus adhuc caret, Collegiorum & Burſarū ſubſidiis: his etiam difficillimis tēporibus, & à ſtudio Theologico alieniſsimis. Enimuerò non ſingulis tantùm diebus ex profeſsionis ſuæ ratione docendo, ſed & prætereà toto quinquennio, diebus feſtis omnibus catechiſando, idq́ue gratis, & abſque honorario, in ipſis quoque initiis, vnà cum profeſsione ſacra, linguam etiam Hebręam ſeorſim publicè docendo, quàm nulli labori parcerit, quā pertinaciter incubuerit, vt Academiæ Duacenſis incunabula, ad maturitatem quam nunc cernitis, peruenirent, & omnes intelligitis, & vterque Senatus præclarè profeſſus eſt, cùm tātorum eius laborū intuitu, vt vtraq; huius oppidi Prępoſitura, altera poſt aliam cōdecoraretur, apud Reg. Cathol. Maieſtatem, effecerit. Etenim quis Galeno magis in docendo aſsduus, quis laborioſius & accuratus magis? Quis ita cellę & cauſtro Monachus: quàm Muſæo & libris Galenus, affixus fuit? Quis niſi aut ad ſcholā, aut ad Senatū Academicū foras vnquā prodeuntem

Eruditio eius & ſtudium.

Gale-

Galenum vidit? aut in plateis publicis conſpexit? Sed de pertinaci, improbo, & indefeſſo eius in ſtudiis labore, nimis fortaſſe multa diximus. Hæc enim neceſſariò (etſi alioqui non conſtarét) tamen credenda forent, cùm tantũ ac talé, in omni eruditionis genere Galenũ fuiſſe ſciamus, vt abſque incredibili ſtudio, tantus ac talis euadere non potuerit. Quis enim totius antiquitatis tam Eccleſiaſticæ, quã profanæ, auidior helluo? Quis hiſtoriarum omnium peritior? Quis trium linguarũ penè vſq; ad inuidiã & exceſſum, accurata cognitione illuſtrior? Quis in ſcripturis & Patribus magis verſatus? Quis denique magis abſoluti, & veri Theologi nomine dignus? Hæc itaq;, vt omnibus notiſsima prætereo. Nec etiam quantus, & quã illuſtris orator fuerit, opus eſt dicere. Hic enim locus, hæc Cathedra (Auditores,) præter quotidianas ſuas lectiones, magnã dicendi vi traditas, in illo ſuo quinquẽnali Catechiſmo, in creberrimis quashîc habuit inter Comitia Theologica orationibus, quãtus & quã celebris orator fuerit, recẽti memoria loquitur. Quis enim vnquã etiam in roſtris illis Romanis (vnũ, ſi libet, Tullium excipe) aut diſertiùs & explicatiùs egit, aut maiori laterum firmitate diſſeruit, aut clariùs pronunciauit, aut luculẽtiùs & doctiùs pe rorauit, quã in hac nuper Cathedra, Mat thæus Galenus? Sanè vt hanc partẽ abrum-

pam, tantus Orator Galenus erat, vt ad laudandum pro dignitate Galenũ, alio planè Galeno opus ſit. Sed hæc quidem omnia, quæ hactenus diximus, huiuſmodi ſunt, vt ad aliorũ vtilitatem & fructũ ſpectent omnia, oſtendantq; Galenum virũ à Deo in difficillimis his Eccleſiæ tẽporibus datũ fuiſſe, ad publicum & maximũ Eccleſiæ ſuę bonũ. Quo ſanè loco grauiter ingemiſcere & conqueri liberet, tã immaturè in florẽti penè adhuc ætate, tãtum nobis ereptũ virum eſſe, nſi hoc iam antea præſtitutũ eſſet, non eſſe hîc à quoquam luctui & dolori indulgendum: ſed ei ſanè ſeu amoris officio, ſeu naturæ impulſui ſatisfacere debere, quod his iam præteritis diebus factum eſt.

Pietas eius & vitæ integritas.

Venio nunc itaque ad maiora, & in quibus vera ac ſolida Matthæi noſtri laus cõſiſtit. In tanta enim & tam multiplici eruditione, ac honoribus huic eius eruditioni collatis, nec illum vnquã ambitio inquieta pellexit, nec auaritia ſordida fœdauit; ſed quę Theologo, & Sacerdoti neceſſariæ imprimis virtutes ſunt, honores fortiter contẽpſit, diteſcere nec per accidens voluit. Nota ſunt & cõperta quæ loquor. Nouit vterque & Academicus, & huius oppidi Senatus, quòd vtranque Prępoſituram nõ niſi rogatus accepit. Primã verò que S. Petri eſt, & propter adiunctam prębendam opulẽtior, quòd diu aſpernatus & reluctatus vix tandem

dem accipere perſuaſus fuerit, teſtes ſunt aliquot huius oppidi nobiles Decuriones, quos & præſentes video. Illud verò quantæ fortitudinis & integritatis animi argumentum eſt, quòd ſtudiorũ & otij literarij cauſa, opimam S. Petri Præpoſiturã, ſed curis temporalibus multum implicatã deſerere, & ad Amatenſem honoratiorem quidẽ paulò, ſed multò tenuiorem migrare voluerit? Quin etiam oblatã ſibi ab aula Bruxellenſi, in eadem Amatẽſi Eccleſia Præbendam, ſine vllo adiuncto onere, conſtantiſsimè reſpuerit, idque nõ ſine magnorum virorum indignatione. Nẽpè vt alter Fabritius, imò Fabritio maior (quia hic Chriſti & ſtudiorum, ille honoris & quietis propriæ cauſa hoc fecit) Prępoſitus eſſe diuitũ maluit, quã diues: & locupletes facere, quàm locuples eſſe. Notiora hæc ſunt. Secretiora autẽ illa, qualem ſe priuatim exhibuerit, quàm crebras eleemoſynas fecerit, quis vel cõmodè ſcire, vel vt ſciat, breuiter explicare queat? Quando ille à paupere, aut minus locuplete Theologo promotionũ vnquam emolumenta accepit? Quot etiam & quàm multos de ſuo iuuit, vt cæteris oneribus pares eſſent? Quã ſelectã ille ſibi, & omni optimorum auctorũ genere inſtructiſsimã Bibliothecam, reliqua pecunia cõparauit? Hic illi ſolus pecuniæ vſus, vt præter neceſſariũ victum atq; veſtitũ, vel eleemoſynas faceret,

vel libros compararet. Hoc Theologo, hoc
Naziana. in Monodia. Sacerdote, hoc Galeno dignum erat. Nempe vt alter Baſilius, præter libros & ſupellectilem ſacrã nihil habebat. Vnde (his exceptis) teſtamentum non fecit: quia (vt de
Poſsidonius in vita Aug. cap. vlt. Auguſtino legimus) vnde faceret, pauper Chriſti nõ habebat. Verè in magna opulentia pauper Chriſti, qui dicere cum Apoſtolo
Philip. 4. poterat: *Scio abundare: ſcio & penuriam pati.* Verè vir Apoſtolicus & beatus. Verè te (Galene) beatum dicimus. Si enim ſcripſit ſapiẽs;
Eccle. 31. *Beatus ille vir, qui poſt aurum non abijt: nec ſperauit in pecuniæ theſauris: quis eſt hic, & laudabimus eum? facit enim mirabilia in vita ſua:* meritò te beatũ dicimus, Galene, (libet enim tantiſper S. illam animam tuã compellare,) meritò te in morte tua laudamus, quia mirabilia feciſti in vita tua. Non abiiſti poſt aurum, nõ ſperaſti in pecuniȩ theſauris. Felicẽ te prædicamus. *Felix enim* (ait ibidem Sapiẽs) *qui potuit tranſgredi, & non eſt trangreſſus.* Si libuiſſet abire poſt aurum, ſperare in pecuniȩ theſauris, quò te (Galene) abire non licuiſſet, expetitũ in Germania ab Epiſcopis & Principibus, ditandum hîc Duaci Præbendis & beneficiis, ſi non dico quærere, ſed ſi oblata, penéque obtruſa acceptare voluiſses? Huc huc oculos Theologi & Sacerdotes, cõuertite. Mattheum Galenum, Theologorum & Sacerdotum ſpeculum conſpicite. Si enim
In Epiſt. ad Nepotianum. (vt ſcripſit Hieronymus) *ignominia eſt omniũ*

Sacer-

Sacerdotum, proprijs ſtudere diuitiis, Sacerdotis Galeni magna gloria erit, eaſdē cōtempſiſſe. Hoc vnum autem cùm dico, quanta me bona dicere putatis? Si enim *omniū malorum radix, cupiditas eſt* (vt Apoſtolus dixit) qui radicem ſuſtulit, quomodo fructus etiam omnes non reſecuit? Sic itaque cogitate, contemptorem pecuniarum Galenum, à cæteris omnibus vitiis immunem fuiſſe quæ ſecum pecuniæ amor vt indiuiduas comites trahere ſolet. Sed ad alia tranſeamus. 1. Tim. 6.

Huic admirabili continentiæ, qua mundum vicit, orationes & ieiunia frequētiſsima adiecit, quibus diabolum & carnem ſuperauit. Quādo enim ille ab oratione deſtitit, qui quotidie & ſingulis diebus (niſi ſola aduerſa valetudo impediret) Sacrificiū obtulit, hoc quotidiano deuotionis genere mirabiliter delectatus, & (vt alter S. Thomas Aquinas,) ſingularē in illa ſacroſancti Myſterij frequentatione voluptatem capiens? Quid illius ieiuniis magis ſingulare, qui prę ter ſtata Eccleſiæ tempora, quorū erat obſeruantiſsimus, etiā Feriæ ſecundæ & quartæ ieiunium adiecit, abſtinendo à carnibus, & vna refectione contentus per totum annū, ſolis Paſchalibus exceptis diebus. Qua in re & Religio eius laudanda eſt, & cōmendanda prudentia: qui ſic ſibi ex Religione imperauit ieiunium, vt publica tamen Eccleſiæ gaudia prudenter coleret.

Scripta ſacra.

Iam verò quòd in ipſis ſtudiis ſui minorẽ pietati & religioſo Diuini numinis cultui operam impendit, quàm iis rebus quæ doctrinam afferunt, ſcripta eius etiã in hac parte & labores literarij fidem faciunt. Sic enim theorias Liturgicas ſeu preces & meditationes pias, iis qui ſacro Miſſæ officio interſunt vtiliſsimas, Flãdricè & Latinè cõſcripſit, nunc autem & Gallicè verſę extant, ſępius ac ſubinde recuſæ. Sic vitam ſancti VVillebrordi Angli, Friſiorũ Apoſtoli, tribus libris accuratè deſcripſit. Sic ſancti Georgij Martyris vitam, egregia oratione illuſtrauit. Sic de reformanda Eccleſia, in Synodo Cameracenſi, de Satanicis illis obolendis choræis, ex hoc loco, magna facundia, zelo & pietate maxima declamauit. Sic denique ſcripturas ſacras tùm noui, tùm veteris Teſtamenti hoc loco enarrans, non interpretem tantùm doctiſsimum, ſed & perpetuum quodammodo Eccleſiaſten egit, ea quæ ad vitę ſanctitatem morúmque probitatem pertinerent, accuratiſsimè ſemper & concionabundè pertractans.

Morum comitas & totius vitę grauitas.

Neque verò ſic Deo & ſtudiis Sacerdos hic optimus, & Theologus celeberrimus vacauit, vt à conuerſatione ciuili & humanitate alienus eſſet. Sed quod de Sancto Antonio ſcribit Athanaſius, eũ in ſolitudine & mõtibus licet verſatũ, iucundũ tamen atq; affabilẽ fuiſſe, id de Galeno norũt amici eius omnes,

nes, illũ licet ſtudiis ac libris incredibiliter affixum, periucundũ tamen atque affabilẽ, omniq; humanitate & lepôre pleniſsimũ extitiſſe, quoties interpellari aut volebat, aut negotia patiebãtur. Sanè ſic amicitiam coluit, vt cũ nõ temerè, nec ſine delectu, amicos ſibi aſciuerit; aſcitos cõſtantiſsimè retinuerit, omni obſeruãtia coluerit, nec offendere, nec offendi (quæ prima amicitiæ lex eſt) aliquãdo voluerit. Quod quia expertus loquor, & libẽtiùs narro, & cõfidẽtiùs affirmo. Vir prҽterea integerrimus, & excelſi animi ſi quis alius, ab omni diſsimulatione alieniſsimus, popularis aurҽ & opinionũ vulgariũ cõtẽptor maximus, calcator ſeculi & terrenis omnibus rebus ſuperior, ſapiẽs & doctus Scriba in regno cælorũ; veritatis aſſertor cõſtãtiſsimus, vitiorũ impatiẽs, virtutũ amator ardẽtiſsimus. Ex quo ſanè effectũ eſt, vt authoritatẽ apud omnes & Cãcellario & Galeno dignã obtineret: eũ colerẽt vicini Prҽlati, veneraretur Academia, cõplecterẽtur boni omnes. In rebus autẽ fidei, quҽad Dei & Eccleſiæ honorẽ facerẽt, Zelator fuit vehemẽtiſsimus, Catholicҽ doctrinҽ propugnator acerrimus, hæreticorũ Antagoniſta fortiſsimus. Hic enim Zelus domus Dei, quo ſupra modũ flagrabat hoc ſanctũ pectus, ignis ille & flãma perurẽs erat, quҽ eũ ne in tã aſsiduis ſtudiorũ laboribus perferendis vnquam defiçeret, refouebat: & vt porrò ſem-

per pergeret, perurgebat. *Valida enim eſt ſicut mors dilectio*. Hinc ſanè magnus iſte Zelator, & alter Phinees, ancipiti illo gladio verbi Dei, hæreticos fornicantes, & verbum Dei adulterantes tranſuerberans, ſtilo luculẽto & dentato, Proteſtantes ſæpius acerrimè perſtringens & prouocans, eorum quidem inuidiam erga ſe magnam cõflauit, perterrefecit ſic tamen, vt nemo hactenus Proteſtantiũ in eum replicare auſus fuerit. Hinc porrò vir in ſtudijs laborioſsimus, deſides & ignauos homines exoſos habuit; ſtudioſos autẽ, & labori literario grauiter inſudãtes, mirabiliter colebat. Pios autẽ maximè, & pro Eccleſia Dei aliquid perpeſſos, afflictos, & * extorres, vt ſeipſum charos habebat: tanto zelo, pietate tanta, vt quod ſæpè ſermone vſurpare ſolebat, re ipſa copioſè præſtaret, ſibi potius quam huiuſmodi hominibus defuturum ſe dicens, quicquid in ipſo eſſet, præſtare quod poſſet. Qua de re plura dicerem, (eſt enim in hoc vno maxima Galeni laus) niſi & ipſe ex eorum numero eſſem, & rem totam me tacente optimè omnes intelligeretis. Sed manet te tua merces, Galene, imò ea nunc frueris ac potiris: merces, inquam, illa, de qua dicit Saluator, *Qui accipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ habebit*, Breuiter, vt videtis, multa percurri, & notaui potius, quàm oſtendi. In hac tamen breui varie-

* Anglos pro fide Duaci exules ſummo fauore & amore complexus eſt.

Matt. 10.

varietate, plura me vereor tacuiſſe, quàm dixiſſe.

Quæ enim in hoc ſummo Theologo, & ſancto Sacerdote ſumma erant, id (inquam) quod intrinſecus latet (omnis enim gloria filiæ regis, cuius hic filius erat ab intus eſt) illa oculos & iudicium humanum fugiunt. Illa Deo & Angelis eius iam conſpicua, admirabilem ſplendorem reddunt. Talia ſunt flagrans Dei & proximi amor, perpetua vitæ continentia & caſtitas, gemitus & ſuſpiria ſancta, frequens meditatio & rerum diuinarum contemplatio, frequens corporis caſtigatio, & his conſimilia pietatis exercitia. Hæc quia ignoramus, tacemus. Ignoramus, inquam, quia pleniùs explicare, & apertiùs commemorare non poſſumus: ſcimus tamen, ſicut ex fructibus arborē, ex palmite radicem. Qui ſunt autem huius arboris fructus, qui palmites radicis? Illā reſpicite nobilem, eruditam, ſanctam * Abencurtij familiam. Quos ibi fructus Galenus protulit, quos illic palmites germinauit, ſeu ad parentem vtrumque, ſeu ad liberos, ſeu ad affines & cognatos oculos conuertimus? O verè ſanctam & totius ſanctitatis, religionis, pietatis, modeſtiæ, virtutis effigiē illam Abencurtij familiam. Quid familiam dico? Eccleſiam potius, quàm familiam dixeris. Imò Monaſterium potius, quàm Eccleſiā. Vbi quaſi in altero Bethlehē cum Paula & Euſto-

* Hic D. Abencurtius mox poſt mortem Galeni & coniunx eius nobiliſsima D. Antonia de Bus gundia Duciſſa Arcoſtenſis perpetuam cōtinentiā in manus Epiſcopi vouerunt & obſeruant ſeorſim viuentes, hæc in monaſterio, ille in ſuo caſtro Buath.

Euſtochio, Hieronymus ſanctè hactenus diſſeruit, & virgo ſacerdos virgines efformauit. Ignoſce mihi, vir illuſtris Iacobe Danuſi, per illam Galeni amicitiam te rogo, (qua nihil tibi in terris charius eſſe ſcio,) ſi te præſente de tua familia liberius dico. Galenum laudo, & tuam familiam tacere poterož Radicem perſcrutor, indago, exquiro; & fieri id plenè poteſt, niſi fructus & folia cō cutiantur, inſpiciantur, colligantur, deguſtentur? Tuæ familiæ ſanctitas, Galeni corona, gaudium, gloria eſt, quæ hîc taceri nō poteſt. Sed parco modeſtiæ ac pudori tuo, qui ſi abeſſes, plura profectò hac de re dicerem. Vtinam verò quod de familia hac ſancta diximus, vbi præceptor & pater Galenus erat, idē de illa Galeni familia, cui Præpoſitus datus fuit, dicere licuiſſet. Dixiſſemus autem, ſi eo diutius frui licuiſſet.

Venio nunc (Auditores,) imo ipſa res me ſenſim perduxit, ad eam orationis meę partem, quæ vt omnium iucundiſsima eſſe debebat, quia poſtrema, ita vehementer formido, ne futura ſit omnium triſtiſsima & maximè luctuoſa. Hactenus enim vitā ſanctè & laborioſè actam, præclaras & iuſtas Galeni laudes, iucundo quodam & ſuaui orationis filo texuimus, in quo non tam laborare, quā amœniſsimè expatiari noſtra videbatur oratio. Eò nunc tandem peruentum eſt, vt cuius vitā deſcripſimus, mortem comme-

commemoremus : id eſt, vt qui bona ac beneficia huius Scholæ, huius Academiæ, totius Eccleſiæ recenſuimus, eiuſdē nunc calamitatem & iacturā grauiſsimā deſcribamus. Quid eſt enim aliud, Matthæum Galenum hac vita defunctū dicere, quàm Theologorū decus, Sacerdotū ſpeculum, virtutū omniū exemplar ſublatum, Collegiū Amatenſe optimo Præpoſito ſpoliatum, Scholæ Theologicæ lumen extinctum, Academiæ Duacenſis ſplendorē ſingularē, ereptum dicere? Siccine ſeparas amara mors, & vnico ictu tot illuſtria corpora per vnius latus tranſuerberas? Siccine noſtrum Galenū in florenti ętate, annorum plus minusquadraginta ſex, ſic Scholæ, ſic Academiæ huic, ſic Eccleſiæ Dei neceſſariū importunè rapis? Sed quærelas mittamus inanes, ne legē quā modò ipſi tulimus, primi omniū violemus: ne vel Deo ingrati, qui vt diu hoc bonū nobis impertiit, ita cùm ſibi viſum eſt, quod ſuū erat repetiit: vel ipſi Galeno inuidi eſſe videamur, qui non tam noſtro magno malo, quàm ſuo maximo bono, ad meliorē vitam indubiè tranſiit. Confidēter enim cum S. Auguſtino dico: *Credidi propter quod & locutus ſum; malè mori nemo poteſt, qui benè vixerit.* Tibi ergo (Magne Galene) qui pro Eccleſia Dei maximos labores ſuſtinuiſti; qui in ſacris ſtudiis ab ineunte ætate, omnem vitam ſanctè tranſegiſti; qui ſtudiorum magnitu-

De Diſciplina Chriſtiana. cap. 2.

magnitudine ita te attriuiſti, & ſpiritus vitales exinaniſti, vt leuis te febricula etiam inter optima ſanitatis indicia, conſequente per defectum ſpirituum ſpaſmo, ſeu epilepſia nobis eripuerit; qui Catholicæ fidei propugnator acerrimus, virtutum omnium & cultor maximus & magiſter peritiſsimus, ſobriè, iuſtè, & piè in hoc ſeculo vixiſti; qui bonum certamen certaſti, curſum cõſummaſti, fidẽ ſeruaſti; qui in illo tuo cum aduerſario extremò certamine, paucis antè mortem horis, alta voce cãtaſti (nunquam aliàs cantare ſolitus:)

O tortuoſe ſerpens, qui mille per Mæandros
Fraudeſque flexuoſas, agitas quieta corda,
Diſcede, Chriſtus hic eſt: hic Chriſtus eſt, liqueſce,
Signum, quod ipſe noſti, damnat tuam cateruam.

& hoc diuino & Cygneo cantu, cruentã beſtiam abegiſti, deque ea triumphaſti: qui denique vtroque Sacramento munitus, integro adhuc iudicio, etiam poſt illa adminiſtrata, aſtantibus (adhoc enixè rogatus) ſecundò benedicens, in magna totius corporis pace, abſque lucta atque certamine, vltimum ſpiritum (quod hiſce oculis mœſtus vidi) emiſiſti, & verè in domino obdormiſti. Tibi magne & (quod non dubitamus) beate Galene, verè & ex animo gratulamur, palmam iam & præmia laborum tuorum, coronam iuſtitiæ adepto. Te verò in montis vertice iam conſtitutum, vt nos adhuc

inter tribulos & ſpinas anhelantes ex alto reſpicias, rogamus: & quod ſuum recens defunctum amicum Baſilium orat Nazianzenus, hoc ego tuo tibi meritò amicus, hoc Eccleſia tua Amatenſis, hoc Schola hęc tua Theologica, hoc Academia Duacenſis enixè te orat; tuis hoc age precibus, vt tota nobis vita in melius permutetur, vt Eccleſia tua Amatenſis pietate reluceat, vt Schola hæc tua Theologica eruditione floreat, vt alma hæc Academia vtraque præfulgeat.

Dixi.

Orationum Academicarum finis.

LAVS DEO.

APPROBATIO.

ORationes trigintaquatuor Miſcellaneas THOMAE STAPLETONII, varia eruditione pleniſsimas cum ingenti fidelium commodo in lucem edi poſſe cenſeo. Actum Louanij 12. Octobris. 1596.

Iacobus du Bay, S. Theol. Doct. & in Academia Louan. Regius Profeſ.

PRIVILEGIVM.

REgiæ Maieſtatis Priuilegio cautum eſt, ne quis proximo ſexennio *Orationes Academicas Miſcellaneas*, *Authore* THOMA STAPLETONIO, S. T. D. citra eiuſdem Authoris voluntatem imprimat, vel alibi impreſſas importet aut diſtrahat in toto Regiæ Maieſt. Dominio Belgico: ſub pœnis in diplomate Regio cōtentis, 30. Octobris. Anno 1596. conceſſo: Subſignato.

De Berti.

image
not
available